
VE RI
TAS

ANNALES

CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI,

ORDINIS S. CRUCIS.



Ex monumentis authenticis,

REVERENDISSIMO PATRE MAGISTRO GENERALI,

FR. HENRICO VAN DEN WIJMELENBERG,

APPROBANTE ET OPITULANTE,

Collegit, disposuit, illustravit,

CORNELIUS RUDOLPHUS HERMANS,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCTOR, GYMNASII

SILVADUCENSIS RECTOR,

ORDINIS CORONAE QUERCEAE EQUES.



VOLUMEN TERTIUM.



Cod. Dipl. Tom. II.



SILVAEDUCIS,

Apud P. STOKVIS.

MDCCCLVIII.

ANNALES

CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI,

ORDINIS S. CRUCIS.

ANNALES

CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI,

ORDINIS S. CRUCIS.



Ex monumentis authenticis,

REVERENDISSIMO PATRE MAGISTRO GENERALI,

FR. HENRICO VAN DEN WIJMELENBERG,

APPROBANTE ET OPITULANTE,

Collegit, disposuit, illustravit,

CORNELIUS RUDOLPHUS HERMANS,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCTOR, GYMNASII

SILVA-DUCENSIS RECTOR.



VOLUMEN TERTIUM.




Cod. Dipl. Tom. II.



SILVAE-DUCIS,

Apud P. STOKVIS.

MDCCCLVIII.


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
MAY 4 1965

CODEX

DIPLOMATICUS.

N°. 158. **1501—1512.**

Acta duodecim capitulorum generalium praeside Cornelio Clotingen, Magistro Generali.

(P. Halloix Diffinitiones, Ms. in 8°. fol. 117—121. Codex defin. secundus in 4°. et tertius in fol. in tabulario conventus Udensis.

(Loca Selecta).

Anno 1501. *Ordinatio.* Ordinamus quod fratres emissi ad alium locum seu conventum ordinis nostri, gaudere debent de bonis per ipsos comportatis ad discretionem patris reverendi, aut suorum visitatorum. Item quod laici nostri ex serie statutorum, erunt obligati profiteri tria vota substantialia ordinis cum resignatione sui et suorum, in manus praelati, aut sui vicarii, volentes ipsos ordini nostro incorporari sub hac forma: „Ego N. frater promitto tibi Priori N. et tuis successoribus perpetuam obedientiam, perpetuam continentiam et carentiam proprii, et stare correctioni ac ordinationi prioris et conventus hujus monasterii, et capituli generalis, et Priori et magistro generali Ordinis Sanctae Crucis, cui dicta domus est submissa, et obtemperare fideliter usque ad mortem ordinationibus et statutis sedis apostolicae, et Sacri Ordinis Fratrum Sanctae Crucis, quodqne ero fidelis huic domui et ordini usque ad mortem".

B. 1.

*[Item conventum monialium ordinis seu regulae Sancti Augustini in Glintfelt, prope oppidum Medebach ordini nostro oblatum ac ad eumdem per Reverendissimum patrem ac dominum Hermannum, Archiepiscopum Coloniensem, legitime translatum incorporamus] (*a*).

Anno 1502. *Approbatio.* Approbamus omnia ordinata superiori anno. *Ordinatio.* Ordinamus quod propter uniformitatem colorum in scapularibus nostris (ut antea) sint scapularia nigri coloris, et assuatur signum crucis, juxta tenorem et formam antiquorum statutorum. Item ordinamus in dissentione fratrum super juvenum receptione, bonorum alienatione, seu contractibus quibuscumque, quod stante hujusmodi discordia, cui parti R. P. G. aut visitatores, in praefatis dispositionibus consenserint, tanquam saniori parti, sine contradictione cujuscumque, sub poena inobedientiae esse deferendum, statuendum, et consentiendum. Item ordinamus quod donati non admittantur tempore visitationis ad scrutinium et accusationem fratrum et sacerdotum, sed si quid sciverint, aut voluerint deponere pro utilitate domus, et regularis disciplinae conservatione, hoc Priori, suppriori, et procuratori significare debent, ut R. P. G. aut visitatoribus dicant: non minus tamen erunt laici praedicti in capitulo tempore visitationis astricti comparere et condignam suis excessibus poenitentiam subire, juxta morem Ordinis hactenus in similibus observatum (*b*).

Anno 1503. [Item per praesentes incorporamus Ordini nostro conventum nostrum et ecclesiam in terra S. Annae. Fundatrix genuina domina de Ravenstein, quae obiit 1508].

*[Item admittimus Priori et conventui nostro in Duysborch

(*a*) Quae hic et in sequentibus, uncinis includuntur, addito asterisco habet Codex defin. Ms, Udensis tertius, sine asterisco secundus.

(*b*) Definitores hujus anni fuerunt Nicolaus Cadomensis Prior, S. theol. doctor et artium Mag. et Priores Mariae Pacis, Trajectensis et S. Agathae. *Nota Ms. Fr. W. Wijnaats,*

colere terminos juxta concordiam per eosdem et Priorem et conventum nostrum in Domo Lapidea initam, videlicet assidentes et die Weest Recklinckhuysen, quos fratres in Duysborch visitabunt].

Anno 1504. Nihil notatu dignum.

Anno 1505. *Ordinatio.* Ordinamus sub poena privationis vocis, loci, beneficiorum ordinis, omnibus subjectis, et mandamus quatenus diligentem assistentiam, dexteram et omnem operam eis possibilem, Priori et suppriori in corrigendis excessibus fratrum, etiam ad poenam carceris, impendant, non restituendi nec habilitandi nisi per R. P. G.

Anno 1506. *Ordinatio.* Per totum adventum fratres tam intus quam extra carnes non comedant. Item ordinamus quod R. P. G. post sui officii cessionem, aut alias supportationem nec non in relevamen suarum necessitatum et sui status decentiam, plenarie et libere de cunctis quibuscumque bonis, et rebus seu provenientibus, ac censibus per ipsum tempore generalatus quomodolibet acquisitis, quamdiu vixerit, gaudebit et post mortem ipsius, cedent census seu proventus ordini nostro, et ad usum P. R. G. pro tunc existentis, ad causarum ordinis tuitionem, et decentiae suae status conservationem. Similiter Priores locales dum cesserint officio, sive absque demeritis fuerint supportati, gaudebunt de proventibus quibuscumque, conventibus quibus praefuerint, temporibus suae residentiae acquisitis, deductis tamen oneribus, ad Patris nostri generalis discretionem, aut suorum visitatorum.

[Quoad Generalem approbatum in sequenti capitulo, non de Priore].

*[Item decernimus et declaramus professionem laicorum seu donatorum ordinis nostri fieri deinceps in Teuthonicalibus locis sub hac forma verborum: „Ick N. doe professie en. ghelove Gode van hemelryck, Marie, syn lieve moeder, en. Synte Augustyn, en. dye Prior dees huys, inden naem des Prioers en.

meester generael voerss. en. die Prior en. uwen naecoemelinghen en. den generael capittel en. visitateurs des voerss. ordens van den heilighen Cruce, ewighe reynicheit, ewighe willighe armoede en. sal den Prior en. meester generael voerss. en dy Prior en. uwen naecoemelinghe en. den generael capittel en. visitateurs des voerss. ordens gehoersaem wesen nae statuten der donaten en. ordinancien derselver orden, en. sal ghetrow wesen desen huyse en. den oerden tot der doet toe". Sub eadem forma et sententia volumus laicos profiteri in quocumque alio idiomate.

Anno 1507. *Confirmatio.* Confirmamus quod fratres diligenter assistant prioribus in correctione excessuum fratrum. *Approbatio.* Approbamus de cessione et supportatione R. P. G., addentes nihilominus, mandantesque sub poena excommunicationis et gravioris culpae, ne aliquis Prior aut frater R. P. G. defuncto, seu in periculo mortis constituto, quocumque loco contigerit infirmari, seu decedere, praesumat exportare, occultare, aut quovis ingenio aperire vel infringere quaecumque reposita penes R. P. G., tam in camera quam in aliis quibuscumque locis, tam intus quam extra, ubicumque reposita sunt, quae concernunt ejus, seu ordinis statum, nisi in praesentia patrum diffinitorum, et electione celebrata.

Anno 1508. *Confirmatio.* Omnia anno praeterito approbata confirmamus. *Ordinatio.* Item ordinamus et mandamus quod relicta Priorum localium conserventur, et nullatenus attingantur, aut infringantur, aut dissipentur sub eisdem poenis, sicut relicta P. R., ut praeterito anno dictum est, donec conventui de novo Priore provisum fuerit, et ipse novus electus confirmatus, personaliter praesentibus suppriore et senioribus ea attigerit. Item ordinamus quod in die animarum fiat processio.

Anno 1509. *Ordinatio.* Ordinamus quod privati voce, et positi ad gravem culpam, seu graviorem, debent peragere poenitentiam comedendo super terram, et dicere culpam suam ante omnes capitulares, dictisque culpis suis statim exeant.

Item ordinamus quod, postquam quispiam fratrum de incauta familiaritate mulierum, ut se a tali abstineat, fuerit per Priorem vel seniores, aut patres visitatores admonitus, et non abstinuerit, sed sponte et sine licentia et fratrum testimonio, conversationem et collocutionem talem sibi interdictam, continuaverit et servaverit, quod talis in hoc deprehensus (licet plane non possit convinci) pro convicto tamen habeatur, et puniatur poena carceris, secundum statuta ordinis.

Anno 1510. Item ordinamus quod frater descriptus celebrare pro defunctis, post missam suam visitabit per 30 dies fratris conventualis fossam, altera die exequiarum ejusdem incipiendo, cum aspersorio aquae benedictae, legendo *Miserere*, *de Profundis*, *Pater Noster*, *Ave Maria*, *A Porta* cum collecta *Inclina*, et *Fidelium*, addendo *Requiescant in Pace.*

Anno 1511. [Definitionem de electione praesidentis Huyensis ante tempora factam, tamquam juri dissonam et contrariam revocamus, cassamus et annullamus, ac institutionem et destitutionem ejusdem arbitrio et discretioni R. P. Generalis pro tempore committendam duximus et discernimus. Approbatum in sequentibus].

Anno 1512. Nihil notatu dignum (*a*).

N°. 159. 6 et 12 Junii 1501.

Margareta vidua Domini Wilhelmi de Egmont, Domina in Boxmeer et Haps, conventui S. Agathae benefacit.

(Cod. Dipl. S. Agathae, fol. 155 et vso).

(*a*) Definitores hujus anni fuere Mariae Pacis, Trajectensis, Leodiensis et Vallis S. Matthiae priores. *Nota Ms. Fr. W. Wijnants.*

N°. 160. 8 Oct. 1501.

Vicarius Episcopi Monasteriensis, administratoris Osnaburgensis, consecratis ecclesia et septem altaribus monasterii Novae Lucis in ter Apel, in provincia Groningana, largitur XL dierum indulgentias visitantibus ecclesiam et conventui faventibus.

(Autographum membran. sigillo viridi sed fracto munitum, in tabulario provinciae Groninganae, mecum a viro consult. H. O. Feith communicatum.

Nos Hinricus Scadehoit, Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Tricalensis, sacrae theologiae professor, graciosi in Christo patris et domini, domini Conradi de Redberch, Episcopi Monasteriensis et administratoris ecclesiae Osnaburgensis in pontificalibus Vicarius generalis, universis Christi fidelibus praesentes nostras literas visuris et audituris, notum facimus per praesentes, quod anno Domini M° quingentesimo primo, Dominica proxima post Mychaelis, in monasterio Fratrum Ordinis Sanctae Crucis conventus Novae Lucis, Apel vulgariter dicto, dioecesis Osnaburgensis, ecclesiam noviter erectam, ad divini cultus augmentum, in honorem Sanctae Crucis dicti ordinis patronae ac Sancti Anthonii confessoris, nec non in eadem septem altaria, secundum modum et formam in ecclesia Dei consuetos, una cum cimiterio, Spiritus Sancti nobis gratia annuente, rite consecravimus, assignando insuper altaribus dedicatis patronos, Primo scilicet quod in praedicta ecclesia pro summo habeat Sanctam Crucem, Sanctam Trinitatem et omnes Sanctos Angelos, Secundo autem ante chorum ad aquilonem, gloriosissimam Dei genitricem et virginem Mariam, Tertio vero etiam ante chorum ad meridiem, Petrum et Paulum et omnes Christi Apostolos, Quarto item ad meridiem Sanctum Johannem Baptistam, Sanctum Quiriacum Episcopum et martyrem, Stephanum prothomartyrem, Laurentium et omnes Christi martyres, Quinto etiam ad meridiem, Sanctum Anthonium abbatem, Sanctum Augus-

tinum, Martinum, Jheronimum, Gregorium, Ambrosium et omnes Sanctos Christi confessores, Sexto iterum a parte aquilonari, Sanctam Odiliam virginem et martyrem, Sanctam Ursulam, Margaretam, Katharinam, Barbaram et omnes virgines ac Sanctos Dei, Septimo etiam a parte aquilonari, Sanctam Annam, Helenam reginam, Sanctam Monicam, Mariam Magdalenam, Sanctam Elyzabeth et omnes sanctas viduas; omnibus itaque et singulis vere poenitentibus et contritis, qui dictam ecclesiam seu altaria praedicta in festo dedicacionis sive singulorum patronorem et per octavas eorumdem, octavas habentium, cum oratione dominica devote visitaverint, nec non qui in festis nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, in Coena Domini, Parasceve, Paschae, Ascensionis, Penthecostes, Corporis Christi, Nativitatis, Sancti Johannis Baptistae et Sancti Laurencii martyris, Omnium Sanctorum et in omnibus festis beatae Mariae Virginis, omnium Apostolorum et in festis Sanctae Crucis, et Annae, *Salve regina* vel *Ave regina* de beata Maria semper virgine in ecclesia vestra cotidie post completorium solemniter decantandae vel devote legendae interfuerint vel audierint, vel trina vice illam angelicam salutacionem *Ave Maria* in memoriam nostrae redemptionis flexis genibus devote post completorium et ante Primam ad sonitum campanae dixerint; nec non in meridie etiam ad signum expiracionis crucifixi Domini pro gratitudine unum *Pater Noster* et *Ave Maria* cum recordatione passionis Christi devote peroraverint, aut primae missae novelli sacerdotis ordinis vestri, vestra in ecclesia primam missam celebrantis, devote interfuerint vel quotienscumque aliquis in ecclesia celebraverit vel ad missam ministraverit seu devote missam audierit; similiter qui in Festis sanctorum patronorum tam ordinis quam ecclesiae praesens fuerit; item universis qui vobis consilio, auxilio aut suarum elemosinarum largitione quocienscumque vel quocumque modo subvenerint et tociens quociens altare vel altaria visitaverint causa devocionis cum III *Pa-*

ter Noster et *Ave Maria* vel an[tiphona] et collecta, quociens-cumque aliquis coram venerabili Sacramento se devote inclinaverit vel ad signa pro elevatione Sacramenti in summa missa fratres dictae domus etiam extra ecclesiam in officinis vel agris medio tempore flexis genibus Dominum Deum adoraverint, aut quociens post comestiones intrando ecclesiam praedictam gratias Deo egerint, seu cum aliquis signationem horologii aut campanae sonitum audiens, angelicam salutationem aut aliam dixerit oratiunculam aut in cimiterio vel ecclesia existens pro fidelibus defunctis orationem fecerit; Similiter quociens aliquis ecclesiam vestram purgaverit, seu aliquid ad divini cultus augmentum in ea exercuerit, vobis quoque in lotione pedum quintis aut sextis feriis in qualibet ebdomade, sicut in coena domini secundum constitutiones vestras a Priore aut Suppriore vel custode conventus, si ipsi defuerint, fienda seu hospitibus adventantibus caritatis intuitu impendenda, tam lavantibus quam lotis, Etiam in capitulo culparum, tam capitulum tenentibus quam proclamatis seu ex caritate proclamantibus aut disciplinas post completorium dantibus vel accipientibus seu infirmis ministrantibus, aut in officio communionis fratrum vel infirmorum aut extremae unctionis devocionis intuitu existentibus et pro salute infirmorum dominum exorantibus, et in absolutionibus, singulis annis in ecclesia seu monasterio vestro fiendis, in die cinerum, seu in quocumque alio die vel festo fuerit, humiliter se prosternentibus et omnipotentis Dei gratiam exorantibus. Item in investione fratrum vel eorum professione assistentibus, aut etiam quociens dominicis diebus in dicta ecclesia ante missam vel singulis aliis diebus post completorium aquam benedictam devote a sacerdote susceperint, Aut quotienscumque venerantes imaginem beatae virginis Mariae, extra portam monasterii constitutam, intrantes vel exeuntes unum *Pater Noster* vel tria *Ave Maria*, flexis genibus, dixerint, quotiens etiam post pulsum coci ante refectionem pro benefactoribus conventus vivis ac de-

functis tria *Pater Noster* et *Ave Maria* vel psalmos *De profundis* et *Ad te levavi* peroraverint, seu quociens veniam petendo, culpas nos humiliter recognoverint. Quocienscumque igitur praemissa vel aliquod praemissorum fecerint vel interfuerint, Nos de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, quadraginta dies indulgenciarum et unam carenam de injunctis eis poenitenciis perpetuis futuris temporibus misericorditer in Domino relaxamus et concedimus per praesentes. Pro uberiori etiam fratrum devotione conservanda ad festum dedicacionis ecclesiae praedictae et altarium volumus ut anniversarius dies dominica post festum Sancti Mychaelis annue celebretur. Datum in conventu praedicto sub nostro sigillo, anno Domini millesimo quingentesimo primo, dominica post Mychaelis in profesto videlicet Sancti Francisci confessoris.

No. 161. 12 Martii 1506.

Anna Burgundiae, Domina de Ravestein, conventui Cruciferorum in terra S. Annae, in insula Zuid-Bevelandiae, benefacit.

(Apographum membran. penes spectatissimum virum Rethaan Macaré Ultrajecti (a).

Anne van Bourgoingnen, Vrauwe douaigiere van Ravestain, doen te wetene eenen yegelycken. Alsoe wy by andere onse brieven in date van den XXVIen dach der maend van Januarius int jaer duyst IIIIc LXXXVI, omme de redenen daer inne begrepen, sonderlinge omme de vermeersinge van godsdienst gefondeert hebben eene messe de weicke, een jaerghetyde en. voort andere godsdiensten, en. daertoe gegeven en.

(a) Charta haec inserta fuit Codici membran., in quo fol. 53 recto et verso occurrebat. Praemissum erat diploma ejusdem Dominae d. 26 Januarii anni 148⁶/₇, cujus ultima linea in capite folii occurrit, complectens has voces: »XXVIen dach van Januario int zelve jaer van zessen tachtich. Do tweede brief: Anne" etc. ut supra.

ghelaten ons deel en. portie van d'lamthiende in ons land en. heerlicheyt van Sint Anne en. Hannevosdyck met zynen toebehooren. En. alsoe dese en. andere saicken die wy geordonneert ende gefondeert hebben, die voorss. onse andere brief, duer de welcke dese onse jegewoordeghe brief duersteken ende hanghende es, dat breeder inhoud en. verclaert. Ende het zoe zy dat binnen zekeren jaeren haerwaerts omme de vermeeringe van den zelven godsdienst, wy gegonnen en. geconsenteert hebben religieusen persoonen van den oorden van den heyligen Cruuce te mogen commen woirden erigieren en. fondéeren, een clooster convent en. godshuys van den selver oerden van den heylighen Cruyce binnen onse voorss. lande ende heerlicheyt van Sinte Anneland. Daertoe en. omme tonderhoud van hemlieden upmaicken en. onderhouden van den selven hueren convente en. godshuyse, wy hemlieden gegonnen en. gelaten hebben portie van onse goedingen en. onder andere ghiften hemlieden gedaen hebben, den zelven gelaten incorporeeren de cure en. costerye van den voorss. kercke van Sinte Anneland met hueren toebehoorten, naer tverclaers van de brieven die zy oock van ons daerof hebben. En. willende en. begheerende altyds tupcommen, voorderinge en. beternesse van den voorss. godshuyse, convente en. van den goede religieusen inwoónende van dien omme altyts tamplifyceren en. te voorderen den godsdienst, hebben omme deze en. andere merckelycke redenen gegeven, gelaten en. geconsenteert voor ons en. onse naercommers heeren en. vrauwen van Sinte Anneland, de ghifte en. te mogen doenne de voorss. messe de weicke daerof hebbende en. ontfangende elcx jaers te lichtmesse by den handen van de voorss. kerckmeesters zestien scellingen groten, ende ook de vyf scellingen groten geordonneert toot Onser Vrauwen love. Van ghelycken sullen hebben en. bediennen, de costerie metten proffytten daertoe staende en. vallende. Ende voort hebben geordonneirt en. ordonneeren by desen omme te bet ende

weerdelycker te mogen doen ons jaerghetyde, daerof in den anderen onsen brief mencie ghemaect es, dat men dat doen sal met dyaken en. subdyaken en. met commendatien alsoot behoort, stellende viere stal lichten up de viere houcken van der barre, elck van twee pond was, welck was gedeelt sal worden en. gaen sal deen helft der kercke en. dandere helft den convente ter causen en. als hebbende de cure van der kercke, en voor den loon ende sallaris als pastoir, dyaken en. subdyaken, costere en. die de choor houden zullen ten zelven jaergetyde, ende voor eene pitancie van wyne voor de voorss. religieusen, sullen de zelve religieusen en. Cruycebroeders toot eeuwigen dagen hebben en. ontfangen vuyten zelven thienden elcx jaers ten dage van den zelven jaergetyde zes scellingen groten vlemsch munten, en. noch zullen hebben en. ontfangen jaerlicx te lichtmesse voor dat sondaechs gebet twaelf groten. In alsoo verre als de proffytten van den zelven thienden soe verre strecken mogen.

De andere lasten begrepen in onsen anderen voorss. brief betaelt wesende, de zelve onse andere brief duer dewelcke dese duersteicken es, in alle zyne andere pointen van weerde blivende, alle dynck zonder aergelist ende toot goeden verstande.

Deis toirconden, soe hebben wy onsse name hieronder gestelt en. onsen zegel hier onder aen gedaen hangen. Gegeven op ten XII[en] dach der maend van Maerte int jaer ons Heeren duyst vyfhondert en. vive, naer tscriven van den hove van Holland.

Ende hebben de voorn. Prioor in den name als boven en. als pastoor en. oock de voorn. kerckmeesters in de name en. by consente en. mede geven als boven, en. elck alsoe verre alst hem aengaet, beloeft en. beloven by desen brief voor hemlieden en. huerlieder naer (*a*)

(*a*) Hic folium versum desinit: ea, quae sequi debent, posita fuerint in folio sequenti.

N°. 162. 14 et 15 Sept. 1509.

Vicarius Episcopi Monasteriensis, administratoris Osnaburgensis, consecratis altarium lapidibus et imaginibus conventus Novae Lucis in ter Apel, in provincia Groningana, largitur monasterii fautoribus XL dierum indulgentias.

(Autographum membran. subscriptum chartae n°. 160).

Et nos Hinricus, Episcopus Tricalensis, super dictis piis fratrum conventus praememorati peticionibus graciosius inclinati dedicavimus eciam in ecclesia praescripta duos lapides pro altaribus cum reliquiis sanctorum, primum lapidem in honorem Sanctae Trinitatis, Virginis gloriosae, sanctorum archangelorum Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, sanctorum Adriani et Sebastiani martyrum omniumque sanctorum Christi, secundum lapidem in honorem Virginis Mariae, Sancti Joseph, Sancti Rochi Conf. etc. omniumque sanctorum et sanctarum Dei. Item duas tabulas altarium Sanctae virginis Mariae et Sanctae Ursulae, item.....(*a*) virginis Mariae in sole [?], dependentem in ecclesia, imaginem beati Anthonii anachoretae et plurimas imagines sanctorum et sanctarum in praedicta domo. Item campanam majorem in honorem virginis....et alias minorem in honorem Sancti Antonii. Omnibus itaque et singulis vere poenitentibus et contritis, qui dicta altaria in festo dedicacionis seu singulorum patronorum et per octavas eorundem octavam habentium vel alias, quicumque et imagines dedicatas quocumque tempore cum oratione dominica vel alia quacumque oratione devote visitaverint, nec non qui ad sonitum campanarum seu campanae orationem dominicam vel *Ave Maria* vel aliam orationem quamcumque peroraverit, nos de omnipotentis Dei [misericordia] et ......Petri et

(*a*) Membrana hic illic perforata est, ut ex punctis perspicuum fit. *Misericordia* ex conjectura addidimus.

Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, XL dies indulgenciarum et unam karenam de injunctis eis poenitenciis perpetuis temporibus misericorditer in Domino relaxamus et concedimus per praesentes. Acta sunt praescripta in conventu praedicto, anno Domini millesimo quingentesimo nono, in festo exaltacionis Sanctae Crucis et die sequenti.

N°. 163. 11 Maii 1512.

Magister Generalis et definitores fatentur se in utilitatem Ordinis Sanctae Crucis summam pecuniae mutuo accepisse a conventu Mariae Laudis.

(Autographum membran. duobus sigillis, sed fractis, munitum in tabulario conventus Sanctae Agathae).

Noverint universi et singuli praesentes nostras litteras visuri sive lecturi, quod nos Frater Cornelius de Clotinghen, Generalis, Nicolaus Cadomensis, artium magistri et sacrae theologiae professores, Nicolaus Mariae Pacis, Walterus Trajectensis et Salentinus Sanctae Agathae conventuum Priores, capituli generalis Ordinis Sanctae Crucis definitores anni XV^{c} secundi, matura praehabita deliberatione et unanimi consensu recepimus a conventu nostro Mariae Laudis, ordinis ejusdem, viginti florenos aureos bonae monetae et justi ponderis dinumeratos nobis per manus Henrici van Pinxteren, praefati conventus conventualis, quos quidem viginti florenos aureos expendimus in conservationem jurium et utilitatem ordinis, pro quibus viginti florenis aureis praefato conventui Mariae Laudis assignavimus et assignamus unum florenum aureum annui et haereditarii census, singulis annis in nostro capitulo generali ex contributionibus exsolvendum, donec per nos vel successores nostros, Magistrum generalem et definitores capituli generalis pro tempore, florenus aureus annui praedicti census cum viginti florenis aureis simi-

libus fuerit dequitatus et redemptus, prout in libro ordinis in definitione generalis capituli anni XV[c] secundi plenius continetur. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium nos Fratres Cornelius Generalis, Nicolaus Mariae Pacis, Walterus Trajectensis, Lambertus Leodiensis et Walterus Vallis Sancti Mathiae conventuum Priores, definitores capituli generalis anni XV[c] duodecimi, praesentes nostras litteras sigillis nostri generalatus et venerabilium patrum definitorum duximus communiri. Datum in conventu nostro Hoyensi, tempore capituli nostri generalis, anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo, mensis Maii die undecima.

N°. 164. 1513—1521.

Acta novem capitulorum generalium praeside Wilhelmo a Rivo, Magistro Generali.

(P. Halloix Diffinitiones, Ms. in 8°. fol. 121—122. Codex defin. secundus in 4° et tertius in fol. in tabulario conventus Udensis).

(Loca Selecta).

Anno 1513—1516. Nihil notatu dignum.

Anno 1517. Item ordinamus sub poenis privationis beneficiorum ordinis et sanctae obedientiae, ne virtute confessionalium aliquis cuicumque confiteatur, nisi per praelatum proprium ad id ordinato, prout declaratum est per sedem apostolicam (*a*).

Anno 1518. *Ordinatio.* Interdicimus sub poenis inobedientiae et privationis officiorum, ne novitius recipiatur ad professionem, qui in novitiatu commisit crimen dignum culpa graviori, presertim in incontinentia, aut invasione cultelli, percussione, aut manifesta et pertinaci rebellione delinquens.

Diffiniti ad Angliam manebunt usque etc.

Anno 1519. Nihil notatu dignum.

(*a*) Haec bulla apostolica vid. pag. 16, n°. 165.

Anno 1520. Item prohibitae sunt hoc anno aliquorum subtunicae nigri coloris, panni preciosi, more curialium factae.

*[Incessit deformitas et abusus indecens, omni religioso materia peccati, in subtunicis aliquorum nigri coloris, panni praetiosi, etiam more curialium. Interdicimus omnibus nobis subjectis, etiam Prioribus, ut eas tollant et a se et a suis in virtute Spiritus Sancti et obedientiae. Mandamus omnibus Prioribus sub eadem virtute, ut puniant eos et sartores facientes et qui gestarunt aut gestant et parari fecerunt tales. Nam eos plecti decernimus poenis inobedientiae, ubi tales parati sunt, praeter obedientiam. De tunicis vero vetustis et detritis aut fere detritis, non curiosis, non intelligimus. Priores vero, qui in talibus deliquerunt aut consensum parandi ac gestandi tales diploides sive subtunicas, armigeris magis congruas, praestiterint, arbitrio et correctioni visitatorum reservamus] (*a*).

Anno 1521. *Approbatio.* Approbamus de pulsu tempore meridiano, ut supra. *Ordinatio.* Ordinamus quod adversus Priores suos appellantes, etiam ad P. R. ipso facto sint voce privati, nec audiri debent, alioquin non obtemperantes plectantur graviori culpa, quod si in veritate, et de plano constet eis inferri violentia, ex tunc seniores et saniores non suspecti de parcialitate, dirimant, aut alioquin de vicinioribus Prioribus advocent, qui matura deliberatione exponant materiam, verumtamen non recurrant ulteriora vel alia diverticula sub poena ut supra. Prohibemus etiam omnibus Prioribus et fratribus, ne in civitatibus, aut oppidis, ubi conventum habemus, praesertim Leodii, Coloniae et aliis in locis insignibus, mantellis incedant, aut alio habitu, quam in cappis, et cum sociis, et mane, et serotino tempore tempestive ad conventum redeant, alioquin ipsi Priores in eos manum correctionis mittant, prout statuta id declarant.

(*a*) Quae hic uncinis includuntur, habet Codex defin. Ms. Udensis tertius.

N°. 165. 20 Aug. 1516.

Leo X, P. M. limitat facultatem eligendi confessarium, si qua utantur Fratres Cruciferi et largitur indulgentias 500 *dierum, utentibus rosariis a Magistro Generali benedictis.*

(Apographum authenticum in bibliotheca seminarii Leodiensis).

Leo Papa decimus dilecto filio moderno Priori Generali Ordinis Cruciferorum. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Regularem vitam professis sic expedit subtrahi illicitorum et inquietudinis materiam, quod in comtemplationis suavitate gratum et tranquillum altissimo reddere valeant famulatum. Cum itaque, sicut accepimus, ab aliquot annis citra, multi ex fratribus tui Ordinis Cruciferorum, animo seu intentione, ut verisimile est, ab ipsius ordinis regularium institutorum observantia recedendi et laxius quam deceat vivendi, facultatem eligendi confessorem etiam saecularem vel alterius ordinis regularem, a nobis et a sede apostolica impetrarunt, cujus praetextu ordinariis confessoribus non sine suspicione mali prorsus relictis, confessores plerumque non solum institutorum regularium hujusmodi sed et horum prorsus ignaros, qui nec commissos excessus cognoscere, nec pro commissis poenitentiam salutarem injungere norunt, eligunt: quo fit ut male sanata vulnera cotidie recrudescant et latius serpant, ac se et alios indies sui contagione corrumpant. Et licet pro tempore existenti dicti Ordinis Generali Priori fratres sui ordinis, pro illorum quiete et conscientiae serenitate ac animarum salute, ab excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis in foro conscientiae tantum absolvendi, ac cum eis super irregularitate dispensandi, a sede praedicta sit concessa facultas; tamen si facultas dicto Priori pro tempore existenti concessa ad casus, qui ratione transgressionis dictorum institutorum et quotidianae consuetudinis fere

quotidiane emergunt et in utroque foro extenderetur, licentia eligendi confessores aliquam honestam limitationem reciperet, ex hoc ipsorum fratrum quieti et conscientiae serenitati ac animarum saluti salubriter provideretur (a). Quare nobis humiliter supplicari fecisti, ut super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui vacantibus sub regulari disciplina studio piae vitae in his libenter assistimus, quae eorum quietem et animarum salutem respicere dignoscuntur, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus, quod de cetero nullus in dicti ordinis et praetextu cujusvis indulti apostolici confessorem, qui prius non fuerit per suum mediatum vel immediatum superiorem approbatus, eligere possit; ac hujusmodi facultatem Priores Generales pro tempore existentes ad hoc, ut tu, quo tempore existens Prior Generalis praefatus, quoscumque ipsius ordinis fratres a quibusvis censuris et poenis, quas ratione violati silentii et in mensa et alibi et transgressionis dictorum institutorum ac alias juxta eadem instituta pro tempore incurrerint, in utroque foro absolvere et cum eis desuper dispensare libere et licite possitis, extendimus et ampliamus (a).

Et insuper de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, Christi fidelibus in rosariis beatae Mariae nuncupatis per te et successores tuos pro tempore benedictis, orationem dominicam vel salutationem angelicam devote dicentibus, quotiens id fecerint, indulgentiam quingentorum dierum misericorditer in Domino concedimus et elargimur, non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 20 Augusti, anno incarnationis Dominicae, millesimo quingentesimo sexto decimo, pontificatus nostri anno quarto.

(a) Mendosum: fideliter apographum exscribo.

N°. 166. 13 Aprilis 1517.

Erardus de Marcka, Episcopus Leodiensis laudans cultum crucis miraculosae in conventu Fr. Cruciferorum Silvaducensi, largitur 40 *dierum indulgentias iis, qui huic domui faverint.*

(Autographum membran. sigillo rubro, sed fracto, munitum in tabulario conventus Udensis).

Erardus de Marca Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Leodiensis, dux Bullonensis, comes Lossensis universis et singulis Christi fidelibus praesentes literas nostras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Et si cunctae orbis Ecclesiae sub sanctorum fundatae vocabulis sunt pia fidelium devotione venerandae, illis tamen, quae in honorem et sub sacratissimae Sanctae Crucis vocabulo dedicatae noscuntur, celebriori memoria convenit venerari; et quia admirabile signum S. Crucis, quod erit in coelo, cum Dominus ad judicandum venerit, et per quod ipse mundum redemit, qui ligno perierat; nec non discipulorum gesta nos admonent, ut in hujus mundi pelago, surgente procella, ad signum ipsum concurrere debeamus, hoc sane signum devotae considerationis indagine contemplantes et intra mentis arcana revolventes, quoniam in illo mundi salus pependerit, dignum quin ymo debitum recensemus, ut Ecclesiam Sacratissimae Crucis hujus modi gratiosis remissionis prosequamur gratiis, simul et impendiis ac indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur, ut monasterium Fratrum Cruciferorum oppidi Buscoducensis nostrae Leodiensis dioecesis, in quo imago Crucifixi multum maximeque admirabilis existit, cujus nullus homo sed solus Deus ut veridicorum relatione didicimus et ut pie creditur, fabricator extitit, debitis frequentetur honoribus, in suisque structuris et aedificiis debite reparetur, conservetur et manu teneatur, librisque, calicibus, luminaribus et aliis ornamentis ecclesiasticis, pro divino cultu

necessariis, decenter muniatur et a Christi fidelibus jugiter veneretur, in eo quoque cultus augmentetur divinus. Utque Christi fideles ipsi eo libentius devotionis causa ad dicti monasterii ecclesiam confluant, et ad hujusmodi reparationem, conservationem, manutentionem et munitionem manus promptius respective porrigant adjutrices, quo et hoc ibidem dono coelestis gratiae se conspexerint refertos. Nos igitur Erardus de omnipotentis Dei misericordia, beatissimique Lamberti martyris patroni nostri, ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus praefatis, in statu gratiae existentibus, qui praetactam Fratrum Cruciferorum ecclesiam coram praetacta imagine crucifixi, in Domini nostri Jhesu Christi nativitatis, Veneris Sanctae, Pascae, inventionis et exaltationis Sanctae Crucis, nec non dedicationis Ecclesiae, et Sanctarum Helenae et Katharinae, omnium sanctorum et animarum festivitatum diebus, a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive, quolibet die quinque *Pater Noster* et totidem salutationes Angelicas devote legerint et ad praemissa manus porrexerint adjutrices, pro singulis diebus festivitatum earumdem et in decantatione salutationis beatae Mariae virginis, singulis diebus post completorium decantandae, ac sermonibus et praedicationibus, dominicis et festivis diebus, in praedicta ecclesia praesentes fuerint, tociens quotiens praemissa fecerint et devote adimpleverint, quadraginta dies de injunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus, praesentibus perpetuis futurisque temporibus duraturis. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem et testimonium has praesentes nostras litteras exinde fieri ac sigillo nostro jussimus et fecimus appensione communiri. Datum in arce nostra Huyensi, sub anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo decimo septimo, mensis Aprilis die tertia decima.

N°. 167. 10 Nov. 1520.

Conventus Sanctimonialium in Huissen promittunt conventui S. Agathae annuum et hereditarium censum quinque florenorum Rhen. pro 100 *hujusmodi florenis sibi mutuo datis.*

(Codex donat. conventus S. Agathae fol. 208).

Wy brueder Willem Ingenulant pater, suster Lysbeth van den Hoeven matresche, Gryet ther Heeren Harven onder moeder, suster Erfffr. Oesterhuyss procuratersche int gemeyndt convent dess Besloeten susterhuyss bynnen Huyssen, van den derden orden dess heylighen vaders orders Sancti Francisci enz (*a*).

Gegeven int jaer onss Heren dusent vyfhondert en. twyntich op Sunte Martens avond in den wynter.

N°. 168. 1522—1529.

Acta octo capitulorum generalium praeside Laurentio Gladbachio, Magistro Generali.

(P. Halloix, Diffinitiones, Ms. in 8°. fol. 123 vso — 124. Codex defin. secundus in 4°. et tertius in fol. in tabulario conventus Udensis).

Loca Selecta.

Anno 1522. *Ordinatio.* Ordinamus quod Priores electi in conventibus non suis, si contingat eos ab officio sine culpa supportari, possunt in eisdem conventibus manere si velint, tanquam seniores domus ad determinationem capituli. Similiter fratres qui novum conventum erexerunt, poterunt in eodem remanere ut conventuales si eis placuerit. Item propter excessum fratrum donatorum conventus Vallis Liliorum prohibemus ne de cetero donatos in majori numero ad professionem recipi[at], quam sit numerus clericorum.

(*a*) Caetera exscribi nihil refert.

*[Item revocamus et annullamus praesentibus omnes gratias et privilegia in genere et specie fratribus nostris, tam clericis quam laicis a praedecessoribus nostris indulta et quo de caetero nullus clericus vel laicus talibus uti praesumat sub poenis privationis beneficiorum Ordinis] (*a*).

Anno 1523. Item hoc anno petente P. R. contribuerunt Priores ordinis circiter 100 aureos pro nova fenestra vitrea in choro Hoyensi, et est illa magna, in qua continetur historia Sanctae Odiliae.

Anno 1524. *Approbatio.* Praeterito anno approbata confirmamus. *Ordinatio.* Ordinamus quod fratres nostri non faciliter permittantur intrare cameram hospitum maxime juvenes, nec sine evidenti necessitate exire permittantur.

*[Item per praesentes declaramus, omnes nobis et capitulo generali subjectos ad divisionem nostri ordinis sacri laborantes, aut talibus favorem, consilium aut auxilium praestantes, ipso facto excommunicationis sententiam incurrisse, juxta statutorum nostrorum tenorem: eosque praevilegiis ac beneficiis totius nostri ordinis privamus in vita pariter et in morte, nisi resipuerint, et gratiam ac reconciliationem a Patre nostro generali obtinuerint].

Item ordinamus quod fratres clerici ante sacerdotium elocati, non promoveantur ad sacros ordines, nisi de consensu suorum Priorum conventualium, ubi professi sunt. Item cum gravioribus morbis acriora solent convenire antidota, et instante vel instigante diabolo Luteranum dogma, quod colluvies est multarum haeresum, jam pridem a sancta ecclesia condemnatarum, multorum corda pestifere infecit, et inficit quotidie, nos universis nobis subjectis districte mandamus, ac etiam exceptis poenis, quae ipso jure talibus imponuntur, sub poenis gravissimae culpae, quam carcerem vocamus, omnibus interdicimus, ne quis

(*a*) Quae uncinis includuntur, addito asterisco habet Codex Udensis tertius, sine asterisco Codex Udensis secundus.

hujus sectae libros habeat aut eidem inhaereat, volentes ut si quis inde maculatus repertus fuerit, convictus incarceretur et ad arbitrium patris reverendi poenitentiam agat.

Anno 1525. Nihil notatu dignum.

Anno 1526. *[Item diffinimus et ordinamus, quod Priores absentantes se a capitulo generali sine licentia speciali Patris nostri reverendi, dabunt sequenti anno pro hujusmodi absentia unam coronam regis Franciae, ad usum Ordinis applicandam, et nihilominus Priores erunt astricti mittere duos fratres capitulares ad capitulum generale cum procuratorio et contributione].

Anno 1527. *Ordinatio.* Ordinamus quod fratres stantes in gravi culpa, vel publica poenitentia non exeant septa monasterii absque evidenti ratione. Item ordinamus quod fratres nostri emissi, non intromittant se, nec levent sua patrimonia, sub poena gravioris culpae.

Anno 1528. *Approbatio.* Omnia ordinata anno praecedenti approbamus. *Ordinatio.* Ordinamus quod Priores qui decem annis honeste conversati sunt in officio, si supportantur ab officio propter senium, vel debilitatem, vel sui instantiam vel aliorum, habeant locum ubique post suppriorem, sintque supportati ab oneribus chori et conventus, visitent autem chorum secundum suam valetudinem, et capituli generalis ordinationem et quicumque cum eis proterve contendere praesumpserit, incurrat eandem poenam, ac si contra praelatum suum se erexisset. Quia etiam quidam timore Dei postposito, non verentur manus violentes inferre praelatis, diffinimus quod quicumque percusserit praelatum, sit voce et loco privatus, extremumque locum sui ordinis per totam vitam teneat, poenae vero gravioris culpae tribus annis subjaceat. Si autem, quod absit, quis praelatum enormiter laeserit, perpetuo carceri mancipetur.

*[Imprimis quia videmus plures fratres, quantum in se est, abjecto obedientiae vinculo, libertatem quaerere et ad depositionem suorum Priorum inverecunde laborare, eos perperam

diffamando, ideo diffinimus et ordinamus, quod accusatio adversus praelatum non admittatur, nec depositio, nisi quid tale commiserit, quod nullo modo deceat, secundum statuta tolerari. Qui autem sint casus, propter quos potest procedi ad depositionem praelati, declaramus quod hi sint, qui ponuntur in capitulo *Monachi de statu regularium*, videlicet si sint delapidatores vel incontinenter viventes, vel quid gravius etc.; alioquin si aliter subditus accusat praelatum, non servato ordine statutorum, incurrat poenam in statutis positam, videlicet gravioris culpae.

Item quia placuit sanctissimo Clementi Papae hujus nominis septimo, ut deferamus scapularia nigri coloris et etiam Prioribus constitutum propter uniformitatem in Ordine servandam: ideo diffinimus et ordinamus, ut omnes in festo exaltationis Sanctae Crucis proxime futuro et deinceps teneantur portare scapularia nigri coloris, et hoc praecipimus semel pro semper].

Anno 1529. Item ordinamus et sub poena gravioris culpae interdicimus, ne aliquis materiam scapularium nigri panni lanei (quia sic Clementi septimo placuit) immutet in quamvis aliam materiam. Item diffinimus quod novitii non loquantur saecularibus, nisi in praesentia magistri eorum, aut Prioris, aut alterius honesti fratris, cui Prior injunxerit. Item prohibemus sub poenis gravioris culpae, ne quis litteras sigillatas Patris Reverendi, aut Priorum falsificare praesumat, vel eis fraudulenter uti.

[Thomas de Gouda absolutus a prioratu conventus Mariae Laudis, ordinatus fuit in vicarium ac provincialem per totum regnum Franciae].

—

N°. 169. 1530—1537.

Acta octo capitulorum generalium, praeside Thoma Goudano, Magistro Generali.

(P. Halloix, Diffinitiones Ms. in 8°. fol. 124 vso. — 126. Codex defin. secundus in 4°. et tertius in tabulario conventus Udensis).

Anno 1530. Item quod novitii in nigro caputio probentur duobus mensibus.

Anno 1531. *[Committimus provinciali Franciae, quod ipse per Franciae regnum ordinet, ne quis investire audeat novitios, nisi duobus mensibus in caputio probentur] (*a*).

[Ordinatus fuit P. Henricus Prior in Doneton in nostrum vicarium et provincialem in toto regno Angliae generali auctoritate usque ad revocationem P. Generalis].

Anno 1532. *Ordinatio.* Ad memoriam reducta est ordinatio facta anno 1467 de apostatis et profugis capiendis, cujus tenor sic incipit: „admonemus singulos Priores et conventus ut si quosnam (*b*)", quod quidem non solum ad praefatos profugos et apostatas, sed etiam ad omnes falsos, et subdolos, sibi exemptiones procurantes, extendi volumus, et tales capi, et incarcerari praecipimus, invocato etiam ad hoc auxilio brachii secularis, nam constat ejusmodi plerumque falsas praetendere occasiones, et ob id juxta canonicas sanctiones male narrantes, male impetrare.

Anno 1533. Ordinamus ob varia pericula vitanda ne aliquis Prior fide jubeat, pro quacumque annua pensione cujuscumque beneficii, nisi de consensu P. R. aut capituli generalis.

Anno 1534. Item in eodem capitulo prohibitum fuit, ne quis uteretur libris Erasmi Roterodami.

(*a*) Quae uncinis includuntur, addito asterisco habet Codex Udensis tertius, sine asterisco Codex Udensis secundus.

(*b*) Cf. Cod. Dipl. T. I, pag. 298.

Anno 1535. *Confirmatio.* Confirmamus ne quis Prior fide jubeat etc. *Ordinatio.* Ordinamus quod fratres, qui non possunt interesse primae mensae, comedant in secunda mensa, sub silentio cum lectore, et silentium ibi non servantes, ac alii, quicumque in mensa silentium frangentes, poenitentiam agere sint astricti, ad terram sedendo, et aquam bibendo absque aliqua dispensatione. Item cum secundum prologum statutorum nostrorum, capitulo generali concessa sit authoritas interpretandi, statuendi, immutandi et diffiniendi circa statum et statuta ordinis, volumus quod diffinita et ordinata per patres, ac in tribus capitulis approbata, vim habeant constitutionis, et observentur, prout aliae ordinis constitutiones servari mandantur, ceterisque statutis scribantur et postilla in quotidianis capitulis legantur. Item praecipimus omnibus subjectis, quatenus visitatoribus cum ad eorum conventus declinaverint visitandos, salarium juxta tenorem statutorum plene solvant; contrarium facientes si Priores fuerint, suorum officiorum incurrant privationem, si fratres hujusmodi impedierint, voce ipso facto sint privati, ac infimum sui ordinis locum teneat.

Anno 1536. Nihil notatu dignum.

Anno 1537. Item ordinatum est semel pro semper, quod omnes fratres nostri uti debeant et teneantur camisiis laneis et non lineis, nisi in evidenti necessitate, et de licentia R. P. G. aut visitatorum, committentes Prioribus quatenus diligenter invigilent, et si apud quemlibet fratrem camisias lineas invenerint, auferant. Item ordinamus quatenus omnes fratres calligas deferant non bracchatas, nisi urgente necessitate, et speciali suorum Priorum licentia et quod cucullae scapularibus assuantur.

—

N°. 170. 13 Sept. 1531.

Arnoldus Gelriae Dux anno 1428 *mutuo acceperat* 800 *florenos aureos* (gouden vierlanssche koervorster Rijnsche gulden) *pro annuo censu* 80 *florenorum ejusdem monetae, solvendo ex telonio Mosae et nundinarum de Cuyck* (Maestol ende Marctol tot Kuyck), *quamdiu pecuniae caput non redderetur. Carolo V igitur, duci Gelriae ut placeret, conventus S. Agathae Prior illud creditori hereditario restituit, hac tamen lege, ut ex iisdem teloniis quotannis* 48 *floreni supradicti monasterio solverentur.*

(Autographum membran. sigillo rubro munitum, in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 171. 10 Aprilis 1534.

Conventus Sanctae Agathae accipit reliquias suae patronae (a), ab Abbate Aureae Vallis in dioecesi Treverensi.

(Autographum membran. sigillo munitum in tabulario conventus S. Agathae prope Cuik).

Nos Frater Godefridus permissione divina humilis Abbas monasterii beatae Mariae semper virginis Matris de Aurea Valle, Cistersiensis Ordinis, Treverensis dioecesis, universis et singulis praesentes litteras visuris seu audituris salutem, cum infrascriptorum notitia veritatis. Humillimis reverendi in Christo Patris et Domini, Domini Thomae de Gouda, conventus Huiensis nec non totius Ordinis S. Crucis, Dei patientia Prioris atque Magistri generalis, devicti precibus, portiunculas ossis et de velo divae virginis et martyris Agathae, a non paucis annis ad nos per fundatores ejusdem monasterii nostri non minus religione quam propaginis origine insignes, religiose allatas

(a) In asceterio S. Agathae hae reliquiae diebus lunae venerationi populi offeruntur, in monstrantia argentea deaurata inclusae.

atque abs piae memoriae praedecessoribus nostris hactenus in reverentia et honore, quibus decuit, quam diligentissime conservatas, conventui ejusdem ordinis divae virginis Agathae nuncupato et dedicato in parochia de Kuyck situato, pie et charitative damus et transmittimus, plenissime confidentes, nos ipsius sacratissimae virginis et martyris Agathae precibus et intercessione atque obsequio eidem virgini in dicto conventu exhibito et exhibendo, semper apud omnipotentem Deum plurimum adjuvari. Et ut praedictis fides adhibeatur integra, veritati testimonium perhibentes, eadem sigillo nostro Abbatiali praesentibus appenso approbavimus et approbamus. Datum in praedicto monasterio nostro, anno dominicae incarnationis millesimo quingentesimo trigesimo quarto, mensis Aprilis die decimo.

No. 172. 1538, 1539.

Acta duorum capitulorum generalium, praeside Henrico a Daventria, Magistro Generali.

(P. Halloix Diffinitiones, Ms. in 8o. fol. 126—127. Codex defin. secundus in 4o. et tertius in fol. in tabulario conventus Udensis).

Anno 1538. *Approbatio.* Omnia anno praeterito ordinata approbamus. *Ordinatio.* Item quia retroactis saepe temporibus multiplices et variae intervenere controversiae inter patres visitatores ab una, et conventuales Hoyenses ab altera [parte], super modum eligendi et numerum eligentium in electione Magistri generalis totius praedicti ordinis [et] Prioris Hoyensis. Jam enim pridem R. P. Thomas de Gouda magister generalis diem extremum claudens in conventu Leodiensi anno 1537, altera Luciae (*a*), Pater Gerardus de Monte Regio, Prior Namurcensis, diffinitor anni illius pro parte ordinis et sua procuratorem suum Fratrem Lambertum Maseick, et conventuales Hoyenses pro parte altera miserunt ex fratribus suis concapitularibus Fratrem Franconem

(*a*) Haec sententia ponatur in ablativo absoluto.

Lovaniensem, et Fratrem Anthonium Tomae, dicti conventus procuratorem, ad universitatem Lovaniensem, ibidem magistrorum nostrorum sacrae theologiae professorum, ac jurisperitorum consultationes inquisituros, quomodo et qualiter secundum Deum et conscientiam et sacrorum canonum rigorem, in novi Magistri generalis et Prioris Hoyensis electionem procedere deberent ac tenerentur. Qui ipsi magistri nostri sacrae paginae professores tam religiosi quam etiam saeculares totius universitatis famosissimi, sed et jurisperiti doctissimi, auditis utriusque partis allegationibus et perlustratis statutis ordinis, et omnibus ac singulis pro utraque parte actis et actitatis, matura deliberatione habita, concluserunt unanimiter atque exprese promulgaverunt, electionem praedicti Magistri et Prioris generalis debere fieri et in ipsa procedi opportere secundum modum per Innocentium Octavum datum, scilicet per octo diffinitores et omnes conventuales conventus Hoyensis. Praedictis ergo commissariis Lovanio redeuntibus, processum est ad electionem moderni Generalis [et] praedicti conventus Prioris, Fr. Henrici de Daventria unanimiter secundum modum per Innocentium Octavum datum, et consultationes doctorum praefatorum, nemine reclamante nec contradicente, sed omnibus electoribus post promulgatam electionem eandem conprobantibus et laudantibus. Quo circa pro communi utilitate, pace et tranquillitate ordinis, ac conventus Hoyensis, praedictam electionem rite et devote peractam et consummatam censemus per praesentes. Auctoritate capituli generalis, et omnium inibi existentium, totum ordinem nostrum repraesentantium, praecipimus atque in virtute sanctae obedientiae mandamus omnibus et singulis secundum dispositionem Innocentii Octavi et doctorum consultationes, praedictae electioni interesse habentibus, ut hunc ipsum modum semper teneant, observent ac tueantur, nihil in contrarium attentantes, neque per alios quoscumque fieri ac sollicitari curantes, sub poena gravioris culpae, et privationis loci, vocis et honoris per totam vi-

tam, sine dispensatione et relaxatione perficienda; eamdem poenam subsannatoribus atque calumniatoribus novissimae istius electionis, si qui sint aut in futurum inveniantur, tanquam destructoribus nostri ordinis, atque communis pacis turbatoribus infligentes per praesentes sine relaxatione ac relevamine: cum secundum consilia doctissimorum tot deberent esse Priores electores quot sunt vocales Hoyenses, et ob hoc ipsum etiam ratio ipsa dictet, quia Prior Hoyensis non solum est Prior Hoyensis, sed et Magister generalis totius ordinis. Sed et hoc nostrum decretum pro perpetua pace et concordia ordinatum, ut firmum semper et inconvulsum permaneat volumus, ut quantocius simul cum copiis bullae Innocentii Octavi, et doctorum praedictorum consultationibus, libris diffinitionum ascribatur, ut nemini in contrarium sollicitanti, aut facienti, ignorantia suffragio sit et excusationi.

Anno 1539. *Confirmatio.* Omnia anno praeterito approbata confirmamus. *Approbatio.* Ordinata approbamus. *Ordinatio.* Item ordinamus quod fratres per capitulum generale, sive per R. P. G., sive per visitatores, ad quemvis ordinis conventum transmissi, seu ordinati, si hujuscemodi ordinationibus inobedientes fuerint, seu etiam illi, qui alios ejusmodi ad rebellionem incitant, de facto, loco, voce et honore sint privati, omnibus juniores, et ad officia quaecumque inhabiles sint, donec per capitulum generale rehabilitentur ac restituantur. Eandem poenam (excepta poena constitutionibus inserta) infligimus illis, qui sine R. P. G. aut visitatoribus licentia, relictis conventibus ad quos erant transmissi, ad proprios alios ordinis conventus se transferunt. Item ordinamus ac singulis prioribus mandamus, quatenus diffinitiones seu constitutiones ab anno 1410 usque ad annum praesentem diffinitas, approbatas, confirmatas, cum ceteris novis constitutionibus quae in usu sunt, in libro constitutionum inscribi faciant, juxta tenorem eisdem anno futuro tradendum.

No. 173. 28 Jan. 1538.

Consultatio Professorum Lovaniensium de modo eligendi Magistri Ordinis S. Crucis Generalis.

(Codex Def. secundus in 4°. ad an. 1538, in tabulario conventus Udensis).

Sequitur consultatio doctorum Lovaniensium super certis dissidiis, ortis inter diffinitores capituli generalis Ordinis Fratrum S. Crucis, et conventum Huyensem, 1538 *in Januario, post discessum felicis recordationis R. P. F. Thomae de Gouda, antedicti Prioris et Magistri generalis.*

Visa copia litterarum Innocentii Papae VIII (*a*) super modo eligendi Priorem monasterii Huyensis Leodiensis dioecesis, eumdemque Priorem totius Ordinis Crucigerorum, Ordinis S. Augustini, concessarum ad supplicationem Prioris et conventus Huyensis, nec non definitorum capituli generalis ejusdem ordinis. Et nobis praesupposito, quod hujusmodi modus per dictum Innocentium datus seu confirmatus fuerit, de post in tribus aut aliquibus electionibus dicti Prioris observatus et quod in ultima electione facta infra octo aut decem annos proxime praeteritos de Priore nunc defuncto observatus non fuit, quod scilicet ad illam electionem non sint vocati nisi quatuor definitores, per quos cum conventu Huyensi fuit processum ad electionem, licet dicti quatuor definitores vocati petierint alios vocari et tandem propter dissentiones vitandas et scandalum, processerint cum fratribus dicti conventus Huyensis ad electionem, quae electio sortita est effectum, dictis quatuor definitoribus absentibus, qui juxta litteras Innocentii erant vocandi, non reclamantibus neque persequentibus contemptum. Visis etiam certis clausulis seu capitulis ex statutis Ordinis, et primo quodam capitulo de electione Prioris generalis confirmato ab Innocentio

(a) Hae literae occurrunt Cod. Dipl. T. I, pag. 431—434.

IV ac aliis tribus clausulis ex prologo constitutionum et ex capitulis de capitulo generali extractis, et praecipue finali clausula, qua prohibetur, ne Priores definitoribus, vel definitores Prioribus per suas definitiones praejudicium aliquod audeant generare; quod si hoc attentaverint, prohibetur, ne in hoc praesumat aliquis ei obedire. Viso similiter quodam actu seu certis litteris, per quas constat, quod anno 1513 octo definitores restituerunt conventum Huyensem in pristinum statum contra bullam praefatam Innocentii VIII. et infregerunt eamdem bullam seu annihilarunt, et quod illo non obstante de post modus per Innocentium datus seu confirmatus, fuerit in una electione immediate subsequente observatus, licet in ultima, ut praemittitur observatus non fuerit, prout haec latius in casu nobis ostenso narrantur.

Videtur nobis infrascriptis ad quaestionem circa dictum casum nobis motum, resolvendum, quod effectus dictae bullae Innocentii non est per factum octo dictorum definitorum, nec per electionem novissimam Prioris nunc defuncti sublatus, et quod apud dictos octo definitores simul cum conventu Huyensi sit et consistat verum jus eligendi Priorem Huyensem et Generalem ordinis, quodque praeterea de jure procedendum sit ad novi futuri Prioris Huyensis et Generalis electionem, secundum bullam praefatam Innocentii VIII, videlicet a toto conventu Huyensi et octo definitoribus. Et monemur, quia cum penes summum Pontificem sit plena dispositio ecclesiarum et monasteriorum, possitque idem summus Pontifex jus eligendi ac praeficiendi praelatum in aliqua ecclesia, monasterio seu aliquo Ordine regulari transferre in tot et tales personas, prout sibi placuerit, et in quem velit, aut sibi conservare *c. 2 de praebend.* in *b.*, et notarum per doctores in *c. quae in ecclesiam de praelatis;* sequitur ex bulla Innocentii jus eligendi Priorem Huyensem eumdemque Generalem totius Ordinis in dictos octo definitores una cum dicto conventu competiisse. Isti autem de-

finitores tractant negotia totius ordinis et censentur deputati seu commissarii totius ordinis, et ut tales ac nomine totius ordinis habent interesse electionibus dicti Prioris Huyensis. Ex quo iste est Prior, nédum conventus Huyensis, sed omnium conventuum totius ordinis, sicque nedum ex dictis statutis, verum etiam de jure non possunt alienare jura et privilegia totius ordinis sine consensu totius ordinis; ut in Tit. *de his quae fiunt a praelato sine consensu capituli* per totum et in Tit. *de rebus ecclesiae non alienandis* per totum, et notat Innocentius in *c. accedentibus* Tit. *de privilegiis c. de transactis*, satis probatur electio seu responsio nostra supra facta; nam dicit: „sive sint consuetudines sive constitutiones, sive privilegia honorabilia vel utilia ecclesiis, illa numquam illegitima renuntiari per unum, nec etiam per plures actus". Quia etiam particulares expresse illis renuntiare non possunt, etsi vellent, ut dicitur tit. *Praesens* et tit. *contra*, §. *final.* §. *de pactis*. Subdens: „nam in hoc casu si omnes de capitulo velint facere aliquid contra privilegium vel consuetas consuetudines, unus solus potest contradicere et etiam omnibus facientibus contra privilegium, si illud contrafactum vergit in praejudicium ecclesiae, Supprior potest et debet illud revocare".

Ex quibus dictis Innocentii sequitur, quod sicut dicto privilegio Innocentii non potuit fieri praejudicium per dictos octo definitores, nec per illos solos tolli aut infringi, ita etiam non potuit illi derogari, nec censetur illi derogatum, per unum actum contrarium seu per novissimam electionem, quae facta est contra dictum privilegium, videlicet per conventum Huyensem et quatuor definitores dumtaxat, ceteris quatuor minime vocatis. Nam et dicit Innocentius in dicto *c. Accedentibus:* „privilegium concessum ecclesiae, et non in favorem dumtaxat privatarum personarum vel alicujus privati", prout in casu nostro dictum privilegium aut concessio seu approbatio Innocentii non est concessa aut facta in favorem dumtaxat definitorum, tamquam

privatarum personarum, sed in favorem et contemplationem totius ordinis, non tollitur per contraventionem unius vel plurium actuum sed ultra actus requiritur spatium seu tempus 40 annorum. Idem volunt Panormus et Felinus in *c. cum accessissent de constitut.*, dicentes, quod si in casu dicti capituli privilegium seu statutum de certo numero canonicorum respexisset utilitatem ecclesiae, ut scilicet invenirentur idonei ministri ecclesiae, qui residere vellent, potuissent canonici illud allegare in favorum ecclesiae, licet non in favorem proprium, sic est in praeposito. Et si forte nunc essent definitores, qui contravenissent dicto privilegio, nihilonimus illi possunt se nunc juvare dicto privilegio nomine totius ordinis, cui censetur concessum et competere.

Praeterea ut quis perdat privilegium suum per non usum, requiritur, quod usum illius omisit sola voluntate, et non aliqua necessitate, aut causa legitima inductus. Ita notabiliter determinat Glossa in verbo *Ibidem*, Parnorm. et Decius in *c. Abbate* sane de verb. signif. et glossa in verbo *semel in anno*, in *c.* ut *privilegia de privilegiis*. Unde etiam dicit Innocentius in dicto capite *cum accessissent* circa finem. Quod per unicam contraventionem non perditur privilegium, si illa accedit ob timorem litis, et ita timor litis est justa causa omittendi usum privilegii, si forte privilegiatus videat vel suspicetur se pro tempore aliquo non posse uti privilegio absque magnis litibus, quarum sumptus ferre non posse se arbitraretur. Idem eadem ratione si omittat usum privilegii ob scandalum, vel aliud inconveniens vitandum.

Quare praemissis omnibus attentis, videtur nobis ut supra, justum fore et aequum, ut nedum 4 sed omnes 8 definitores admittantur juxta tenorem bullae Innocentii VIII.

Non obstat etiam, quod bulla praetacta est annihilata vel incisa aut forsan combusta, quia cum privilegium ipsum seu bulla semel contulit jus, illud jus tolli aut annihilari non po-

test, nisi legitimo modo, et sicut per perditionem bullae privilegii non perditur privilegium. *c. cum olim* 1 *et c. seq de privilegiis*, ita nec per incisionem aut annihilationem bullae, cum postquam jus semel est acquisitum, non requiritur bulla ad ipsius esse, sed dumtaxat ad probationem.

Non debet etiam movere, quod quidam dicant ordinationem approbatam per litteras Innocentii VIII ex mala radice processisse, quia contrarium patet ex eisdem litteris Innocentii VIII, quia ante litteras Innocentii facultas eligendi residebat apud 8 definitores, et totidem 8 fratres Hoyenses: at per dictam ordinationem dicta facultas eligendi conceditur 8 definitoribus et toti conventui Huyensi et haec ordinatio, ut dictum est, ad instantiam etiam conventus Huyensis per sedem apostolicam est confirmata.

Neque etiam per has litteras Innocentii VIII est derogatum antiquis statutis ordinis, imo per easdem litteras statuta et consuetudines approbantur, ut patet eas intuenti. Ergo si in vim statuti electus olim confirmabatur, etiam nunc electus in vim ejusdem confirmabitur. Nam Innocentius VIII non sustulit statutum sed confirmavit, adjiciens etiam ad supplicationem conventus Huyensis, ut dictum est, ad 4 definitores, de quibus in statuto, quod disponit de electione Prioris Generalis, alios quatuor, qui definitores fuerant anni praecedentis, statuto alias in suo robore manente.

Nec obsunt 4 adjectis definitoribus protestationes factae pro parte conventus Huyensis, quia per litteras Innocentii VIII fuit illis definitoribus acquisitum jus, quod tolli non potest protestatione conventus, non accedente consensu illorum, quibus hoc jus competebat.

Ita mihi Michaeli Driver, juris utriusque doctori dicendum videtur, judicio cujuslibet melius sentientis semper salvo.

Similiter et mihi Joanni Slamans, J. U. Licentiato.

Visa copia Innocentii VIII super modo eligendi Priorem monasterii Huyensis et simul totius Ordinis Priorem Generalem et aliis documentis, quorum mentio fit in principio praecedentis consultationis, visum est nobis subscriptis, quod electio Prioris supradicti debeat fieri secundum dispositionem litterarum Innocentii VIII, scil. per 8 definitores et totum conventum Huyensem, eo quod ex his, quae nobis exhibita sunt, non constat de subreptitia impetratione earumdem litterarum, nec quod metus, vis aut dolus intervenerit, nec etiam de legitimo recessu ab eisdem Innocentii litteris per Ordinem vel per generale capitulum.

Ita et mihi videtur Ruardo Tapper, S. theolog. professori et ecclesiae S. Petri Lovaniensis decano, salvo judicio melius sentientium.

Et mihi Jacobo Latomi, S. theolog. professori similiter videtur.

Jure compellendus venit conventus Huyensis servare, quod per bullam Innocentii VIII imperatum est. Nam si tamquam privilegium impetrans consensit in petitum, et omni in contrarium facienti renuntiavit impetratione bullae, unde certum est, admittendos cum conventu 8 definitores ad futuri R. P. Generalis Prioris electionem. Nullo itaque pacto ab ejusmodi electionis forma recedendum est (*a*), nec obstat factum ultimae praeteritae electionis; processum enim est in ea ad vitandum dissentiones et scandala.

Ita mihi videtur F. Matthaeo Priem, de Buscoducis Ord. FF. Praedicatorum, conventus Lovaniensis, S. theolog. humili professori, et in eodem conventu studii regenti.

Id ipsum sentit honorandus P. F. Godefridus Stryroy de Diest, S. theol. professor et Prior Fratrum Praedicatorum in

(*a*) Margini adscriptum: »Et hoc modo, ut consultum est, electus fuit Henricus de Daventria".

Lovanio, qui post diutinam habitam in hac re et maturam deliberationem, petiit ex me Fratre Matthaeo, qui supra, ut ejusdem nomine id testarer, quoniam praeventus necessitate, antequam scribere posset, accersitus est Bruxellam. Ita testor manu propria nomine magistri nostri Prioris et meo.

Ego Fr. Matthaeus, qui supra, 1538, 28 Januarii, stylo Leodiensi.

N°. 174. Febr. 1538.

Fundatio Erardi de Marca, Leodiensis dioecesis Episcopi, in ecclesia Cruciferorum domus primariae Huyensis, ut a fratribus ejus memoria pie quotannis recoleretur.

(Apographum chartac. in tabulario conventus S. Agathae).

Pro fundatione cordis R^mi et generosi principis Erardi de Marca, legati a latere Presbyteri Cardinalis, tituli Sancti Crisogoni, Archiepiscopi Valentiae, Episcopi Leodiensis etc.

Intentio praefati Domini legati R^mi Cardinalis est, quod ubi jam reliquit memoriam cordis sui in domo Fratrum Cruciferorum Huyensium sicut jam apparet, ut singulis diebus post summam missam Presbyter, diaconus et subdiaconus accedant ad sepulchrum cordis, dicant ea quae sequuntur. „Oremus pro anima famuli tui cujus cor hic sepultum est. Miserere mei Deus", cum psalmo „de profundis", deinde „requiem" cum aliis versiculis consuetis. „Pater Noster. Et ne nos inducas in tentationem sed libera nos a malo". Versus „A porta inferi. R. Erue Domine animam ejus. Requiescant in pace. Amen. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. Et cum Spiritu tuo. Oremus. Inclina quaesimus Domine aures tuas ad preces nostras, quibus misericordiam tuam suppliciter deprecamur, ut animam famuli tui Erardi, quondam legati Cardinalis et Episcopi Leodiensis, quam de hoc saeculo migrare jussisti, in

pacis ac lucis regione constituas et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem etc. Deus veniae largitor, et „fidelium" pro fratribus si placet. Tamen non intendit R^{mus} Dominus Cardinalis fundator, quod post summam missam officium divinum retardatur, sed secundum consuetudinem temporis. Post „ite missa est", vel „Benedicamus Domino", statim incipiatur Sexta, Nona, vel Vesperae, secundum tempus. Sed solummodo Presbyter, diaconus et subdiaconus accedant ad dictum sepulchrum et legant submissa voce psalmos et preces praenarratas.

Pro ista autem fundatione dictus R^{mus} Dominus Cardinalis fundator consignat, in prompta et numerata pecunia, octingentos florenos monetae Brabantiae in dicta moneta ad emendos triginta alios florenos ejusdem monetae annui valoris, quod est vigesimus quintus denarius pro denario. Si autem minori praecio possint emi tanto melius pro conventu. Tamen intelligit dictus Dominus R^{mus} Cardinalis fundator, quod ex dicta acquisitione fratres in quatuor temporibus anni, scilicet singulis feriis quartis, habeant ex dicta acquisitione quatuor florenos dictae monetae pro pitantia et vino, residuum vero dictae acquisitionis sit ad usum dicti conventus. Idem Dominus R^{mus} Cardinalis fundator intelligit et suae intentionis existit, quod dictis feriis quartis, quando habebunt pitantiam ut praefertur, quilibet religiosus qui celebraverit, legat collectam suprascriptam videlicet „Inclina etc." pro refrigerio praefati R^{mi} Domini Cardinalis fundatoris, et si praefati religiosi iisdem quartis feriis quatuor temporum velint celebrare missam de *requiem* pro praefato R^{mo} Domino Cardinali fundatore, idem Dominus R^{mus} fundator se refert ad devotionem eorum. Et sicut in anniversario cautum est, ut quatuor ex senioribus fratribus habeant jurare, quod observaverint et observabunt fundationem dicti anniversarii, similiter jurabunt quod observabunt et observaverint suo tempore quae supra scribuntur. Ac de praemissis omnibus Bur-

gimagistri et Scabini oppidi Huyensis. qui juramentum quatuor seniorum in die anniversarii recipiunt, similiter de praemissis recipere tenebuntur et in libris eorum autenticis annotari facient. Hoc etiam vult praefatus R^{mus} Dominus Cardinalis, quod emptio facta per religiosos de praefatis octingentis florenis, si non observentur ea quae supra scripta sunt, Dominus R^{mus} Cardinalis fundator intelligit, intendit et vult, quod dicti redditus empti ex praefatis octingentis florenis media pars cedat ad commodum dictorum Burgimagistrorum, et reliqua pars Scabinis cedat; proviso tamen quod Burgimagistri et Scabini praefati pro anima praefati R^{mi} Domini fundatoris ad Deum preces fundere et orari facere tenebuntur et erunt astricti. Omnibus fraude et dolo tam pro R^{mo} Domino fundatore quam pro acceptantibus praefatis fratribus semotis et seclusis.

Fundatio obitus R^{mi} Domini Erardi de Marcka, generosi principis Legati Leodiensis et Presbyteri Cardinalis Sancti Crisogoni, Archiepiscopi Valentiae, Episcopi Leodiensis etc. prout ipse idem in vulgari Gallico scripsit et ordinavit, translatum est in latino quasi de verbo ad verbum.

Pro fundatione nostri obitus, conventui Cruciferorum in villa nostra Huyensi, dimittimus septingentos et viginti florenos Brabantiae, ad emendos triginta florenos monetae supradictae Brabantiae, XXIIII florenos pro floreno, pro anniversario nostro annuatim celebrando in dicto conventu secundum modum sequentem. Item anniversarium nostrum omni anno celebrabitur et servabitur semper feria secunda post festa Nativitatis Domini, videlicet feria secunda vigiliae, et missa servabitur feria tertia sequente. Veruntamen si festum Circumcisionis Domini venerit feria secunda, tunc anticipabitur vel transferetur, ita quod vigiliae semper fiant feria secunda et missa feria tertia sequenti. Et est intentio nostra et voluntas, quod vigiliae cantentur solemniter cum novem psalmis et lectionibus

ac laudibus. Similiter missa cantabitur solemniter et erit ultima quae canetur in ecclesia Cruciferorum. Post summam missam cantabitur „Libera me Domine" cum pleno cantu, sicut canitur in ecclesia nostra Sancti Lamberti in civitate Leodiensi. In quo anniversario comparebunt duo Burgimagistri et clericus eorum et septem Scabini cum clerico eorumdem dictae nostrae villae Huyensis feria tertia ad summam missam a principio usque ad finem. Praedicti vero clerici feria secunda praecedenti erunt in vigiliis et significabunt magistris suis, quod dictae vigiliae celebratae sunt et cantatae, sicut dictum est. Et habebunt dicti Burgimagistri, septem Scabini et ambo clerici quilibet eorum quinque stuferos Brabantiae, facientes pariter duos florenos, XV st. Brabantiae et etiam prandium, isto modo sequenti: scilicet dimidium mutonem quarum (*a*) ambae spatulae assabuntur, reliquum in hospot; duos capones bulitos et duos assatos, et quilibet unum pottum vini de meliori quod in villa inveniri poterit, cervisiam, panem et caseum, et in discessu mensae quilibet quinque stuferos praenominatos. Durante vero missa undecim personae, videlicet Burgimagistri, septem Scabini et duo clerici, quilibet eorum erit obligatus dicere sub eadem missa unum rosarium Beatae Mariae virginis pro redemptione animae nostrae. Propterea intentio nostra est, quod si aliquis de dictis magistris aut Scabinis sive clericis, pro causis villae aut justiciae esset extra nostram dictam villam, aut aliquis eorum infirmaretur, habebunt et habebit distributionem dictam V st., similiter dicendo unum rosarium sicut dictum est. Cruciferi vero tribus diebus durantibus quolibet die quinque florenos Brabantiae pro pitantia et vinum de meliori quod inveniri poterit in villa Huyensi; habebunt etiam duo religiosi unum pottum vini et quatuor laici sive donati unum pottum vini servan [?]. Primus die dominica, secundus in vigiliarum, tertius vero in die missae, finito pran-

(*a*) *Quarum* lege *cujus*.

dio, senior Burgimagister cum seniore Scabino recipient juramentum a tribus senioribus religiosis percipientibus si pitantia sit distributa dictis fratribus religiosis, sicut superius fit mentio. Praedicti religiosi celebrabunt missas pro redemptione animae ejus, et dicent „Miserere mei Deus et de profundis" (tribus diebus durantibus) post gratias suas consuetas prandii sui. Item residuum de dictis triginta florenis haereditariis applicabitur ad profectum dicti conventus, sicut placuerit Generali, Suppriori et conventui supradictis ordinare. Et facient fieri luminare ad hoc requisitum, scilicet quatuor candelas circa feretrum et duas candelas supra summum altare cum armis R^mi^. Ex quo ergo ordinavimus per testamentum nostrum, quod intestina nostra sepeliantur in choro ecclesiae et conventus dictorum Cruciferorum, ante aquilam, stantem in dicto choro, quando dicta intestina deferentur vel portabuntur, praedicti Fratres Cruciferi, Burgimagistri, Scabini cum duobus clericis suis tenebuntur ire obviam usque ad portam, per quam intestina deportabuntur et cum processione deferre usque ad dictam ecclesiam, dicendo vigilias, et altero die missam. Et si ordinaverimus in testamento nostro aliquam summam denariorum, tunc habebunt secundum ordinationem nostram sine aliqua distributione aut pitantia et obligati servare et facere. Item septingenti floreni Brabantiae supradicti ponentur in manu justitiae ad acquirendum ea quae dicta sunt. Et si forte largius acquisierint, erit pro profectu dictorum fratrum religiosorum Cruciferorum. Casu quo dicti Cruciferi non agerent ea quae narrata sunt obsequia, praedictos redditus habebunt Burgimagistri, proviso tamen quod facient celebrare dicta obsequia in ecclesia nostrae Dominae Huyensis, sicut dictum est. Et erunt dicti Burgimagistri et Scabini obligati, facere juramentum intertenendi dictam fundationem. Pariformiter etiam suis successoribus facient fieri juramentum observandi. Verumtamen si superveniret guerra, quod Deus avertat, et quod dicti fratres non possent gaudere de

redditibus acquisitis, nos committimus illud Burgimagistris ac Scabinis, ut agant cum iisdem saepedictis fratribus secundum quod justicia, aequitas et ratio dictaverit.

N°. 175. 1540—1561.

Acta viginti duorum capitulorum generalium, praeside Theodorico Ubachio, Magistro Generali.

(P. Halloix, Diffinitiones Ms. in 8°. fol. 128—131. Codex defin. secundus in 4°. et tertius in fol., in tabulario conventus Udensis).

Anno 1540. *Confirmatio.* Omnia approbata confirmamus, nempe de electione generalis.

Anno 1541. *Ordinatio.* Item quod omnibus Prioribus in sua confirmatione datur potestas plenaria, et administratio tam temporalium quam spiritualium, hinc est, quod quorundam procuratorum temerariae praesumptioni, qui se ratione officii sui contra Priores suos se erigunt, cupientes obviare, diffinimus ac praecipimus eisdem, sub poenis inobedientiae [et] privationis suorum officiorum, ne tale quid de cetero attemptent, sed omnia Priorum suorum consilio faciant et disponant, attento quod ipsi non sint Priorum suorum domini, sed ministri et adjutores in temporalibus tantum, veluti suppriores in spiritualibus tantum, quos praesenti statuto monitos volumus.

Anno 1542. *Approbatio.* Omnia anno praecedenti ordinata approbamus. *Ordinatio.* Ordinamus et admonemus Priores, ut cautiores sint, nec faciles in relaxandis poenitentiis gravis, et gravioris culpae, praecipue in restitutione loci et vocis. Item declaramus, quod nunquam licitum fuit, aut sit, nec intentio Ven. patrum capituli generalis unquam fuerit, praetextum communis licentiatorii, quod in capitulis generalibus dari solitum est, conventus ordinis nostri gravare posse gravioribus, aut solemnibus aliquibus perpetuis oneribus, multo minus bona haereditaria alienare, sine singulari et expresso licentiatorio, sigillo

ordinis, aut ad causas per R. P. G. sigillato, necessitatibus conventuum cum maturo consilio primo auditis et discussis, nullitatem contrarium attemptantibus, cunctis per praesentes notam facimus. Item quod apostatae nullius instantia aut auctoritate recipiantur, nisi per R. P. Generalem et ad poenam carceris.

Anno 1543. *Approbatio.* Omnia praeterito anno ordinata approbamus. Hoc anno pauci fuerunt propter magnum bellum quod fuit inter Brabantos et Juliacenses.

*[Et quia tempora sunt nunc periculosa, tum ex haeresum erroribus, tum ex principum discordiis, ordinamus, quod in singulis ordinis nostri conventibus ad minus semel in hebdomada cantentur litaniae, forma et modo, quibus diebus rogationum] (*a*).

Anno 1544. Celebratum quidem fuit capitulum generale, sed tamen nihil certi actum est quod ad mores attinet.

Anno 1545. *Ordinatio.* Ordinamus quod singulos quosque officiarios, praelatis suis cum contumacia et rebellione inobedientes ac protervos, praesentium tenore privamus (*b*) voce et ad praelaturam ineligibiles, donec per capitulum generale rehabilitentur. Item quod omnium meminisse nec alicujus oblivisci, divini potius quam humani ingenii est, et gestorum quorumcumque oblitorum multarum questionum materiam parit, ordinamus quod singuli quique conventus librum habeant, in quo omnia, quae consensu capitulari conclusa fuerint, conscribantur, quatenus litium cavillatio et turbationum occasio omnis tollatur.

Anno 1546. } [Nihil diffinitum est].
„ 1547. }

Anno 1548. *Ordinatio.* In primis quando leges factas [esse]

(*a*) Quae uncinis includuntur, addito asterisco habet Codex Udensis tertius, sine asterisco Codex Udensis secundus.

(*b*) F. Hulloix habet *sint privati voce.* Ex Codice 3tio correximus.

constet, quatenus eorum metu humana coerceatur audacia, et tuta inter improbos sit innocentia, et in ipsis improbis formido supplicii refrenetur audacia etc., hinc est quod poenam gravissimae culpae, quae nullis, nisi in iis tantum qui praeceptum et remedium contemserint, debet irrogari, arbitrio Priorum committimus, sic ut habito prius consilio R. P. G. et expensa qualitate delinquentium, aut expulsionis, aut carceris poenam praevaricatoribus decernere possint. Similiter* quorumdam temeritati occurrere cupientes, qui nullam superiorum suorum rationem habentes, ipsis rebelles sunt, praesentibus hujusmodi omni voce privamus activa et passiva, nec nisi per R. P. Generalem restituimus, qua poena etiam puniendos decernimus percussores. Item quod circa Priorum electionem variare quam plures comperimus, nec passim omnes in omnibus conventibus eadem ratione procedunt, diffinimus quod deinceps is, qui majora ultra eligentium medietatem vota habuerit, in Priorem dumtaxat eligatur.

Anno 1549. *Approbatio.* Omnia anno praecedenti ordinata approbamus. *Ordinatio.* Ordinamus et declaramus semel pro semper, quod a potestate ordinis nostri habentes litteras exemptionis vel privilegiorum, quas bullas vocant, a curia romana, vel quocumque legato aut praelato, non recipiantur iterum ad ordinem, nisi resignent hujusmodi bullas, aut privilegia sua ad manus Priorum suorum, et agant poenitentiam secundum dictamen eorundem Priorum.

Anno 1550. [Nihil diffinitum est].

Anno 1551. *[Quum statuta nostra mandant, quatenus omnes Priores annis singulis ad capitulum veniant generale, advertentes hujus mandati quosdam immemores levicula ex causa se absentare, diffinimus et ordinamus, quod quicumque Priorum aut rectorum conventuum nostrorum capitulo generali adesse neglexerit, privatione sui officii dignum esse se alienumque a fratrum communione agnoscat, donec a Priore nostro R^do^ fuerit

absolutus: non intendentes interim eos, qui aegritudinis aut alia gravi necessitate impediuntur, hoc ligari statuto. Cum rei judicium visitatorum committimus judicio ac arbitrio; neque enim eos, quibus concessum est de biennio in biennium comparere.

Praeterea ante quosdam, ante annos ferme quinquaginta, diffinitionibus Priorum cautum est, ne laici tempore visitationis suorum conventuum ad scutinium admittantur; cui decreto quosdam non obtemperare dolenter audivimus, quare Priorum insistentes vestigiis hujusmodi admonemus, quatenus temeritate sua relicta diffinitioni anni millesimi quingentesimi secundi se conforment, quum hanc inviolabiliter observari ab omnibus volumus, non obstante quacumque in contrarium consuetudine, praesentibus visitatoribus eorum conventuum praecipientes, ne quicumque contra haec attentent].

Anno 1552—1555. Nihil notatu dignum.

Anno 1556. *Ordinatio*. Quoniam conventuum Priores et rectores ad hanc nostram synodum annuam, neque comparuisse, neque absentiae suae causas, statum conventus, et qualitatem, utpote procuratorium, et defunctorum suorum nomina, non misisse constat, ordinamus atque praecipimus, quatenus visitatores eorumdem conventuum diligenter inquirant absentiae causas, vel contemptum investigent, atque quoscumque culpabiles invenerint, puniant, prout ipsis in mandatis dedimus.

*[Item volumus et mandamus semel pro semper, quod conventus noster communiter hactenus latino idiomate Vallis Liliorum dictus, propter certas causas ad hoc nos moventes, monialium eodem nomine appellanti[bus], non Vallis Liliorum sed vulgari nomine Valkenhaghen vocitetur et scribatur].

Anno 1557. Nihil notatu dignum.

Anno 1558. [Fr. Joannes Bongart ordinatus fuit visitator conventuum Westphaliae, scil. Domus Lapideae, Glintfelt, Valkenhagen, Montis Orientis, Bentlagen et Novae Lucis.

Ceterum ut omnibus innotescat denuo, quoniam contra de-

finitionem [anni] 1521 factam nonnulli praecipue juniores ex levi vel nulla causa appellant a Priorum suorum correctione ad R. P. Generalem, considerantes ejusmodi appellationem esse etiam audaciae fulcimentum, declaramus semel pro semper, hujusmodi appellationem fore nullius momenti, Prioresque procedere debere contra tales secundum eamdem definitionem praedictam].

Anno 1559. Nihil actum.

Anno 1560. *[In primis declaramus semel pro semper, quod ob varios abusus saepius emergentes exorbitantium quorundam officialium diffinita annis superioribus, nempe millesimo quingentesimo et quarto de donatis ac mill^{mo} quingentesimo quadragesimo primo, de supprioribus nominatim, atque de procuratoribus, intelligi debeat pari ratione de omnibus et singulis officialibus, tam sacerdotibus, quam laicis, sub poenis ibidem de non parentibus ordinationibus capituli generalis taxatis.

Anno 1561. *Confirmatio.* Confirmamus de poena gravissimae culpae, aut expulsionis praecepti et remedii contemptoribus infligendae, declarantes quod temporum novitas, et perditorum nequitia alia requirit remedia, veterem formam statutorum et regulae insequentes, decernimus et ordinamus, quod quicumque sacerdotum sive clericorum, sive etiam donatorum proterve sese erexerint, opposuerint, restiterint contra praelatos suos, in qua eandem proterviam pertinaciter poenam condignam subire renuens permanserit, post trinam admonitionem in hunc tanquam desperatum Priores animadvertere poterunt, ut videlicet ordinis habitum exutum, teristro indutum, ex aliorum coetu propellant.

—

No. 176. 1540—1555.

Chronicon conventus S. Agathae prope Cuik.

(Codex chartac. in fol. in tabulario conventus praedicti, in quo Prior Rudolphus van den Broick 10 paginis scripsit ea, quae memoria digna arbitratus est. Perpauca hic publici juris facienda duximus).

Quoniam anno ab Incarnatione Domini 1545 in capitulo nostro Generali definitum et annis sequentibus approbatum confirmatumque fuit, quod singuli ordinis nostri conventus haberent librum, in quo fideliter scriberentur, quaecumque consensu capitulari conclusa essent, ad vitandam olim dissentionum et quaestionum materiam (quae ex actorum gestorumque oblivione nasci solet), [sequentia] digesta sunt. Adjuncta praeterea si quae conventui sive ex legatis piisque donationibus, emptionibus, patrimoniis fratrum, aut eorum causa collatis, modo alicujus momenti essent, advenissent, quoniam et illorum habere notitiam conventus interesse videbatur. Postremo quae ex bonis conventus haereditariis divendita, commutata, onerata aut quovis alio modo alienata essent. In his autem is modus servatus est, ut non superflua sed necessaria tantum sint annotata.

Anno ab Incarnatione Domini 1540 ipsa exaltatione S. Crucis, venerabili Patre Henrico Hoeffsleger a Kempis, Priore conventus hujus S. Agathae, qui in eo officio annis 36 laudabiliter praefuit, rebus humanis in conventu Busciducensi exempto, quo visitationis causa reliquis Zelandiae et Hollandiae conventibus visitatis concesserat, electus fuit ipsa die Cosmae et Damiani in locum defuncti ejusdem conventus frater, F. Rodolphus de Palude a Gravia.

Anno 1542. Feria 6ª ante Penthecosten, quae fuit tertia dies mensis Junii, obiit Domicella Elizabeth de Gronsteyn, uxor Ottonis de Wylack, Domini de Gribbenvorst et satrapae in Gennep, sepulta in choro nostro pridie Penthecostes, obtulitque

Otto praedictus sub Missa bussulam cum 50 equitibus, facientibus 57 florenos, 10 stuferos Brabantiae.

Anno 1550. Martii 24 concessa est Fratri Petro Laico de Mercksel incorporatio in conventu Workumensi.

Anno 1551. Octobris 9 professus est Frater Guilielmus Heynsberch.

Anno 1553. Septembris 30 Joannes Bay, acceptatus in prebendarium sub conditionibus prout habetur in literis scabinalibus desuper confectis.

Anno 1554. Junii 29. Ob damna magna et omnem commeatum, qui conventui suffecisset, a militibus gregariis, quibus conventus totis decem et amplius continuis diebus obruebatur, consumptum, annua pensio de 300 florenis admissa, quos Julii 25, Goesvinus de Mens numeravit.

N°. 177. 23 Nov. 1547.

Carolus V, Romanorum imperator, conventum Cruciferorum Coloniensem, ejusque possessiones suscipit in suam protectionem.

(Apographum authenticum in fol. typis editum in diplomate Leopoldi Imperatoris an. 1671, pag. 5).

Carolus Divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus ac Rex Germaniae, Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Insularum Balearum, Sardiniae, Fortunatarum et Indiarum, ac terrae firmae maris Oceani etc., Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Lothrici, Brabantiae, Lymburgiae, Lucemburgiae, Geldriae, Wirttembergae etc., Comes Habspurgi, Flandriae, Tyrolis, Arthesiae et Burgundiae, Palatinus Hannoniae, Hollandiae, Zeelandiae, Ferreti, Kyburgi, Namurci et Zutphaniae, Landgravius Alsatiae, Marchio Burgoviae et Sacri Romani Imperii etc., Princeps Sue-

viae etc., Dominus Frisiae, Molinae, Salinarum, Tripolis et Mechliniae etc. ad perpetuam rei memoriam.

Notum facimus ac memoriae commendamus harum serie, quibus expedit universis, quod quum imperatoriae majestatis officium, a Deo optimo maximo nobis creditum, sedulo nos commoneat, ut ecclesias Dei, earumque ministros divinis obsequiis deditos, tam legum beneficio, quam auctoritatis nostrae praesidio confoveamus, eorum privilegia, libertates et jura, nunc vetera renovantes, restituentes et confirmantes, nunc nova, pro rerum et temporum ratione, largientes et nobis pro parte honorabilis ac religiosorum, devote nobis dilectorum, Joannis a Bongart Prioris et N. conventus monasterii Ordinis Cruciferorum in civitate nostra imperiali Colonia reverenter ac humiliter supplicatum fuerit, ut ipsis et eorum monasterio omnia et singula eorum privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, libertates, concessiones, donationes, gratias, favores, census, fructus, redditus, decimas, proventus, obventiones, jura, dominia, territoria, praedia, feuda, churmoda, emphiteuses, villas, vineas curias, bannos et terminos, jurisdictiones, judiciorum constitutiones, officiorum advocati et quorumcumque aliorum liberas concessiones et revocationes, fori praescriptiones, appellationes, jurium sententiarum et rerum judicatarum executiones, contractus et transactiones, sine fraude, legitime et rite factas, mores, usus et consuetudines, possessiones seu quasi, ac alia quaecunque jura personalia, realia et mixta, ad ipsos eorumque monasterium quomodolibet spectantes et spectantia, innovare, approbare, confirmare et convalidare ex imperiali authoritate nostra dignaremur.

Nos itaque, qui justa petentium vota libenter amplectimur, praesertim eorum, qui suis precibus, vota quoque nostra pro Imperii salute, apud Deum optimum maximum adjuvare possunt, praefatorum Prioris et conventus honestis precibus et postulatis benigne annuentes, attenta tum eorum in nos sacrum

Romanum Imperium syncera devotione, tum verae pietatis affectu, religionis observantia, ac laudabilis vitae conversatione, quo nomine plurimum apud nos commendati sunt, et ut divino cultui, qui in eo monasterio diu noctuque peragitur, eo ferventius, sepositis terrenarum rerum curis, invigilare valeant; proinde animo deliberato, ex certa scientia, sano principum et procerum nostrorum accedente consilio, ac de nostra imperialis potestatis plenitudine, praedictis Priori et conventui Ordinis Cruciferorum Coloniae, eorumque monasterio, omnia et singula eorum privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, libertates, concessiones, donationes, gratias, favores, census, fructus, redditus, proventus, obventiones, dominia, territoria, praedia, feuda, churmoda, emphiteuses, villas, vineas, curias, bannos et terminos, jurisdictiones, judiciorum constitutiones, officiorum advocati et quarumcunque aliarum personarum, et rerum liberas concessiones et revocationes, fori praescriptiones, appellationes, jurium, sententiarum et rerum judicatarum executiones, contractus, transactiones, rite et legitime, sine dolo ac fraude factas, mores, usus et consuetudines laudabiles, possessiones, seu quasi et alia quaecunque jura quocunque nomine censeantur, realia, personalia et mixta, eisdem Priori, conventui et monasterio, a divis praedecessoribus nostris Romanorum Imperatoribus et regibus Augustae memoriae et aliis quibuscunque Principibus et Christi fidelibus rite data et concessa, aut alias tam de jure communi, quam speciali concessione, privilegio, aut alio quovis justo titulo competentes et competentia, in quorum possessione, vel quasi fuerunt et sunt aut de jure esse deberent, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis et verborum expressionibus approbavimus, confirmavimus, ratificavimus et innovavimus ac tenore praesentium approbamus, confirmamus, ratificamus et innovamus, et imperialis auctoritatis et decreti nostri robore munimus, decernentes ac volentes ea

omnia perpetuum robur et firmitatem tam praesentibus quam futuris perpetuis temporibus, intra et extra judicium habere et obtinere; ita quod praefati Prior et conventus, eorumque successores, illis omnibus et singulis libere et quiete, absque aliqua contradictione et impedimento uti, frui et potiri possint et valeant, quemadmodum ipsi et eorum praedecessores illis usi sunt, seu uti de jure debuissent, ac deberent, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, et praesertim non obstante, quod si praemissa, vel eorum aliqua, quocunque tempore occupata seu invasa fuerint, per quoscunque alienata, rapta per vim, aut quolibet ausu, vel potentia, dolo, vel fraude injuste in laesionem enormem rerum et jurium ipsius monasterii distracta, et extra eorum potestatem posita, contra solemnitatem juris essent. Nos enim tales et quascunque alias violentas occupationes, invasiones, rapinas et distractiones et inde sequuta cassas et irritas, cassaque et irrita decernimus, dictosque Priorem, conventum et monasterium, adversus ea et eorum quodlibet, ex certa scientia, et imperiali auctoritate nostra, et de plenitudine potestatis in integrum restituimus, praesentium tenore, supplentes omnes et quoscunque defectus juris et facti, si qui quovis modo praemissis intervenissent, aut dici, vel allegari possent. Mandantes propterea universis et singulis electoribus aliisque principibus tam ecclesiasticis quam saecularibus, praelatis, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, clientibus, capitaneis, vice dominis, praefectis, castellanis, locum tenentibus, officialibus, scultetis, Burgimagistris, judicibus, consulibus, civibus, communitatibus et aliis quibuscunque nostris ac Sacri Romani imperii subditis et fidelibus dilectis, cujuscunque praeeminentiae, dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, ut praefatos Priorem, conventum, et monasterium ordinis Cruciferorum Coloniae, memoratis suis privilegiis, bonis, rebus, possessionibus, juribus, jurisdictionibus, territoriis, dominiis, bannis et terminis et hac nostra confirmatione,

innovatione, cassatione et restitutione libere uti et frui permittant, nec ipsos, eorumve monasterium, in eis aut aliquo eorum impediant, perturbent, gravent, molestent, nec ab aliis perturbari, gravari, molestari, aut inquietari sinant, quovis colore seu praetextu sub poenis infra exprimendis.

Caeterum quia saepe numero contingit reipublicae causa nos extra fines imperii Germanicae nationis proficisci et propterea difficile foret praefatis Priori et conventui, pro executione et conservatione jurium et privilegiorum suorum, et hujus confirmationis et restitutionis nostrae, in omnibus casibus, controversiis, querelis et gravaminibus, nostrae imperialis majestatis praesentiam adire, et semper ad nos habere recursum. Idcirco, animo, scientia et auctoritate praefatis, venerabiles N. Coloniensem et Trevirensem Archi-Episcopos, Sacri Romani imperii per Italiam, Galliam et Regnum Arelatense Archi-Cancellarios et illustres N. comitem Palatinum, Rheni Archidapiferum ac Duces Juliae, Cliviae et Montis, electores principes et consanguineos nostros charissimos; nec non generosos, nobiles, honorabiles, doctos, devotos ac nostros et imperii sacri fideles dilectos N. judices et assessores judicii camerae nostrae imperialis, ac locum tenentem, seu gubernatorem ducatus nostri Geldrensis et comitatus Zutphaniensis, ac honorabiles, devotos nostros ac imperii sacri fideles N. decanum et capitulum Metropolitanae ecclesiae, ac Pro-Consules, Consules et Scabinos Regiae Sedis et imperialis civitatis nostrae Aquisgrani et Coloniae Agrippinae, nec non officialem ac procuratorem fiscalem Coloniensis Curiae, qui pro tempore fuerint, eorumque omnium successores, conjunctim et divisim et quemlibet eorum, in solidum praedictorum privilegiorum, libertatum, rerum, bonorum, possessionum, jurisdictionum et jurium quorumcunque tam personalium quam realium et mixtorum, supranominati monasterii Prioris et conventus, eorumque successorum, ac hujus nostrae confirmationis, ratificationis, innovationis, cassationis, restitutio-

nis et decreti conservatores et exequutores in solidum, nostro nomine et vice ad beneplacitum et revocationem nostram, et successorum nostrorum in imperio, duximus eligendos et deputandos, ac tenore praesentium eligimus et deputamus, eisdem et cuilibet eorum serio, et sub nostrae ac sacri imperii gratiae obtentu, praecipientes et mandantes, quatenus ipsi et eorum quilibet, qui super hujusmodi privilegiorum, libertatum, jurium, personarum et rerum protectione, tuitione et defensione, per eosdem Priorem et conventum, aut eorum successores, conjunctim vel divisim requisitus vel requisiti fuerint, toties, quoties se casus obtulerit, eisdem Priori et conventui, eorumque successoribus efficaci defensione nostra imperiali auctoritate assistant. Non permittentes eosdem in personis, privilegiis, libertatibus, bonis, rebus, possessionibus, jurisdictionibus et quibuscunque aliis juribus suis et ipsius monasterii, tam concessis, obtentis et possessis, quam in futurum, sive successionis sive donationis, legati, emptionis, aut quocunque alio legitimo titulo concedendis, obtinendis et possidendis, per quempiam injuste et indebite molestari, inquietari, turbari, spoliari, seu iis gravamina, damna, arresta, represalias, vim, violentiam et injurias quovis quaesito praetextu inferri; quin potius ipsos Priorem et conventum ex nostrae Romanae Caesareae Celsitudinis potestate et auctoritate fideliter et citra ullam recusationem, defendere, tueri, fovere et manutenere studeant. Occupatores, detentores, molestatores, concussores, invasores, spoliatores, arrestatores et injuriatores, si qui reperiantur, nec non contradictores, rebelles et inobedientes, omnibus remediis opportunis coercendo et jure defensionis compescendo et contra praemissa, vel aliqua eorum in nostrae imperialis majestatis contemptum, et dicti monasterii ac Prioris et conventus ejusdem, eorumque successorum, personarum, jurium, rerum et privilegiorum laesionem, vel abolitionem facientes, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, aut conditionis extiterint, quandocunque et

quotiescunque opus fuerit, praeter poenas juris communis et in dictis privilegiis contentas, etiam ad infrascriptas poenas procedant, ipsosque vice et auctoritate nostra Caesarea compescant et compellant, ut a molestationibus, inquietationibus, turbationibus, spoliationibus, arrestationibus, invasionibus, aliisque gravaminibus, damnis et injuriis desistant et abstineant, invocato etiam eorum praesidio et auxilio, quorum ad hoc videbitur invocandum. Hoc nostro Caesareo statuentes edicto in perpetuum valituro, ut omnes et singuli principes, tam ecclesiastici, quam saeculares, Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites, Nobiles et Plebei in quacunque dignitate, officio, aut statu constituti sint, qui a privatis conservatoribus et executoribus, seu aliquo eorum requisiti fuerint eisdem et successoribus eorum, nostro nomine, loco et vice adsistant, faveant, opitulentur atque obtemperent, dictosque Priorem, conventum et monasterium Cruciferorum Coloniae, eorumque personas, bonas, res, possessiones, privilegia, libertates, jurisdictiones et jura supradicta et alia quaecunque et quocunque nomine nuncupentur, ad eos communiter, vel divisim pertinentia, quae idem Prior et conventus, eorumque successores tam jure fundationis, donationis et concessionis, quam alio legitimo titulo in praesentiarum possident, aut quorum legitimam in futurum nacti fuerint possessionem, efficaciter tuendos et conservandos suscipiant ac tueantur, defendant, conservent et manuteneant; nec quicquam in contrarium facere seu attentare praesumant. Et si quis etiam ex numero ipsorum conservatorum et executorum, clam vel palam per se vel per alios contra praemissa fecerit, aut attentare praesumpserit, reliqui ad hoc requisiti, aut certiores redditi, contra eundem, tanquam quemlibet alium reum aut rebellem, sub eisdem poenis et modis procedant, vimque atque injuriam coerceant. Super quibus omnibus et singulis, sic ut supra peragendis et exequendis, ipsis conservatoribus et executoribus nostris, et eorum cuilibet auc-

toritate nostra praedicta plenam potestatem concedimus, nostris tamen et imperii sacri juribus semper salvis.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostrae approbationis, confirmationis, ratificationis, innovationis, cassationis, restitutionis, concessionis decreti, gratiae et voluntatis paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contravenire. Si quis autem contra haec fecerit, aut attentaverit, nostram et imperii sacri indignationem gravissimam, ac praeter poenas in praedicti monasterii privilegiis et litteris contentas, et quas jura in violatores personarum et rerum ecclesiasticarum statuunt atque decernunt, poenam sexaginta marcarum auri puri, toties quoties contrafactum fuerit, se noverit ipso facto incurrisse; quarum dimidiam imperiali fisco, seu aerario nostro, reliquam vero partem praefatis Priori, conventui ac monasterio Cruciferorum Coloniae, et eorum successoribus, atque dictis conservatoribus ad requisitionem praefati Prioris et conventus comparentibus, et officio suo fungentibus, decernimus irremissibiliter applicandam, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum et sigilli nostri appensione munitarum. Datum in civitate nostra imperiali Augusta Vindelica, die vigesimo tertio mensis Novembris, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, imperii vigesimo octavo et regnorum nostrorum trigesimo secundo etc.

CAROLUS.

Vt. Asserenos.

Ad mandatum Caesareae et Catholicae Majestatis proprium.

OBERNBÜRGER.

N°. 178. 17 Junii 1557.

Promissio commemorationis annuae animae Ottonis de Wylick, Domini de Gribbenvorst et Gronsteyn, in ecclesia conventus S. Agathae sepulti.

(Codex chartac. pag. 46, n°. 176 laudatus post chronicon conventus S. Agathae).

Wy Rodolff de Palude Prior, Jacob Lynden Supprior, Jacob Puffelick Procurator, und voirtz wy gemeyne conventualen des geestlichen cloesters und convents Sancte Agathe, in den lande van Kuyck gelegen, doin konde, alsoe der Erentveste und fromme Ott van Wylick, doe hy leefden, Heer toe Gribbenfoirst, und Drost inder Hetter, der zielen God genedich syn moet, in onser kercken by synen lieven vader und syner liever moder, und Huysfrauwen zaelig. gedachte, begerten gehadt syn lichaem ther erden toe brengen ind toe begraven, wie dain oick syne lieve soen der Erentveste Christophell van Wylick, Heer thoe Gronsteyn, mit sampt syne liefde swageren, die Erentveste Dederich van dem Botzeler, Erffschenck, und warn Heren van Pallant, Here zu Zeelhem etc. achtervolgende die dispositie oers lieven Vaders vorgenoemt, dat lichaem op hueden dato alhyr in onser kerken eirlichen als eyne Christen mynsche behoirt ther erden ghebrachte und bestaet hebben, und dain gemelte Ott van Wylick ons in syne testamento eyns besatt und gegeven heeft, hondert Joichim daller, als dat wy und alle onse nacommelingen ten ewigen dagen toe, eyn gedechteniss und erff memorie sullen halden, omtrint acht dage voer off nae Pynxsten. Und dat ein Prior inder tyt op den selven dagh den Heren und Priesters deses conventz des middachs, gebraden und gesaden, und dair toe eynne yderen eyn mengelen wyns geven soll, doch mit sulichen bescheyt: als imfall wy off onse nacommelingen hier in naelatigh befunden, und die

selve memorie nae synen des stifftens Otten van Wylick zael. willen und begeeren niet en hielden, dat wy und onse nacommelinge alsdan gehalden syn sullen Christophere van Wylick, des voirgenoemde Otten van Wylick zael. soen und syn erven die hondert Joichim daller wederom te rugge thoe geven, umb die selve tot behoeff der armen nae oeren gutbeduncken indem fall thoe keren, und toe verhantreichen. Soe bekennen wy dairnae voir ons, und allen onseren nacommelingen, dat ons durch baven gemelten Christophere van Wylick die selve hondert Joichim daller, mit sampt allen onkosten die wy op der begreffeniss syns lieven vaders zaelig. vurgenoemt gedaen und angewant, tot onseren waell benugen, gutlichen wtgericht ende betaelt syn, und bedancken onss van den selven allen gueder entrichtonghe und betalonge, scheldende dair aff gemelten Christopheren van Wylick und syne erven, und alle die gene soe des quytscheldens bederven, loss, ledich und quyt. Und ghelaven vermitz diesem voir ons und onseren nacommelingen, dat wy die ghedechtniss und erff memorie nae der begeerte und den wyllen des vurgen. Otten van Wylicks zael. alsoe onsumelich und sonder naelaeten erfflich und bis ten ewigen daghen toe, alle und etlich jair op der boven benoempter tyt halden sullen ende willen dair voir wy ons und onser nacommelingen guedere soe wy tzunder hebben off naemaels krygen moegen verbyndende. Als imfall wye off onse nacommelinge die memorie alle jaire, und alsoe wie boven gemelt, niet haldende en wurden, dat alsdan Christophell van Wylick und syne erven, ons und onseren nacommelingen die hondert Joichim daller weder aff maenen, und sich der selver aen allen unseren, und onser nacommelingen guederen als vurgen. verhalen sullen moghen, alst hem goet beduncken ende dat beste gelegen syn sall. Allet sonder argelist und diss in oirkunde und getuychniss der wairheit, hebben wy Prior, Supprior ende Procurator mit voerweten, willen und believen unser mede bruederen und

conventualen, onsen conventz segell voir ons und onseren nacommelingen aen diesen brieff gehangen. Die gegheven inden jair ons Heren duysent vijffhondert seven ende vyfftich, des donredachs op des Heiligen Sacramentsdach, und was den seventhienden dach Juny.

N°. 179. 23 April. 1559.

Pactum conventum Priorem procuratoremque monasterii Ter Apel, in agro Groningano, inter et chirurgum quemdam, de conventualium vena bis per annum incidenda.

(Autographum chartac. in tabulario provinciae Groninganae, mecum a viro cons. H. O. Feith communicatum).

Inden jaer ons Heeren dusent vyffhundert unde negen unde vyfftych syn wy Prior (*a*) unde procurator meth meester Henryck Wyspelwy, up dach Georgii Martyris, over een ghekoemen, in de kaerkencamer yn by wesent Johan Spyckman, dat wy hem jaerlycks sullen geven IIII drentsen mudde roggen, unde een paer laurkeyen schoen, unde over dat anderde jaer een paer leerse en dat leer daer toe unde fyn, daer nycht sculdych tho maeken, dan hy sall de selffst laeten maken war dat hem best belevet, unde sullen lanck wesen als aen de kneen, waer voer meester Henryck hefft gheloevet bysunder II mael des jaers toe uns the koemen om the laeten eens des Meys unde eens des Herffst, offte uns van noede waer vacker the koemen sall hy altyt bereyt wesen. Desse sedelen syn twe alleens luedende met den naem Jhesus doersneden.

(*a*) Hic erat Cornelius van Nymmeghen.

N°. 180. 1562—1575.

Acta novem capitulorum generalium, praeside Antonio Fresenio Odorpio, Magistro Generali.

(P. Halloix Diffinitiones, Ms. in 8°. fol. 131 vso. — 133. Codex defin. secundus in 4°. et tertius in fol. in tabulario conventus Udensis).

Anno 1562. *Approbatio.* Omnia anno praeterito ordinata approbamus. *Ordinatio.* Quum hoc depravatissimo saeculo in nonnullis conventibus nostri ordinis, post quorundam fratrum rebellionem, vesana in dies magis magisque grassatur praesumptio, qui clausuras, serasque in cameris, januis aut cistis fabricari et affigi procurant, quarum Priores non habent claves, in quibus vel libros vetitos, vel arma offensiva, imo bombardas recondunt et habent, ordinamus quod in singulis visitationibus conventuum, cellae et camerae, modo quo R. P. G. et visitatoribus visum fuerit, visiteutur, ac praevaricatores si qui reperti fuerint, poena gravioris culpae mulctentur et puniantur.

Anno 1563. *Confirmatio.* Omnia anno praeterito approbata confirmamus. *Approbatio.* Ordinata approbamus. *Ordinatio.* Item quoniam variarum [rerum] discrimina, temporumque pericula difficulter admittunt profectiones virorum religiosorum, praeter quam quod non pauci conventus in dies deficere videntur, tum propter alia in horis advenientia, et rei familiaris caristae incommoda, tum etiam principum exactiones, hinc est quod per praesentes declaramus anno proximo non futurum capitulum; nullo modo tamen per hoc intendentes, nec in minimo quidem derogare privilegiis, statutis, indultis, bullis quibuscumque, sive R. P. G. sive ordinem, sive domum Hoyensem concernentibus, a quibusvis romanis pontificibus, sive aliis praelatis aut etiam principibus impetratis, committentes etiam ejusdem anni visitationem discretioni R. P., hoc adjecto, quod nihil suo tempore diminuatur de contributione capituli generalis singulis annis dari

consueta, secundum Priorum statuta. Item Priores notabili corporis infirmitate aut debilitate praepediti, teneantur mittere suppriorem, aut procuratorem ad capitulum sub poena quatuor florenorum aureorum ad usum ordinis applicandorum.

Anno 1564. Hoc anno non fuit factum capitulum ut praecedenti anno dictum est.

Anno 1565. *[Imprimis quod capitulum generale simili modo ut antea in biennium suspendimus, ita tamen ut contributio, sicuti tum in praesenti immediate capitulo generali satis declaratum fuit, licet nonnulli male intellexerint, numeretur dupla] (*a*).

Anno 1566. Non fuit celebratum capitulum ut in praecedenti anni diffinitione reperies.

Anno 1568. *Confirmatio.* Quae fuerunt ultimo capitulo approbata confirmamus, et capitulum in biennium iterum suspensum est.

Anno 1569. Non fuit factum capitulum sicut diffinitum fuit anno praeterito.

Anno 1570. *Ordinatio.* Ordinamus quod conventus ordinis nostri ad quos declinant visitatores, vel R. P. G. eosdem conventus visitandi causa admittere debent visitationem juxta dispositionem capituli generalis, seu P. R.; alioquin, si unus conventus egeat visitatione, aliis vicinioribus hanc non requirentibus, salarium illius visitati conventus neutiquam sufficiet pro expensis itineris visitatorum.

In biennium capitulum suspensum est.

Anno 1571. Non fuit celebratum capitulum, quia in superiori anno dictum fuerat, quod suspenderetur in biennium.

Anno 1572. *Ordinatio.* Quoniam in rogationibus capitularibus, quae fiunt in commodum majus conventuum, sive de bonis permutandis, aut alienandis et cetera, sive pro juvenum re-

(*a*) Quae hic et in sequentibus, uncinis includuntur, habet Codex defin. Ms. Udensis tertius.

ceptione, nonnulli reddunt se difficiles et morosos praeter aequum, ideo ordinamus quod hujusmodi recusantes, rationem reddere suae recusationis debeant, sub poena privationis suae vocis ea vice, de ceteris, si quae desint, remittimus ad diffinitionem anni 1495.

Item suspendimus capitulum in biennium.

Anno 1573. Non fuit factum capitulum, veluti praecedenti anno diffinitum fuit.

Anno 1575. *Approbatio.* Omnia anno praeterito ordinata approbamus. *Ordinatio.* Ordinamus quod ubi duo vel tres tantum sunt fratres in uno conventu, debeant acquiescere hortationibus R. P. G. aut suorum visitatorum in electione Priorum suorum sub poena privationis vocis. Item propter varias causas nos moventes, praecipimus Prioribus Hollandiae, Phrisiae, cum Scermer et Nova Luce, [ut] conscribant omnia bona immobilia, videlicet terras et redditus annuos simul cum oneribus, et ad R. P. G. transmittere (*a*), ne quid faciliter pereat, idque proximo capitulo. Item punientur poena suspensionis a divinis non venientes ad capitulum, nec mittentes suppriorem, aut procuratorem, nec contributionem.

*[Item quia notum est pleroseque Priores potuisse sese praesentes exhibere nostrae capitulari congregationi sicuti et alii vicini. Ideo praesenti clausula monemus omnes et singulos, ne posthac tam leviter se excusent, quin legitime detenti, mittant vel suppriorem, vel suos procuratores, ut decretum est, alioquin punientur poena suspensionis a divinis.

Similiter fiet, nisi justas quisque mittat contributiones secundum Priorum decreta].

(*a*) *Transmittere* lege: *transmittant.*

N°. 181. 18 Febr. 1564.

Literae emptionis conventus Novae Lucis in ter Apel, in agro Groningano, an. 1458 *et* 1476 *declarantur authenticae.*

(Apographum authenticum in tabulario provinciae Groninganae, mecum a viro cons. H. O. Feith communicatum).

Ick Engelbert van Ensse, coninckiycker majesteyts raedt, droest thoe Covorden, und der landtscap van Drenthe, doe kundt, dat die werden und religiosenn heren Evrardus van den Hardenberch supprior, und Everardus van den Bussch, procurator des conventz van der Apel, my getoent, voergebracht ende lesen latenn hebben einen ongecanceleerden brieff, zu franschin gescreven, mit twe uthangende zegelen van groenen wasse, und soe deselve brieff overmitz verloep ende lanckheit des tydes verduistert, afgesleten ende qualyck leesber was, und besorgende noch mer worden muchet, hebben die vorss. heren supprior ende procurator my gebeden, uten naem ende van wegen horen convent voirss., up dat die lanckheit und verloep vanden tyde, de welcke anderen te bate ende te voerdel plach to gelangen, haer niet hinderlicken edder nadeylich en sy, op dat oeck de waerheyt tot allen tyden stadt gripe ende gestarcket mach worden, dat ick denn selven brieff onder myn handt ende segel wolde doenn utschriven, vernyen ende darvan enen vidimus maken, dat welck ick Engelbert van Ensse, droest voirsz., om beden ende redenen wyllen vorss., den voirss. heren niet en hebbe konnen weigeren, ende hebbe den selven brieff naeden besten sinne ende verstande, als mogelicken was doen uthscriven, und onder myn handt ende segel laten vernyen, gelick van wordt tot wordt hier nae volcht: Wy broeder Mathias [etc. Occurrit haec charta ad an. 1476, T. I, pag. 474, n°. 157].

In oirkunde der waerheit hebbe ick Engelbert van Ensse,

drost vorss., min handt hyr onder gesat, ende myn segel an dessen [breiff] gehangen, up den achteinden February anno XV^{c} veer und tsestich. E. VAN ENSSE.

N°. 182. 8 Aug. 1566.

Guilielmus Auriacus, Dominus territorii de Cuik, conventum S. Agathae ejusque possessiones suscipit in suam protectionem.

(Charta authentica in tabulario ejusdem conventus; bis).

Wilhelm byder gratien Godtz Prince van Oraengien, Grave van Nassau, van Catzenelnboghe, van Vyanden, van Diets, van Tonnerre, van Charun etc.; Heere Baron van Breda, van Diest, van Grimbergen, vander Lecke, van Warsten, vander Nydevaert, van Arlan, van Noseray, van Chastelvelm; Pantheer vanden Grave ende landen van Cuyck; Borchgrave van Antwerpen ende van Besanchon; Ridder vander orden des Gulden Vlies; Stahthouder ende Capiteyn Generaell van Burgundien, van Hollant, van Zelant ende van Utrecht; allen Capiteynen, Oversten, Rytmesters, hoop- ende beveelsluyden van ruyteren ende knechten, ende voirts allen anderen, onder syner Majestaet besoldinghe, die desen onsen brieff zien sullen, saluyt. Alzoe (milder gedachtenis) onse voirvaderen Graven tot Bueren oick Pantheren waren vanden Grave ende lande van Cuyck vurss., alle tyt in hoer zunderlinghe protectie gehadt hebben tconvent en gadtzhuys van synt Achgten, in den selven lande van Cuyck gelegen, doen te weeten, dat wy ten versuecke ende ernsighe bede vanden Prior ende gemeyne conventualen des selven godtzhuys, om redenen voirss. ende andere ons dair toe bewegende, doir die goede gunste ende affectie, die wy thenwaertz syn dragende, de selve oick gestelt ende genomen hebben, stellen ende nemen by desen in gelicke protectie, beschermenisse ende sauvegarde, metzsgaders alle des conventzs pachtenaeren, hoeve-

naeren ende dynaeren, hoeren woenynghen, pachthoeven, moelen, schueren, beesten, provande, leeftouchten, fouragie, karen, haver, hoy, stroe ende alle anderen huer gueden nyet uytgenomen, om voir alle fortsse, gewelt, overlast ende schaede bewaert te zyn, hen consentirende dat zy in kennisse ende teeken onser wapen opte porten vanden convente huysyngen ende woeningen, hoeven ende guederen slaen ende stellen moegen. Befelen dair om well ernstelicken den ghenen onder onsen bevell ende gehoersamheit staende, versoeckende aen allen anderen, dat zy den voirss. Prior ende religiosen hoer gaedtzhuys, hoeven, dynaeren, ende guederen doende ende gedogende dese onse beschermenisse ende sauvegarde volcomelick ende peyselick genieten ende gebruycken, niet en doen noch laeten geschieden ennige oeverlast, gewalt, moeyte, schaede oft verlies by vuytfueren off afnemen van hoere provande, beesten, granen, fouragien oft andere goeden, in wat manyren dat het zy, maer soe vele in u luyden is de selve van onsen twegen dair voir beschuedden ende beschermen. Sulx willen wy tegen eene ydere nae zyn gelegentheit gerne wederom (a) verschulden ende bedencken. Ende dat die ghene onder onsen bevell zyn, hier inne volgen onsen wille ende meyninghe, dese zoe lange ons gelieven sal durende. Des toirconden hebben wy onsen naem hier ondergeteekent, ende onsen zegell van wapens daer aen doen hangen (b). Gegeven tot Antwerpen opten viii[e] dach in Augusto anno xv[c] sess ende tsestich.

GUILLE DE NASSAU.

(a) *Wederom*, in altera charta legitur *weder*.

(b) Sigillum neque chartae appensum neque impressum fuit. Usus sigilli tunc temporis minus erat frequens, ast loquendi formula antiquitus usurpata manebat.

—

N°. 183. 20 Febr. 1567.

Priori conventus Fr. Cruciferorum in oppido Asperensi facultas datur, monasterii possessiones oppignerandi.

(Charta authentica in tabulario conventus S. Agathae).

Wy broeder Peter van Reckelichuysen Supprior, broeder Dirck van Arssen Procurator, broeder Claes Valckenborch senior en voorts de gemeene conventualen der Cruysbroederen binnen Asperen, doen condt eenen yegelicken dient behoirt, ende bekennen midts desen dat wy omme te vervallen die grote excessive schade, lasten ende achterwesen, daer inne wy deur den inbreken van wateren ende andere veele quaede jaeren gecomen ende verlopen syn, midts voirgaende capitulaer deliberatie, consent ende overdracht, geconstitueert ende volmachticht hebben, constitueren ende maecken volmachtich midts desen, den eersamen ende discreten broeder Paeschen van Meerhoudt, onssen Prior, gevende den selven volcomen macht, last, authoriteyt ende speciale beveel omme van onssen ende onssen convents wegen te moghen beswaeren, belasten ende tot hypoteke stellen ofte verbinden onssen landen, ofte een deel van dien, die wy hebben leggende in den lande van Gelre, in die enicheyt van Tuyll ende van Deyll, oeck die selve te moghen transporteren naer rechte ende naer costume locael, ende indient noot sy, daer up te versuecken ende te impetreren octroy, believen ende consent van myn Heeren van de Raede tot Aernhem ende elders daert behoire, ende van node wesen sal. En voorts generalick en specialick alle in dese saecke midts daer aen cleven mach, te moghen doen, dat wy alle present ende voor oghen wesende selver mit hande ende mit monde souden connen oft moghen doen, al waert oeck soe dat de saecke breeder ende speciaeler macht behoefde, een ofte meer andere in synen plaetse te mogen stellen ende substitueren gelycke macht

hebbende, ist noot; gelovende te houden over goet vast ende van weerde allet gundt wes by den voorss. onssen Prior int gundt dat voorss. is gedaen, gehandelt ende gebesoongneert sal worden onder tverbant van allen onssen goeden. Allet ter goeder trouwen. Oirkonde onsse convents zeegel hier beneden opt spatium van desen gedruct (*a*). Gedaen up ten xx[en] dach in Februario A°. xv[c] zeven ende tsestich, stilo communi.

N°. 184. 17 Martii 1567.

Conventus Fr. Cruciferorum S. Agathae emit duos census annuos a fratribus sui ordinis in monasterio Asperensi, cujus possessiones oppignerantur, quamdiu pecuniae caput non redditur.

(Membrana Authentica, tribus sigillis munita, in tabulario conventus S. Agathae).

Wy Heyman Aerts zoon ende Jan Hermans zoon Scepenen in Ackoy, doen condt een yegelicke, dat voor ons in properen personen gecomen ende gecompareert syn die eerbaren ende discreten broeder Paschasius van Meerhoudt Prior ende broeder Dirck van Arssen, Procurator der Cruysbroederen binnen Asperen, ons verthonende eenen volmachts brieff mit heuren convents segel besegelt als tot desen geauthoriseert wesende, ende hebben alsoe bekent voor heur ende heuren nacomelingen, dat sy mit goede deliberatie ende voorbedachten raede en wetentheyt in titule van rechte wettelicke erfcoop vercoft hebben ende in crachte deses briefs vercopen, den geestelicken heer Broeder Ottho van Doesborgh, Prior der Cruysbroederen van Sinte Aghaten, inde lande van Cuyck, ende tot behoeff syns voorss. convents, eerst een jaer renthe van ses gouden ryder gulden, goet van goude en swaer van gewichte tot xxiiii stuvers Brabants tstuck, of ander goet payment dier weerde, daer

(*a*) Sigillum perditum est.

voor sulcx als inder tyt der betalinge in Hollandt ende in Brabant gancbaer wesen sal, te betalen alle jaer up Sinte Agnieten dach, als den xxi^en January, daer den eersten dach van betalinge aff wesen sal Sinte Agneten dach voorss. als men scryven sal xv^c acht ende tsestich stilo communi, ende alsoe voort van jaere tot jaere, ende noch een jaerlicxe renthe van sess golden Hartoch Phillips gulden sjaers te betalen elcke Phillips gulden voorss. mit vyf ende twintich stuvers Brabants aen golde penningen off silveren paymente sulcx als voorscreven staet, midts oeck vier malder rogge, Nimesche maet sjaers, ende dit al te betalen up Sinte Peters dach, ad Cathedram, naestcomende anno acht ende tsestich eerstmael, ende alsoe voort van jaere tot jaere alsvoren. Ende dese voorss. penningen ende jaer renthe voors., alle jaer commerloes te leveren in vry vast behalt van den Prior off Procurator des convents van Sinte Agathen voorss., tot heuren believen ende goede benuegen binnen der stadt Nymegen ende dit al vry gelt ende onbeswaert van alle heeren diensten, van scatting penningen, van dyckgelt, van heeren veeden, van waeters ofte droechte noode, van hagelslach, van missgewass ende voorts van allen menschen beswaernissen hoe die geschien ofte gebeuren mochten. Voor welcke twee verscheyden jaerlicxe renthe, voorss. Prior ende Procurator der Cruysbroederen binnen Asperen, inde qualiteyt als voren bekende, tot behoeff van heuren convente voorss., ontvangen te hebben van den Prior ende convente van Sinte Aghaten voors., in eenen gewisse alinghe summe, eerst de summe van hondert golden ryder gulden, vier ende twintig stuvers Brabants, voor elcke gulden voorss. gerekent, ende noch twee hondert golden Hartouch Phillips gulden, tot vyff ende twintich stuvers Brabants tstuck. Ende bedancken hem der voorss. twee summen goede betalinghe, de eerste pennick mitten lesten. Voor alle welcke twee jaerlicxe renthe voorss., ende tot versekertheyt van die, hebben Prior ende Procurator der Cruys-

broederen binnen Asperen voorss. van heuren convents wegen hemluyden tot een hypoteke ende onderpant gestelt, ende stellen midts desen tot een wettelicke hypoteke ende onderpant, inden eersten acht merghen lants, alsoe sy die hebben leggende inde heerlicheyt van Ackoy inden Cruyscampen, daerboven de selve Cruysbroederen mit noch seven mergen, twee honden lants, genaemt Otthencamp, ende beneden Jenneken Dirck Harmenssz. erfgenamen naest gelegen syn, ende noch omtrent twee merghen landtz oeck op Ackoy inden Cruyscampen gelegen, aen den afvaert vanden dyck daer boven derfgenamen van Aert Jans zoon van Scendel, ende beneden derfgenamen van Arien Haghen naest gelegen syn, off wye naer rechte ten allen syden hier naest gelegen moegen wesen, ende ingevalle tconvent van Asperen voorss. tot eniger tyden gebrekelick ofte versumelick bevonden worde inde betalinge vanden voorss. jaerlicxe renthen, ende nyet en betaelden als voorss. staet, soe moegen Prior off Procurator van Sinte Agathen, of heure gemachticht, alle jaer de voorss. jaerlicxe renthe, vuyt comen panden ende scatten als naer rechte behoirt soe wel alle afterstedige als binnen jaerige pachten, mit allen costen, schaden, boden loon ende alle andere costen hoe die gevallen ofte gescieden mochten. Mit voorwaerden dat tvoorss. convent van Asperen of heuren beveelhebberen, dese voorss. jaerlicxe losrenthen alle jaer up ten voorss. betaeldaghen sullen moeghen wederroepen, ende afleggen, elcke vande voorss. jaerlicxe renthen besondere tot heuren welgevallen, te weeten: de sess ryders voorss. mit hondert ryders hooftsumme, ende mit allen verschenen ende onbetaelde renthen, tot vier ende twintich stuvers Brabants elcke gulden, gerekent aen golde penningen of silveren paymente als inden tyt der lossinge geeff ende gancbaer wesen sal in Hollant ende in Brabant soe voorss. is. Item de voorss. sess Phillips gulden ende vier malders rogge, oeck tot synen behoirlicken betael daghe als voren, mit twee hondert Phillippus gulden

tot vyff ende twintich stuvers Brabants tstuck, aen golde ende silveren paymente als voren. Des sullen Prior of Procurator des convents van Asperen voorss. gehouden wesen den Prior of Procurator vande convente van Sinte Agathen de lossinge van elcke jaerlicxe renten bisonder, een halff jaer te vooren op te segghen ende te verwittigen. Allet ter goeder trouwen ende sonder simulatie, arch of bedroch. Deesen toirkonde hebben wy Scepenen voorss. onsse zeegellen hier beneden aen desen brieff gehangen, ende tot meerder versekertheyt aller puncten voorss., hebben wy Prior, Procurator ende gemeene conventualen van Asperen voorss. gebeden onssen Eerweerdigen geestelicken Heere, Heer Anthonium Freesen, onssen gantsche Cruysbroeders oorden, Meyster Generael, dat syne Eerweerden wilden, des generaels zegel mede aen desen brieff vuythangen, twelck wy Anthonius Freesen, Generael voorss. ter beede als voren geerne gedaen hebben, ende wy Broeder Paeschen Prior, Broeder Peter van Reckelichuyseu Supprior, Broeder Dirck van Arssen ende gemeene conventualen der Cruysbroeders binnen Asperen voors., hebben in kennisse van allet voorss., onsse gemeene convents zeegell hier beneden mede aen desen brieff gehangen. Gedaen upten xvii^{en} dach in Meerte in den jaere ons Heere duysent vyffhondert zeven ende tsestich, naer tgemeen scryven shofs van Utrecht.

N°. 185. 21 Aprilii 1573.

Dux Cliviae, Montis et Marciae rogat omnes belli duces et militibus praefectos, ut transeuntes per villam S. Agathae possessionibus Fr. Cruciferorum conventus parcant.

(Charta authentica in tabulario conventus S. Agathae).

Wilhelm Hertogh tho Cleve, Gulich und Bergh; Grave tho Marck und Ravensbergh; Her tho Ravenstein etc.

Wy thun kundt, als unss die Erbare, unsere lieve andech-

tigen, Prior und semptliche conventualen tho Sanct Agathen up der Masen demödig tho kennen gegeven, welcher maten sie und oere godtzhuys van den up und affreisenden kriegsfolck vast hart beschedigt und beschwert, unnd dwyl sie unss van oeren guderen in unserin furstendumb Cleve gelegen, jarlichs ein merckligs verrichten muten, gebeden oenen unsere furdernuss schryven mit to deilen. Dat demnach unnd in ansehung unsere unterthanen thom deil in dem Gotzhuiss mit underhalden werden, an allen und jederen Oversten, Rithmeisteren, Hoeft und Bevelhebberen, unnd den gemeinen kriegsfolck unser gnedigs gunstigs gesinnen iss, dat gy unss mit then ehren unnd gefallen gemelte Prior und conventualen vurss., so doch by naest verdorven syn, mit dem overtrecken und overliggen hinfurder verschönen, oock sie sunst nit beschweren noch beschatten willen. Sulchs syn wy gegen einen jedern nach synem standt mit gnaden tho bedencken gneigt. Urkunt unsers hier up gedruckten secretsegels. Gegeven tho Cleve, den xvi[en] Aprilis, anno xv[c] lxxiii[o]. Inferius erat scriptum: ut bevel myns genedighe Hertoghs et subsignatum Jo. Louwerman et sigillo ser[mi] Ducis in rubra cera papyro cooperta munitum, subscriptumque WIER.

Quod praesens copia cum suo originali, sigillato et subscripto ut supra, sit unisona attestor infrascriptus S. Imp. auctoritate Not. Pub,

ARNOLDUS VERHEYEN.

N°. 186. 10 Oct. 1575.

Guilielmus Auriacus, Dominus territorii de Cuik, rogat omnes reipublicae milites, ut religiosis conventus S. Agathae, a quibus pecuniae summam in pretium redemptionis (rantsoen) acceperat, eorumque possessionibus parcant, neque in praediis conventus domicilium eligant: qui secus faxit, poenas dabit. Ut autem praedia haec exempta omnibus innotescant, dat Priori facultatem, arma ejus gentilitia portis et muris affigendi.

(Charta authentica sigillo impresso munita in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 187. Circa an. 1576.

Libellus supplex, Pio V, P. M. exhibitus a Fr. Cruciferis et magistratu oppidi Goesani in Zeelandia, contra suppressionem monasterii Ordinis S. Crucis.

(Miraeus et Foppens, *Op. Dipl.* III, 705).

Beatissime Pater.

Exponitur humillime Sanctitati Vestrae pro parte devotorum illius Oratorum, Generalis Fratrum Cruciferorum Ordinis S. Augustini ultra Alpes degentium, ac Prioris et conventus monasterii dicti ordinis nec non Burgimagistrorum, Scabinorum et concilii oppidi de Goes in Zelandia, pridem Trajectensis, nunc Middelburgensis dioecesis.

Quod alias, ac tempore hominum memoriam excedente, in insula Zuut-Bevelant nuncupata, una trium principalium insularum Zelandiae, in dicto oppido de Goes monasterium praedictorum Fratrum Cruciferorum fundatum et competenter dotatum extitit.

In quo hucusque semper justus conventus Fratrum sub obedientia unius Prioris et dicti Patris Generalis regularem observantiam et universa dicti ordinis statuta laudabiliter servavit,

et fratres non solum in monastico vixerunt instituto, et horas canonicas diurnas et nocturnas solemnesque missas et alia officia ecclesiastica sua conventualiter ad Dei laudem et populi salutem decantarunt et celebrarunt: verum cum in tota illa insula nullum aliud foret virorum monasterium, ipsi pro facultate sibi a Deo concessa per consueta anni tempora sine intermissione populo verbum Dei praedicarunt et quoties ex vicinis Flandriae regionibus et Zelandiae aliis insulis Franciscani et alii Ordinis Mendicantium Fratres ad eam insulam ad praedicandum verbum Dei accesserunt, praedicti Prior et conventus illos hospitio benigne exceperunt..

Quod quidem monasterium, si supprimatur, non solum praedicta insula nullum conspiciet religionis monasticae specimen, neque populus exemplari monachorum vita ad verum Dei cultum, et civium dicti oppidi filii ad profitendum monasticam vitam excitabuntur: verum etiam populus frequenter missarum celebratione, concionibus verbi Dei, et Fratres Mendicantes ad eam insulam accedentes, et alii ecclesiastici viri hospitalitatis omnis solamine privabuntur, et insula nec monachos nec concionatores verisimiliter est amplius visura. Quo non solum fraus fiet piae defunctorum voluntati, quinimo in magnum hoc ipsum cedet animarum ejusdem insulae detrimentum.

Quae omnia bonae memoriae Nicolaus primus Episcopus (*a*) pie considerans, quamvis in bulla erectionis hujusmodi novi Episcopatus recenter a felicis recordationis Paulo Papa IV, Sanctitatis vestrae praedecessore, cum aliquot Belgicae novis Episcopatibus erectis, praedictum monasterium suppressum esset (*b*): tamen Dei judicium metuens, expulsionem dicti conventus nunquam fuit ausus attentare.

Considerans etiam, quod in dicta bulla, per quam proventus

(*a*) Nicolaus de Castro, vulgo van der Borcht, obiit Middelburgi die 17 Maii 1573.

(*b*) In bulla erectionis episcopatus Middelburgensis haec statuuntur:

dicti monasterii capitulo et canonicis factae Cathedralis Middelburgensis applicantur, falso fuit Sanctae Sedi suggestum, quod fructus et proventus dicti monasterii quadringentorum ducatorum auri de Camera valorem annuum non excederent, quodque dictum monasterium dirutum et desolatum esset, spe propemodum sublata, quod in formam monasterii restauraretur et propterea non debuisset sortiri effectum.

Etenim praefatum monasterium nullam neque vetustatem neque egestatem aut Fratrum negligentia dirutionem aut desolationem passum fuerat. Accidit quidem, ut anno quinquagesimo octavo (*a*) praefatum monasterium cum magna parte dicti oppidi Goes casu fortuito igne combustum et fere totum collapsum fuerit: attamen Prior et conventus monasterium non deseruerunt, imo illico animose ad illius reparationem se accinxerunt; et anno sexagesimo, quo dicta suppressio a pontifice per surreptionem obtenta fuit, quamdam egregiam domum cum illius ambitu fabricarunt, et in ea oratorium et altare erexerunt, in quo divina officia solemniter peragebantur, et conciones ad populum fiebant, nec non refectorium, coquina, imo et hospitibus aliquot cubicula et solaria a tempore combustionis reparata erant.

Postquam vero dictus Nicolaus Episcopus ad Episcopatum advenit, Priorem dicti monasterii mirum in modum ad illius perfectam reparationem hortatus est et animavit. Imo in tam pium opus dicebatur de proprio liberaliter aliquid tributurus, et alia materialia anno septuagesimo secundo parata erant, ad

[canonicis capituli cathedralis] assignamus bona et proventus monasterii Cruciferorum in Goes, vacui, diruti sive combusti ac desolati; ita quod non supersit spes ulla ejusdem monasterii instaurandi: quae bona aestimari possunt ad 450 ducatos annue. Haec bulla, ut putat Foppensius (Miraei *Op. Dipl.* T. III, pag. 475) data erat circa an. 1560.

(*a*) Hoc incendium accidisse anno 1555 probatur ex inscriptione lapidea, quam profert auctor in opusculo Hollando: *Zeeuwsche Volks-Almanak* voor 1845, pag. 14.

antiqui templi perfectam restaurationem, quam etiam F. Antonius, tunc Prior novissime defunctus (*a*) Deo juvante absolvisset, nisi, praedicto oppido a rebellibus et haereticis obsesso, ipse et fratres in interiores Flandriae partes ad tempus se conferre coacti fuissent.

Interea dicta civitas Middelburgensis cum tota insula de Walcheren principali Zelandiae a dictis rebellibus et haereticis occupata extitit: praedicta vero insula de Goes fuit hucusque valde defensa, et adhuc Catholico Regi et ejus locum-tenenti paret.

Et propterea tanto minus suppressionem dicti monasterii attentare deberent modernus Episcopus (*b*), aut ejus in dicto Episcopatu constituti Vicarii et Canonici, qui oppido et insula de Middelburg expulsi in diversis locis vagantur, quod praedictus Nicolaus Episcopus pacatis rebus tale quid moliri nunquam ausus fuerit. Nihilominus tamen praedicti canonici et praesertim quidam pro Vicario (*c*) in Episcopatu et capituli Procuratore se gerens, defuncto dicto Priore, in res et bona dicti monasterii manus injicere, rebusque et debitoribus, ne oneribus de fructibus, redditibus et proventibus ejusdem monasterii reponerentur, inhibere, et sic pauperibus fratribus alimenta subtrahere, omni postposito timore Dei ausi fuerunt.

Quae omnia cum nequaquam ad divini cultus augmentum, sed et in religionis monasticae extirpationem et populi scandalum, et a vero Dei cultu aversionem haeresumque grande augmentum cedunt, dignetur igitur Sanctitas Vestra ad dictorum oratorum preces causas nullitatis subreptionisque suppressionis et extinctionis dicti monasterii applicationisque pro-

(*a*) *Antonius*, videtur legendum *Andreas*. Vid. pag. 40.

(*b*) Joannes a Streyen, an. 1576 obtento a Rom. Pontifice confirmationis diplomate, Namurci an. 1581, consecratur Episcopus. V. Heussen, *Hist. Episcopatus Middelburgensis*, pag. 21.

(*c*) Is erat Sasboldus Vosmerus, postea Archi-episcopus Philippensis. Foppens l.l.

venturum ejusdem unionis et incorporationis capitulo et Canonicis ecclesiae Middelburgensis, nec non manuum injectionis in bona dicti monasterii et occupationis eorumdem, defensionis et manutenentiae dictorum fratrum in dicto monasterio et illius bonis, ac quam et quas praedicti oratores praemissorum occasione habent et movent, habereque et movere volunt et intendunt, cum omnibus et singulis suis incidentiis, dependentiis, emergentiis annexis et connexis, ac toto negotio principali, aliquibus probis viris in partibus illis in dignitate ecclesiastica constitutis summarie, prout in beneficialibus, committere, et mandare, cum potestate, Episcopum ac capitulum et canonicos, nec non Vicarium praedictum ac omnes et quoscumque alios sua communiter vel divisim interesse putantes, etiam per edictum publicum, constituto summarie de non tuto accessu citandis, eisque nec non quibusvis aliis et quacumque authoritate fungentibus et functuris, etiam sub ecclesiasticis sententiis, censuris ac etiam pecuniariis aliisque arbitrio suo imponendis, moderandis et applicandis poenis inhibentibus, contradictores, sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse et incidisse, declarandi, aggravandi ac aggrediendi et interdicendi, auxiliumque brachii saecularis quatenus opus sit, invocandi ac excommunicandi attentata et innovata quaecumque, quatenus opus, renovandi.

Nec non singulis diebus et horis, praeterquam dumtaxat in honorem Dei feriatis, procedendi, omniaque alia et singula faciendi, dicendi et exequendi in praemissis necessaria, seu quomodolibet opportuna praemissis, ac de una et duabus dietis, dummodo non ultra tres, ac aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus stylo Romanae Curiae, caeterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque statutis, pro plene et sufficienter expressis haberi, et cum absolutione a censuris ad effectum, et per breve Sanctitatis Vestrae hac supplicatione introclusa, concessum.

N°. 188. 1576—1586.

Acta undecim capitulorum generalium, praeside Guilielmo ab Heinsberg, Magistro Generali.

(Acta anni 1576).

(Codex defin. quartus in fol. in tabulario conventus Udensis) (a).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt diffinita et ordinata in capitulo nostro generali per nos Fratres Guilielmum ab Heinsberch Generalem, et Fratrem Christophorum Ruremundensem, Fratrem Joannem Leodiensem, Fratrem Walterum Mariae Laudis, Fratrem Theodoricum Embricensem, conventuum Priores, definitores capituli generalis anni millesimi quingentesimi septuagesimi sexti, mensis Maii die vicesima prima et duobus diebus immediate sequentibus in domo nostra Huyensi celebrati.

In primis quae duobus capitulis generalibus praecedentibus de capitularibus rogationibus sunt approbata, confirmamus.

Item quod ultimo capitulo mandatum fuit Prioribus Hollandiae et Frisiae de bonis immobilibus conscribendis cum oneribus conventuum, ordinamus et diffinimus, ut omnes conventuum Priores id ipsum diligenter fieri curent et ad proximum capitulum nostrum generale transmittant, simulque onera missarum quotidiana illarumque fundationes fideliter transcribant ad cognoscendum, quot fratres in quolibet conventu necessario debeant sustentari.

Praeterea vestigiis fratrum nostrorum et tenori bullae Eugenii Papae inhaerentes, quotannis indicimus capitulum generale consueto tempore et loco celebrandum, propter graves causas in bulla et statutis nostris expressas.

(a) Cum hoc apographo contulimus Fr. Halloix libellum, nec non codices defin. 2um et 3um, saepius laudatos.

Item cum quidam ex fratribus nostris quibusdam in locis deserviant curis pastoralibus, hortamur illos in Domino, ut officium pastorale sollicite exequentes, in omni vitae pietate degant, ad ornandam doctrinam Salvatoris nostri et cavenda multorum scandala.

Non minori sollicitudine hortamur omnes conventuum Priores serio ab ipsis dari operam, ut explosa omni rerum proprietate a fratribus in communi vivatur, ita ut nihil sibi operentur, nec suum dicant, nisi velint proprio judicio condemnari.

Monemus quoque conventuum procuratores, ne difficiles sese exhibeant in dandis necessariis fratribus, ad evitandas fratrum murmurationes et gravia offendicula, quae inde orientur, nec fratres importune exigent sed humiliter petent, ut statuta habent.

Item diffinimus et ordinamus, ut *Kyrie eleyson* Paschale in omnibus conventibus nostris ordinis cantetur solemniter in dominica *Laetare*, propter ejus diei mysterium; representat enim sabbatum magnum et gaudium omnium electorum in coelesti Hierusalem.

Item quantum ad clausulam illam de missione Supprioris aut Procuratoris ad capitulum generale, casu quo Prior legitime impeditus fuerit, declaramus hoc totum dependere a voluntate et dispositione ipsius Prioris, et quem ille miserit, ire debet, tamquam ea vice procurator, sine ullius contradictione, sive ille sit Supprior, sive Procurator, sive alius quispiam ordinandus ab ipso Priore. Satis enim fit ordinationi patrum, si aliquis ex fratribus, in tali necessitate mittatur.

Item quibusdam patribus et fratribus de acerbitate litterarum, quas reverendus pater noster generalis ex suo officio ad diversos destinavit, conquerentibus, praesenti clausula sufficienter respondetur, quod meliora sunt vulnera amici quam oscula inimici et quod longe praestantius sit cum severitate diligere

et servare, quam cum lenitate decipere et perdere. Salubrior quoque est religiosa castigatio quam blanda remissio.

Item Fr. Gerardus Offell, qui hactenus egit de nostra licentia in conventu Monialium Heligerley (a), conferet se ad conventum nostrum domus Lapideae. Item Frater Joannes Erkelans, Coloniensis stabit in conventu Namurcensi; Fr. Gulielmus Corthy Namurcensis stabit in conventu Mariae Pacis; Fr. Matthias Dablen, donatus Namurcensis stabit in conventu Tornacensi ut coquus; Fr. Joannes, donatus Brandenburgensis stabit in conventu Trajectensi. Caeteri superioribus annis elocati nec praesentibus inserti, manebunt in conventibus sibi assignatis, ad revocationem usque reverendi patris nostri generalis aut suorum visitatorum. Praecipimus autem in virtute sanctae obedientiae et sub poena gravioris culpae districte mandantes requirimus, quatenus ordinati seu per nos emissi ad diversos ordinis conventus, visis vel auditis praesentibus, infra triduum iter arripiant rectoque itinere ad conventus illis assignatos sub eisdem poenis pergant.

Obierunt autem a novissimo capitulo nostro generali celebrato, reverendus Pater Fr. Anthonius Fresenius totius Sacri Ordinis nostri Magister Generalis, item venerabilis Pr. Fr. Mathaeus a Bovinia, Prior Dionantensis diffinitor, venerabilis Pr. Fr. Anthonius Le Clercq, Prior Tornacensis; venerabilis Pr. Fr. Rodolphus Bocholdianus, Prior in Dusseldorpe; venerabilis Pr. Fr. Franco Lovaniensis, quondam Prior Scheidamensis, item venerabilis Pr. Fr. Anthonius Lotz, Supprior Leodiensis; Fr. Theodoricus Kessel, Presbyter et senior Pontis Coeli; Fr. Robertus Pontanus, Presbyter Tornacensis; Fr. Jacobus Libert, Presbyter Tornacensis; Fr. Anthonius de Bruille, Presbyter Tornacensis; Fr. Johannes Kellers, Presbyter Eyckensis; Fr. Hermannus Haerdenbergh, Presbyter Novae Lucis, Presbyteri. Item Fr. Jacobus Descours, acolitus Tornacensis; Fr. Petrus Cotrel,

(a) Ordinis Praemonstratensis, in agro Groningano.

conversus Tornacensis; Fr. Henricus Horst, donatus Sanctae Agathae; Fr. Gerardus Neomagiensis, donatus S^{ae} Agathae; Fr. Joannes, donatus in Glintfelt; Fr. Matthaeus, donatus in Glintfelt, donati. Item religiosa Domina Maria de Godebri, Abbatissa Ordinis S. Bernardi, participans ut frater. Item Domicella Anna de Savie Huyensis participans ut Fr. Ordinis. Item hoc anno visitabit per Franciam venerabilis Pr. Prior Viridarii Provincialis per se vel alium seu alios. Reliquos totius ordinis conventus visitandos committimus discretioni Reverendi Patris nostri generalis.

Item pro participantibus et benefactoribus ordinis vivis ac defunctis, quilibet sacerdos septemdecim missas cujuscumque officii, clerici psalterium et donati ducenta *Pater Noster* totidemque *Ave Maria* dicant.

Anno 1577. Non fuit celebratum capitulum (*a*).

(Acta anni 1578).

(Cod. defin. quartus in fol. in tabulario conventus Udensis, collatus cum Fr. Halloix compendio fol. 134).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt diffinita et ordinata in capitulo nostro generali per nos Fratres Guilielmum ab Heinsberch Generalem et Fratrem Robertum Wyart sacrae paginae doctorem Parisiensem eruditissimum, Fratrem Joannem Leodiensem, Fratrem Henricum Morren Namurcensem, et Fratrem Gerardum Dionantensem conventuum Priores, diffinitores capituli generalis, anni millesimi quingentesimi septuagesimi octavi, mensis Aprilis, die vicesima septima et duobus diebus immediate sequentibus, in domo nostra Huyensi celebrato.

In primis quod duobus capitulis generalibus praecedentibus diffinitum fuit de bonis conventuum immobilibus eorumque one-

(*a*) Fr. Halloix, fol. 134.

ribus conscribendis et eorum registris transmittendis ad Reverendum Patrem nostrum Generalem, ne quid funestis istis temporibus per negligentiam periat, confirmamus. Item clausulam illam de capitulo nostro generali quotannis celebrando approbamus.

Item cum magna sit dissimilitudo et prope ridicula confusio ac varietas in re quam praecipue curare debemus, nempe divini officii in choro et extra chorum celebratione, committimus et praecipimus eximio Domino Doctori Fratri Roberto Wyarts, ut infra annum advertat, quomodo commodius Breviarium, quo utimur, reformari possit, ad instar Breviarii Tridentini, quod posteaquam a capitulo nostro generali anni sequentis approbatum fuerit, prelo committemus.

Item ad conservandum Sacri Ordinis nostri debitum honorem, reverentiam, unitatem et pacem, praecipimus in virtute sanctae obedientiae omnibus nostris subjectis, ne in suis rebus, negotiis, controversiis, accusationibus et defensionibus, quas ad invicem habent vel habere possunt, ad ullum vel Episcopum, vel Magistratum confugiant, sed tantum ad Reverendissimum Patrem nostrum Generalem et ejus visitatores vel capitulum generale, sub poenis excommunicationis et privationis omnium beneficiorum ordinis in vita pariter et in morte, eo quod constat, tales fratres malos esse operarios et laborare ad divisionem ordinis nostri; Magistratus autem et Episcopi nullam habent potestatem vel jurisdictionem in religiosis, generalibus et eorum capitulis subjectis, ut manifestissime constat ex Sancta Synodo Tridentina; vel si quam habent, illam esse provisionalem, quia generalem non habent et donec habeant.

Item praecipimus, ut nulla temeritate Priores, conventibus nostri ordinis praefecti, officium deserant, relinquentes conventus, nisi prius reddita ratione villicationis suae et impetrata absolutione a R^{do} Patre nostro Generali vel ejus visitatoribus, sub poenis privationis vocis activae et passivae et suspensionis

a divinis, nisi forte vitae periculum immineat. Caveant quoque sibi Patres Priores, ne apostatis et ordinis nostri desertoribus ad illorum vel quorumcumque instantiam dimissoria vel probitatis testimonia scripto dare presumant in ordinis ignominiam et animarum damnationem. Postremo ad obviandum quorumdam fratrum improbitati, qui suae professionis obliti, nolunt patrimonium suum, si quod habent, recipi in usum communitatis, sed ipsi recipiunt et consumunt luxuriose vivendo in dedecus ordinis et propriam confusionem perditionemque, statuimus, ordinamus et volumus, ne de caetero aliquis clericorum vel laicorum ad professionem admittatur, nisi prius omnibus bonis suis temporalibus renunciaverit et transtulerit in proprietatem superiorum suorum coram notario et testibus; hoc enim est vendere bona temporalia et ponere pretia eorum ante pedes apostolorum: „sicut et S. Augustinus praeclare dicit, qui aliquid habebat in saeculo, libenter velint illud esse commune".

Item Fratrem Anthonium Juppin constituimus et ordinamus in lectorem conventus nostri Saligniacensis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Item Fratrem Henricum Warensianum, conventualem Namurcensem, ordinamus ad Sacrae Theologiae studium in nostro collegio Lovaniensi continuandum usque ad nostram revocationem, ea conditione, ut observet leges reformationis in nostro capitulo generali hoc anno traditas.

Item Fr. Joannes Groet stabit in conventu nostro Embricensi ut praedicator. Caeteri superioribus annis elocati, nec praesentibus inserti manebunt in conventibus sibi assignatis, usque ad revocationem R[di] P. nostri Generalis aut suorum visitatorum. Praecipimus autem in virtute sanctae obedientiae et sub poena gravioris culpae districte mandantes requirimus, quatenus ordinati seu per nos emissi ad diversos ordinis conventus, visis vel auditis praesentibus, infra triduum iter arripiant rectoque itinere ad conventus illis assignatos sub eisdem

poenis pergant. Item Fratrem Gerardum, conventualem Pontis Coeli, qui Embrica rediit contumaciter et sine licentia, subjicimus poenis gravioris culpae per trimestrem et suspendimus a divinis. Item Fratrem Joannem, ejusdem conventus diaconum nolumus promoveri ad ordinem presbyteratus, ob causas nobis notas. Item Fratrem Joannem Resensem, conventualem Embricensem, notum apostatam, prohibemus recipi ad ordinem, nisi de speciali licentia R^di^ P. nostri generalis.

Obierunt autem a novissimo capitulo nostro generali: Venerabilis Pr. Fr. Matthias de Eertwech, Prior Mayseickensis jubilarius; item V. Pr. Fr. Georgius Lindeman, Prior in Glintfelt; item V. Pr. Fr. Hermannus Bienborch, quondam Prior Alti Nemoris et jubilarius; V. Pr. Fr. Egidius Royau, Prior Saligniacensis; Fr. Jacobus Leodiensis, Supprior Namurcensis; Fr. Leonardus Lotthon, senior et jubilarius Parisiensis; Fr. Arnoldus Confessarius, Sororum Grisearum in Tornaco; Fr. Eustachius de Bollion, senior Tholosanus; Fr. Gerardus Venlo, Procurator in Valkenhaghen; Fr. Petrus, Fr. Bartholomeus, Fr. Joannes Colonienses; Fr. Lambertus et Fr. Matthias, conventus Montis Helenae, Presbyteri. Item Fr. Henricus laicus, Ruremundensis; Fr. Walterus, conventualis Novae Lucis, donati.

Item obierunt honorandi Domini: Dominus Guilielmus Bardoull, decanus S. Bartholomaei in Leodio; item Dominus Petrus Bardoull, decanus Lossensis; item Magister Theodoricus, Dominus temporalis in Ramlyt; item soror Juliana de Glymb, sanctimonialis et Priorissa in Salsum; item Joanna Odorp, soror Reverendi Patris nostri Generalis, defuncti participantes. Pro fundatoribus, participantibus et benefactoribus ordinis nostri vivis et defunctis quilibet sacerdos septemdecim missas cujuscumque officii celebret. Clerici Psalterium et donati ducenta *Pater Noster* totidemque *Ave Maria* dicant.

Item hoc anno visitabit per Franciam R^dus^ Pr. noster Generalis et tenore praesentium indicit congregationem Patrum per

Franciam ordinis nostri in domo nostra Parisiensi, ut compareant in propria persona sine ulla excusatione, ad diem exaltationis S. Crucis, sub poenis privationis officiorum suorum et suspensionis a divinis. In qua congregatione vel synodo serio deliberabitur de idonio Patre Provinciali vel eligendo, vel continuando, si videbitur expedire; item de restituenda ordinis disciplina et domibus nostris conservandis in bono regimine et cultu divino, ad quem conservandum et provehendum ex nostro officio obligamur.

Reliquos ordinis conventus visitandos committimus discretioni R[di] P. nostri Generalis, in cujus tamen absentia, si quid difficultatis in conventibus nostris Inferioris Germaniae ortum fuerit, committimus discutiendum et terminandum Venerabili Patri Priori Wyckradensi cum plenaria auctoritate.

[Anno 1579, 1580, 1581 et 1582 non fuit aliquid singulare actum (*a*); si tamen codici secundo credimus, his annis capitulum generale non fuit celebratum].

(Acta anni 1583).

(Codex defin. quartus collatus cum Fr. Halloix compendio, fol. vso. 135).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt diffinita et ordinata in capitulo nostro generali per nos Fratres Wilhelmum ab Heynsberch Generalem et Fratrem Johannem Leodiensem, Fratrem Gerardum Aquensem, Fratrem Petrum Nigrae Paludis et Fratrem Theodoricum Domus Lapideae, conventuum Priores, Ordinis Fratrum S. Crucis diffinitores capituli generalis, anni millesimi quingentesimi octuagesimi tertii, die octava mensis Maii (juxta reformatum a summo Pontifice Calendarium) et duobus diebus immediate sequentibus, in domo nostra Huyensi totius ordinis primaria celebrati.

(*a*) Fr. Halloix fol. vso. 135.

[Quae de officio divino dicuntur, a nobis omissa sunt].

Quamquam pia sollicitudine et bona intentione duobus capitulis generalibus mandatum sit, conventuum prioribus et procuratoribus, ut conventuum fundationes per litteras authentizatas transmitterent, ad unum totius ordinis librum concinnandum, ad usum necessitatis, casu quo in istis bellorum motibus documenta fundationum antiqua et authentica perirent, tempore pacis restitutae facilius conventus eorumque fundationes et bona possent recuperari: quare praecipimus in virtute sanctae obedientiae, ut fiat infra annum, quod pie ordinatum fuit, maxime propter gravissima hujus calamitosi temporis pericula.

Item de Breviariis ordinis corrigendo, habita matura deliberatione cum patribus, visum fuit commendare breviaria ordinis Praedicatorii reformata et authoritate summi Pontificis approbata, cui ordini nos semper fuimus et sumus conformes in divinis.

Item quod in postrema nostra definitione ordinavimus de novitiis non admittendis ad professionem vitae regularis, nisi prius omnibus bonis temporalibus renunciaverint, ut decet, approbamus.

Item sicut monuimus in praecedentibus definitionibus, ita adhuc serio monemus Venerabiles Priores et Procuratores conventuum, ut fratribus provideant de necessariis, excusationes propter mala tempora omittendo. Certo enim nobis constat, statum monasticae pietatis, in vita regulari non posse reservari a teterrimo proprietatis scelere immunem, nec Patres Priores libere posse increpare et punire delinquentes, nisi cuiquam tribuantur in communitate necessaria, non superflua; quare praecipimus ut omnes Priores et Procuratores in hanc tam piam curam serio incumbant, juxta doctrinam et exemplum apostolorum in Actis cap. secundo: „dividebant omnibus prout cuiquam opus erat". Item cum sacris canonibus severe cautum sit, ne

res seu bona ecclesiae leviter vendantur, alienentur vel distrahantur in usus prophanos et diminutionem cultus divini, praecipimus in virtute sanctae obedientiae omnibus nobis subjectis, ne aliqua fiat venditio bonorum conventuum nostrorum, etiam in extrema necessitate, sine legitimo consensu R^di^ P. nostri Generalis et capituli generalis; aliter facta venditio per praesentem clausulam revocata est et annihilata.

Item quantum ad collegium nostrum Lovaniense attinet, declarationem fundationis factam in praecedenti capitulo generali, vehementer laudamus et approbamus. De qua ut constet omnibus prioribus et fratribus, ad verbum eam hic subjicere placuit. Sic autem habet:

Notum sit omnibus, quod nos infra scripti diffinitores capituli generalis anni 1578, impulsi conscientiae stimulo, cepimus serio cogitare de reformando collegio nostro Lovaniensi, diligenter inspicientes, examinantes et discutientes verba totumque tenorem testamenti, quo fundatoris intentio et extrema voluntas omni jure (quum pia sit et Christiana) a nobis efficienda liquido declaratur. Ea autem fuit, quod bonis relictis studiosi ordinis nostri fratres bonae spei et frugis, ad auditionem etiam Theologiae idonei alerentur, primo quidem Namurcensis et Goessensis, deinde etiam alii diversorum conventuum ejusdem ordinis, casu quo idoneos non habeant ipsi Namurcenses, in quorum usum et sustentationem, ea bona collegio relinquenda, et in nullum alium usum (nisi cum horrendi furti macula) transferenda, imo quod accressit ex frugali collegistarum vita et industria regentis, collegio quoque remanere debet, ut temporis progressu studentium numerus ad Dei gloriam et sacri nostri ordinis amplitudinem augeatur. Praeterea declaramus, quod juxta fundatoris dispositionem et intentionem, secundum verba in contextu posita, ea fundatione nullum omnino vel in re minima auctoritatis et potestatis R^di^ P. nostri Generalis factum sit praejudicium, imo subditos esse omnes, tam regentem quam studen-

tes in collegio fratres et subjectos visitationi, regimini et revocationi ejusdem R[di] Patris, divino et canonico jure, cui illo testamento nec derogatum est nec derogari potest. In iis tamen omnibus hactenus coeco quodam judicio nimium dissimulatum fuit, maximo ordinis detrimento et scandalo. Unde nos infra scripti definitores humiliter obsecravimus R[dum] P. nostrum Generalem, ut ad formam testamenti verborumque ejus et piam fundatoris intentionem, sollicite curet omnia rectius quam hactenus, ad Dei honorem, ecclesiae fructum et ordinis profectum deinceps in collegio observari, ut ratione officii in foro conscientiae coram Deo tenetur. Quod si fieri viderimus, promittimus patrum ordinis favorem erga collegium et studiosos brevi tempore declaratum iri, ad ordinis nostri maximum decus et ornamentum. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium nomina nostra praesentibus subscripsimus in capitulo nostro generali, anno ut supra, die vicesima octava, mensis Aprilis. Et ut sequitur. Nomina Patrum diffinitorum propriis manibus subscripta erant:

Fr. Wilhelmus ab Heynsberch, Generalis Ordinis Fr. S. Crucis.
Fr. Robertus Wiart, Doctor Theologus Parisiensis Sorbonae.
Fr. Joannes a Bree, Prior Leodiensis.
Fr. Henricus Morren, Prior Namurcensis.
Fr. Gerardus Gerinus, Prior Dionantensis.

Articulos quoque reformationis in eodem capitulo generali ordinatos et institutos praecipimus tempore studii diligenter observari, et ut constet omnibus Prioribus et fratribus sacri ordinis nostri, nos legitime et justis de causis moveri, ut manus applicemus ad collegium nostrum Lovaniense, non pigebit copiam litterarum acceptationis collegii a patribus ordinis subjicere, ut ora calumpniantium obstruantur et iniquitas quorumdam fratrum Namurcensium manifesta fiat, ad nostram tuendam innocentiam et justitiae zelum, quem in hac parte pro nostro officio ostendimus. B. 8.

Sic habent litterae acceptationis collegii:

[Hoc diploma lector inveniet in *Codice Diplomatico* ad annum 1498, Tom. I, pag. 450].

Has litteras per multos annos a Namurcensibus occultatas obsecramus, ut omnes et singuli Priores et Fratres diligenter perlegant, examinent, discutiant et secum serio expendant, et intelligent quanta injuria, animositate, imo perversitate quidam Priores et Fratres Namurcenses cum patribus totius ordinis pro collegio, non dicimus servando sed perdendo, litigati fuerint. Quare etiam hac clausula praesentibus et futuris Fratribus Namurcensibus praecipimus sub poena privationis loci et honoris, ne de caetero quicquam ratione collegii contra ordinem tentent, contenti praerogativa in testamento fundatoris illis concessa, nimirum quod prae caeteris conventibus et fratribus ad collegium regendum et inhabitandum debeant promoveri, modo sint idonei.

Item cum contributio, dari consueta tempore capituli generalis, multoties extiterit causa aversionis ab invicem, meliori modo et forma convenimus inter nos et Patrem R[dum] et Fratres Huyenses unanimi consensu, ut cotam decimae in Opboucholt a R[do] P. Generali levari solitam, cum aliis paucis ordinis bonis, in libro ordinis expressis, resignemus in usum domus Huyensis in perpetuum, pro quibus bonis, singulis annis tempore capituli generalis, patres cum sociis more consueto tractabuntur, sicque de caetero patres erunt liberi ab illa contributione et nulla erit cura de sumptuum capituli generalis computatione, excepto vino forti *(a)* quod solvi consuevit. Retinendam tamen censemus contributionem in statutis nostris expressam in rubrica de capitulo generali in haec verba: „Porro ad communem utilitatem et necessitatem ordinis, singuli conventus per universum ordinem, singulis capitulis generalibus

(*a*) Id est vinum Franciae vel Hispaniae, non ergo vinum patriae, *Vin du Pays*.

contribuant et mittant unam coronam Regis Franciae ad locum certum et secretum ibidem deponendum ad eumdem usum; absentes et ad capitulum non venientes duos coronatos transmittent, seclusa omni excusatione.

Postremo multum dolemus de quorundam patrum et fratrum coecitate cordis et ingratitudine, qui si ad ordinem non essent recepti, et in eodem sine meritis ad dignitates promoti, aut miseri in saeculo aut extincti essent. Nunc autem in nostris conventibus pro suo arbitrio irregulariter et in deliciis viventes, non dignantur unum verbulum de statu conventuum et ordinis significare, quasi alieni et exempti essent ab omni monastica religione, pietate, reverentia et obedientia, quos sequenti anno, nisi sese correxerint et emendaverint, nominatim perstringemus et absolvemus.

Item Fratrem Wilhelmum Wagendunck, Suppriorem conventus nostri Alti Nemoris authoritate nobis competente, eidem conventui nostro Alti Nemoris incorporamus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen.

Contradicentes et obmurmurantes suspendimus a divinis et poenis gravioris culpae sine ulla relaxatione subjicimus, eo quod pacem, unitatem et profectum conventus contra illorum professionem impedire conantur, propriis suis affectibus et viciosis nimium indulgentes.

Item Fratrem Engelbertum absolvimus a Prioratu Maseyckensi, in nomine Patris etc.

Fratrem Hermannum Tremoniensem absolutum a pastoratu Domus Lapideae, ordinamus in Priorem Maseykensem, in nomine etc.

Fratrem Ulricum Medebagensem ordinamus in pastorem Domus Lapideae, in nomine etc.

Frater Joannes Leuis conventualis Trajectensis conferet se ad conventum nostrum in Glintfelt; Fr. Joannem Randelradensem ob suam pertinaciam, rebellionem et infidelitatem suspen-

dimus a divinis, privamus voce et loco et vocamus ad conventum nostrum Huyensem ad agendum poenitentiam. Fratrem Aegidium Parisiensem absolutum a Prioratu Lanis ad Nemus excommunicamus et tradimus Satanae in interitum carnis ob sceleratam et scandalosam vitam et perditissimos ejus mores, ut recipiscat, in nomine etc. Venerabilis autem Pater Provincialis assignabit illi locum habitationis suis demeritis dignum, et domui Lanis ad Nemus de alio Rectore mature providebit; Priori quoque Calneacensi, socium pium et devotum religiosum adjunget, quem ex nostro mandato tenebitur recipere et honeste tractare. Fr. Johannes Masson, donatus stabit in conventu S. Georgii. Caeteri superioribus annis elocati, nec praesentibus inserti, manebunt in conventibus sibi assignatis usque ad revocationem R. P. nostri Generalis aut suorum visitatorum. Praecipimus autem in virtute Sanctae obedientiae et sub poena gravioris culpae districte mandantes requirimus, quatenus ordinati seu per nos emissi ad diversos ordinis conventus, visis vel auditis praesentibus infra triduum iter arripiant, rectoque itinere ad conventus illis assignatos sub iisdem poenis pergant.

Hoc anno visitabit per Franciam Venerabilis P. Prior conventus Viridarii, Provincialis et Vicarius R. P. nostri Generalis, cum plenaria authoritate, cui per praesentem clausulam praecipimus in virtute sanctae obedientiae, ut ordinis desertores ad beneficia et libertates aspirantes, fures, incendiarios et alia turpi infamia notatos, curet capi, in carcere corrigi, puniri et emendari, ne propter tales scelerum auctores tota monastica pietas et religio apud saeculares vilescat et comtemnatur.

Item cum antiquis temporibus Christi fideles maximam habuerint et laudabilem devotionem erga tremendum missae sacrificium, ut ejus fructus participes efficerentur, passim ex patrum pietate admissae sunt eorum petitiones, sine sufficienti fundatione, non intendentes habere privata sacrificia, sed tan-

tum generaliter desiderantes recommendari in missarum celebrationibus; quod quidam non recte intelligentes scrupulum conscientiae concipiunt, existimantes eorum intentioni non satis fieri, si multarum missarum onera conjungantur; hinc est quod hoc decreto ordinamus juxta formam concilii Tridentini, ut in illis conventibus, in quibus hujusmodi multa sunt anniversaria et tenues missarum fundationes, semel in septimana perpetuis temporibus in capitulo sub *preciosa* recitentur nomina eorum tum incidentia, qui antiquis temporibus petierunt pro se fieri orationes in tremendis mysteriis, et fratres celebrantes, sive sint multi, sive pauci pro statu conventus eorum habentes et salutem animarum redemptori suo recommendantes, sensemus satisfieri omnium et singulorum Christi fidelium generali et speciali intentioni, exceptis tamen iis anniversariis, de quibus fundatae sunt pitanciae pro fratribus.

Finaliter ut ordinata et approbata et definita per tria capitula generalia rectius et strictius ab omnibus et singulis conventibus observarentur, placuit nobis et patribus diffinitoribus, obtestari omnes et singulos patres conventuum Priores et in virtute sanctae obedientiae mandare, ut legitime confirmatae sine temporis dilatione exequi et religiose observari curent, ad honorem Dei et ordinis decorem, et quae in praesenti definitione sunt proposita, suo tempore quoque confirmanda, cuperemus nobis in futuro capitulo generali a Prioribus tempestive indicari, si quid vel addendum vel subtrahendum vel mutandum, vel omittendum esset, debito modo id fieret, ne frustra laborare videamur.

[Sequitur in codice catalogus fratrum, inde a tempore capituli generalis praecedentis, an. 1578, defunctorum, nimirum XIII Priorum, XCIII Fratrum et II participantium: omissis plerisque nominibus sequens notitia ad scopum nostrum sufficiat. Obierunt itaque].

In conventu

Namurcensi, Fr. Henricus Morren definitor et Prior, Subprior et quatuor sacerdotes.

Coloniensi, Fr. Fransiscus Graviae, Prior et quatuor sacerdotes, in quibus Procurator et Jacobus Clericus, Professor et duo donati.

Wickradensi, Goesuinus, Prior.

Mariae Laudis, Walterus Hinnisdael Prior, Subprior et sex sac., in his Procurator et cellarius, 1 conversus, 1 cocus.

Trajectensi, Fr. Nicolaus Spae Prior, Subprior et 4 sac., in quibus 1 jubilarius et Procurator, 1 conversus, 1 portarius.

Aquensi, Fr. Laurentius Avernia Prior, 3 sac., in his procurator et custos et 1 donatus.

Maseykensi, Fr. Leonardus Oppitter, 1 sac., 1 conv.

Mariae Pacis, Fr. Jacobus Leyndenus, Prior.

Brandenburgensi, Fr. Johannes Aquensis Prior, 1 sac., 1 conv.

Pontis Coeli, Fr. Petrus Prior, Subprior et 3 sac., in his Jacobus Brantz, Pastor in Bouwen.

Goessensi, Fr. Andreas Hanteren, Prior (*a*).

Erensteyn, Fr. Theodoricus Armeniensis Prior, Subprior.

Yvodiensi, Fr. Perpetuus, Prior.

Suxciasensi, Fr. Johannes Clichet, Prior.

Dionantensi, Subprior-Procurator, 1 sac.

Huyensi, 7 sac. in his cellarius, 1 portarius.

Parisiensi, sac. 2.

Buzantiensi, sac. 2.

Tornacensi, sac. 3, in his Egidius Roteleur, confessarius apud grisias sorores; 1 diaconus.

Alnetensi, sac. 3.

(*a*) Videtur idem esse, qui pag. 73 vocatur Antonius: diploma igitur quod nos retulimus ad an. 1576, datum fuerit intra an. 1578—1581.

In conventu

Viridarii, sac. 1.
Calneacensi, sac. 1.
Leodiensi, sac. 2.
S. Agathae, Fr. Matthias Lucanus, Procurator; Fr. Wimiarus, confessarius in Peer, sac.; Fr. Theodoricus, cocus; Henricus van der Horst et Gerardus, Magister Agriculturae.
Venlonensi, 2 sac., 1 subdiac., 1 don.
Domus Lapideae, 1 sac., 1 con.
Alti Nemoris, 1 sac., 2 don.
Nigrae Paludis, Godschalkus, Pastor.
Novae Lucis, 2 sac. sc. Procurator et cellarius et 4 don.
Embricensi, 1 sac., 1 don.
Montis S. Helenae, 1 don.

Dominus et Magister Walterus Philippi, canonicus Namurcensis. Dominus Henricus Spee, sacrista ac senior monasterii S. Cornelii Judensis, participantes ut fratres.

Pro fundatoribus, participantibus et benefactoribus ordinis nostri vivis et defunctis, quilibet sacerdos 17 missas cujuscumque officii celebret, clerici Psalterium et donati 200 *Pater Noster* totidemque *Ave Maria* dicant. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium etc.

Anno 1584 non fuit celebratum capitulum (*a*).

(Acta anni 1585).

(Codex defin. quartus collatus cum Fr. Halloix compendio, fol. 137).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt ordinata et definita in capitulo nostro generali per nos Fratrem Wilhelmum ab Heynsberch Generalem, Fratrem Hubertum, Trajectensem; Fr. Jacobum, Brandenburgensem; Fr.

(*a*) Codex defin. 2dus in 4°.

Florentium, Snekensem et Fr. Jeronimum, Namurcensem, conventuum Priores Ordinis Fratrum Sanctae Crucis et definitores capituli generalis anni 1585, die 19 mensis Maii et duobus diebus immediate sequentibus in conventu nostro Huyensi totius ordinis primario celebrati.

In primis indicimus capitulum generale futuro anno tenendum et casu quo non posset teneri, id maturo concilio habito cum patribus diffinitoribus significabitur.

Item onera missarum serventur juxta concilium Tridentinum sicut in ultima nostra definitione declaratum est, quod Priorum conscientiis committimus.

Item studia et exercitia pietatis vehementer urgeri nostris cupimus, praecipue in monasteriis Parisiensi et Coloniensi, ut piis lectionibus novitii ad omne opus bonum instituantur.

Item ob reverentiam nominis Domini nostri J. C. ordinamus et constituimus, ut quotiescumque in divinis officiis aut gratiis post commestionem dicatur: *sit nomen Domini benedictum* devote et reverenter inclinent omnes.

Praeterea considerantes quorumdam fratrum levitates et amicitias, quas contrahunt cum saecularibus, infantes ex sacro fonte suscipiendo, non attendentes in constitutionibus nostris declaratum esse, sicut et in concilio Altisiodorensi, non licere Sabbati quemquam de Baptismo suscipere, nec Monacho commatres habere; hinc est, quod renovantes statutum illud, ne quis proles de fonte suscipiat etc., sub poenis obedientiae districte mandantes interdicimus et prohibemus, ne de caetero quoquomodo id fiat; non quod malum sit de fonte proles suscipere, sed quod omnino contrarium sit monasticae religioni cum conjugatis mundana sodalitia contrahere.

Item quod ultimae definitioni insertum est de bonis ordinis conventui Huyensi incorporandis, id, ob certas causas, revocat R^dus P. noster Generalis et cupit retinere in suis manibus bona ordinis et solvere expensas capituli generalis. Item contri-

butionem ordinis, hoc est ad ordinem juvandum, conservandum et defendendum, in statutis nostris expressam, ad unam coronam Regis Franciae solvendam singulis annis, approbamus et retinendam definimus, de quibus pecuniis singulis annis in capitulo generali fiet justa computatio a R[do] P. nostro Generali.

Item superioribus annis elocati, maneant in monasteriis sibi assignatis usque ad revocationem R[di] P. nostri Generalis.

Hoc anno visitabit per Regnum Franciae, si viderit expedire et necessarium esse, venerabilis P. Prior conventus Viridarii et provincialis, excepto Parisiensi, quem R. P. noster Generalis visitavit et sibi visitandum reservat. Conventum Viridarii et Calneacensis visitabit V. P. Prior Parisiensis cum plenaria authoritate. Item conventus nostros in Valkenhagen, Montis Orientis, Novae Lucis et Schermer visitabit V. P. Prior Bentlakensis cum plenaria authoritate. Et eadem authoritate V. P. Prior Novae Lucis visitabit conventum nostrum Bentlakensem, reliquos ordinis conventus visitandos committimus discretioni R. P. nostri Generalis.

Inde a tempore capituli praecedentis defuncti sunt Fr. Petrus Bocholdianus Prior Dusseldorpensis et 2 sac. in conventu Brandenburgensi Supprior, in Leodiensi 1 sac., in Aquensi Supprior-senior, Montis S. Helenae 1 Presbyter, Coloniensi 2 sac., 1 diac. et braxator, Ruremundensi 1 cocus, S. Agathae 5 laici, in quibus opilio, Parisiensi 2 laici (*a*).

Item obiit venerandus Dominus Lambertus Dams, canonicus S. Servatii Trajectensis, participans ut frater. In fine pro fundatoribus, participitantibus et benefactoribus ordinis nostri vivis ac defunctis, quilibet sacerdos 17 missas cujuscumque officii celebret, clerici psalterium et donati 200 *Pater Noster* totidemque *Ave Maria* dicant. In quorum omnium et singulorum fidem ac testimonium praemissa sigillo R. P. nostri Generalis et venerabilium patrum definitorum fecimus communiri.

(*a*) Haec a me per compendium excerpta.

(Acta anni 1586).

(Codex defin. quartus, collatus cum Fr. Halloix compendio, fol. vso. 137).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt definita et ordinata per nos Fratres Wilhelmum Heynsbergium Generalem, Gerardum Aquensem, Rolandum Dionantensem, Lambertum Mariae Laudis et Georgium Leodiensem, conventuum Priores, diffinitores capituli nostri generalis, anni 1586, mensis Maii die 3 et duobus diebus immediate sequentibus, in conventu nostro Huyensi, totius ordinis primario, celebrati.

In primis omnia et singula in praecedenti definitione posita, ordinata et definita approbamus et observari mandamus, hoc uno excepto, quod futurum capitulum generale suspendimus usque in biennium ob causas nobis notas; vel si capitulum futuro fuerit anno tenendum, id R. P. noster Generalis tempestive significabit patribus.

Deinde volumus et praecipimus, ut singuli Priores in suis conventibus diligenter curent divinum cultum nocte et die observari, summa cum pietate et reverentia, cui et ipsimet intersint, rationabili causa cessante. Et quia decet Dei famulos solitarios esse ac meditari in lege Domini die ac nocte, de caetero omnino interdicimus fratribus familiaritatem saecularium, feminarum, monialium, sub poena gravis culpae ad arbitrium Generalis aut Visitatorum ejus imponenda transgressoribus, quod si parentes fratrum subinde venerint, ad discretionem Prioris poterunt fratres cum illis loqui, prandere et coenare, sed de nocte chorum visitare, quod severe praecipimus, ab omnibus prioribus, supprioribus ac fratribus observari.

Ad haec cum certo constet per convivia non tantum bona temporalia dilapidari, sed etiam horrendum ebrietatis vitium foveri, ad iram Dei irritandam et augendam; hinc est quod

sub poena gravis culpae interdicimus omnibus patribus et fratribus, ne constituant ac sectentur convivia, nisi in casu necessitatis. Virtutem autem hospitalitatis commendamus prioribus sobrie ac pie exercendam; talibus enim hostiis promeretur Deus. Item solerter invigilent omnes Priores, ne rerum proprietas invalescat in conventibus nostris, sed ab omnibus fratribus arceatur: et si quos proprietarios deprehenderint, secundum statuta ordinis nostri, omni excusatione postposita, severe puniantur.

Item suppriores et procuratores de suis officiis inepte et insulse gloriantes et arroganter praesumentes contra suos Priores, remittimus ad definitionem anni 1541, ut videant et intelligant, si velint, quantorum malorum causa in conventibus existant, tam in spiritualibus quam temporalibus, a quibus dispendiis alieni non sunt seniores, affectantes nimis magnam libertatem agendi et dicendi quaelibet sine Prioris legitima authoritate, quam superbe rejiciunt et contumaciter contemnunt. Isti sunt qui monasteria conturbant, ac omnem quiete et pie vivendi, ac Domino serviendi rationem ex monasteriis prorsus tollunt, dicentes bonum malum et malum bonum, ponentes amarum in dulce et dulce in amarum, quos de caetero severe volumus et praecipimus puniri.

Item authoritate nobis competente praecipimus in virtute S. obedientiae et sub poena gravioris culpae, ne de caetero aliquis subditorum nostrorum claustra monasteriorum monialium quarumcumque ingrediatur, nisi talis subsit necessitas, quae superiores in conscientia quodammodo compellat et consensum extorqueat; idque juxta doctrinam concilii Tridentini, cui nos in omnibus conformari debemus, sub anathematis fulmine, quo idem sacro-sanctum concilium percutit omnes pertinaciter contrarie agentes. Si quid autem tractandum sit cum illis, expediatur quam poterit fieri citissime, et rarius hospitentur in conventibus nostris. Sed servetur reformatio facta per concilium Tridentinum.

Item ob quorumdam fratrum rebellionem et extremam malitiam, authoritati R^dl P. nostri Generalis detrahentium, declaramus ex constitutionibus nostris ac diversorum Pontificum bullis authenticis, Sacro Ordini nostro et specialiter Priori Huyensi, tamquam majori Priori ac Magistro Generali totius ordinis a sede apostolica collatis: quod authoritas R. P. nostri Generalis et capituli generalis in Sacro Ordine nostro tanta sit, ut nulla ab ea cadat appellatio ad quemcumque, cujuscumque status, dignitatis aut praeeminentiae sit. Nam R. P. nostro Generali etiam expresso nomine fit solemnis professio obedientiae usque ad mortem, per quam omnes patres et fratres nostri ordinis eximuntur omni potestati tam ecclesiasticae quam civili ac politicae et immediate subsunt sedi apostolicae et suo Generali et capitulo generali, ut tanto liberius et securius servirent Domino Deo et orarent pro ecclesia Dei. Quare nullus in ordine nostro legitime constitutus potest judicium et sententiam R. P. nostri Generalis vel capituli generalis subterfugere et ad alios appellare, nisi velit Dei ordinationi resistere, peccatum ariolandi ac scelus idololatriae incurrere, ac filius Belial ac perditionis esse. Quod etiam statuta nostra satis clare exprimunt, dum dicunt: praelatus major cum diffinitoribus tractabit, videlicet de omnibus sacrum ordinem nostrum concernentibus; et quicquid inde Spiritu Sancto donante ordinaverint, capitulum generale universaliter, unanimiter suscipiat. Nullus murmuret, nullus reclamet, nullus contradicat, nam absoluta authoritas est penes Generalem et capitulum generale, quod semel pro semper omnibus nobis subjectis denunciamus, ne quis praetextu ignorantiae fucum nobis de caetero faciat.

Item fratres temulentos, contentiosos, lubricos, inobedientes, proprietarios R. P. nostro Generali vel capitulo generali rebelles, tenore praesentium privamus voce, loco, honore et omnibus gratiis, ac beneficiis, Sacro Ordini nostro a sede Apostolica collatis, in vita pariter et in morte, quos etiam volumus car-

ceribus mancipari, ut auferatur malum ex nobismetipsis et alios fratres non corrumpant ac perdant. Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. Hi sunt membra illa, quae scandalisant et idcirco abscindi projicique jubentur, ut potius sine ipsis vitam ingrediamur aeternam, quam simul cum ipsis mittamur in gehennam ignis inextinguibilis. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Nihil tam perniciosum est, quam societas hominum perditorum. His itaque sapienter repudiatis, ad illos converti nos decet, quorum vox, gestus, incessus, habitus norma virtutum est, juxta illud, cum viro sancto assiduus esto.

Item V. P. F. Franciscum, Priorem conventus nostri Viridarii, omni qua possumus et debemus lenitate, pietate, et benignitate revocamus ad nostrum ordinem, denunciantes ei in verbo Domini, quod aliter salvus fieri non posset. Qui enim semel misit manum ad aratrum et respicit retro, non est me dignus, ait Salvator. Item relatum est ad capitulum nostrum generale, quod Parisiis haeredes cujusdam praedivitis promiserint bonam summam annue conventui nostro solvendam, ut sepulturam in choro haberet; sed posteaquam sepultus fuit et lapis positus et epitaphium, nihil solvere voluerunt. Praecipimus igitur V. Priori Parisiensi et discretis patribus sub poenis obedientiae, ut haeredes illos conveniant, ac serio moneant, ut stent promissis, aut tumbam ferant extra templum cum epitaphio. Non enim decet, ut locus Deo consecratus in ecclesia occupetur per fraudem et dolum.

Item V. Priorem Trajectensem, Fr. Gerardum Boesman ad tempus a nobis ordinatum, supportamus, ut eo rectius facere possit officium procuratoris et ordinamus in Priorem Trajectensem, Fr. Henricum Voirstum, Nigrae Paludis, in nomine etc. Item Fr. Jacobum Crespen, Alnetensem constituimus in suppriorem Tornacensem, in nomine etc. Item Fr. Carolus, Alnetensis, stabit in conventu Huyensi. Item superioribus annis elo-

cati et praesenti definitioni non inserti, maneant in monasteriis sibi assignatis usque ad revocationem R. P. nostri Generalis aut capituli generalis.

Hoc anno visitabit per Regnum Franciae R. P. noster Generalis, reliquos quoque ordinis conventus visitandos suo tempore committimus authoritati et discretioni R. P. nostri Generalis.

Obierunt hoc anno Fr. Johannes Bree, Prior Leodiensis; Fr. Johannes Roverius, Procurator Leod.; Fr. Hubertus Stabulensis, Prior Trajectensis diffinitor; Fr. Theodoricus Reyden, Prior domus Lapideae; Fr. Christianus, Prior Montis S. Helenae; Fr. Adrianus a Beka, Prior Buscidueensis; Fr. Wilhelmus Agricola quondam Prior in Valkenhaghen. Tres sac. Colonienses in quibus supprior; Fr. Arnoldus a Kampis, Presbyter S. Agathae; Fr. Johannes Presteire, donatus Parisiensis; item Dominus et Magister Henricus de Monte, Decanus Ruralis Verthonensis, participans (*a*). In fine pro fundatoribus etc. ut supra.

(Codex defin. secundus in 4°, in tabulario conventus Udensis).

Huc usque definitiones venerabilis P. F. Wilhelmi Hinsbergii, Prioris Generalis, qui hoc anno ob graves causas Leodii coram nuntio apostolico sponte cessit officio; vir insignis, obiit in conventu sancti-monialium Raedensium (Ray) (*b*) 1603.

Nuntius Apostolicus Joannes Franciscus, Episcopus Vercellensis et comes, statim per expressas litteras indixit 8 diffinitoribus adventum, seu electionem Hoii habendam, ubi [anno] 1587 electus fuit in Priorem Generalem Ordinis 19 P. Georgius Constantini, Prior Leodiensis, qui obiit 1598 (*c*).

(*a*) In hac periodo quaedam nomina omisi.
(*b*) Raye, id est Venraay.
(*c*) Alii statuunt annum 1600.

N°. 189. 14 Jan. 1580.

Sententia lata inter Priorem et conventum Namurcensem ex una et Episcopi Officialem ex altera parte de juridictionis exemptione.

(Apographum in tabulario conventus Udensis).

Sentence donnée contre Mons. l'official de Namur.

Veu au conseil provincial du Roy notre Sire, ordonné à Namur le différent sur requeste entre les religieux Prieur et convent des Frères Croisiers de cette ville de Namur supplians et deplaindans de certaines citations et censures, decretées par l'official du S. l'Evesque dudict Namur d'une part et ledict official debatant la dicte requeste d'autre, et le Procureur Général de ceste court interveniant. La court ordonne aux supplians, suyvant les privilèges d'exemption et confirmation d'iceulx, accordez tant par sa Majesté que ses prédecesseurs, et pour les troubles et difficile accès à l'Abbé de Ste Gertrud en la ville de Louvain, subdelegué conservateur de leurs privileges, de faire surroguer autre conservateur en lieu de leurs acces en ce pays, pardevant lequel ilz soient convenables et justiciez en dedans le terme de six mois prochainement venant; leur ordonnant aussi suyvant leur offre dentrer en compte, et satisfaire Henry de Beemselle et le notaire de la court dudict official le tout par provision et sans préjudice de la poursuite dudict Procureur Général. Prononché en jugement au dict conseil le XIIII de Janvier XV^c IIII^xx. Temoing le seel dudict conseil dont l'on at usé de temps de feu l'Empereur, lors notre Sire.

—

N°. 190. 5 Aug. 1580.

Gregorius XIII P. M. concedit facultatem Magistro Ordinis S. Crucis Generali, loca sacra monasteriorum polluta et violata benedicendi.

(Apographum in tabulario conventus Udensis).

Gregorius P. P. XIII.

Dilecte fili. Salutem et Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecisti, quod alias (*a*) tu, qui etiam domus Ordinis Cruciferorum oppidi Huiensis, Leodiensis dioecesis, Prior existis, tuo officio satisfacere volens, visitasti omnia dicti ordinis monasteria seu domos, tam in Germaniae, quam Galliae partibus existentes, et multas aedes sacras in eis invenisti, pollutas, violatas et profanatas et illas pro viribus restaurari et in pristinum statum reduci conaris. Caeterum cum id sine maximis expensis fieri nequeat, et Episcopi longius a plerisque monasteriis distent, dictaque monasteria Abbatibus, qui id faciant, destituta sint et ad quaedam monasteria ejusdem ordinis non adeo tutum iter existat. Ut hujusmodi incommodis occurratur, pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quolibet innodatus existis, ad effectum praesentium duntaxat consignandum, harum serie absolventes et absolutum fore consentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi vestes sacerdotales, caeteraque ornamenta divino cultui dicata, exceptis calicibus, et patenis, pro usu tuorum monasteriorum tantum, benedicendi et loca sacra dictorum mo-

(*a*) *Quod alias*, puto legendum *quatenus*.

nasteriorum polluta et violata, aqua prius per aliquem Catholicum antistitem benedicta reconciliandi facultatem, praesertim quando nec ordinarii, nec abbates in dictis locis commode haberi poterunt, apostolica authoritate, tenore praesentium concedimus et elargimur. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die quinta Augusti millesimo quingentesimo, octuagesimo, pontificatus nostri anno nono. Sic subsignatum.

C^AR Gloriebius.

Facta diligenti cum originalibus litteris collatione, concordat praesens copia.

Andr. Heysschus.

Dilecto filio Guilielmo ab Heynsberg, Generali Ordinis Cruciferorum.

N°. 191. 5 Aug. 1580.

Gregorius XIII P. M. indulgentias largitur visitantibus ecclesiam domus Fr. Cruciferorum primariae Huyensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Gregorius P. P. XIII.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Salvator noster Jesus Christus, Dei filius, summo Patri consubstantialis et coeternus, ut humanum genus Adae primi parentis praevaricatione damnatum, salvum faceret de ejusdem Patris sinu, ad hujus mundi infima descendere et ex virgineo utero carnem nostram assumere, et tandem crucis partibulo affigi, et temporalem mortem subire dignatus est. Inde nos pie considerantes, humana merita ad salutem ipsam consequendam fore penitus imparia, fideles quoslibet ad visitandum ecclesias et alia pia loca, spiritualibu

muneribus, indulgentiis videlicet et peccatorum remissionibus, libenter invitamus, ut per hoc et aliarum sanctarum operationum exercitium, aeternam beatitudinem valeant feliciter adipisci. Cum itaque, sicut accepimus, monasterium Ordinis Cruciferorum oppidi Huiensis, Leodiensis dioecesis, totius ordinis praedicti primarium existat, ut ecclesia dicti monasterii in debita veneratione habeatur et a Christi fidelibus congruis frequentetur honoribus, ipsique Christi fideles eo libentius devotionis causa confluant, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi ac dilecti filii Guilielmi ab Heynsberch, Prioris domus Cruciferorum ordinis, oppidi Huiensis, Leodiensis dioecesis, ac Generalis dicti ordinis supplicationibus hac in parte inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, ac communicatis, qui ecclesiam dictae domus in festo Inventionis et Exaltationis Sanctae Crucis, a primis vesperis usque ad occasum solis dictarum festivitatum, et cujuslibet earumdem devote visitaverint, et pias inibi preces ad Dominum Deum, prout unicuique surgeret devotio, effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem Apostolica auctoritate, tenore praesentium elargimur, praesentibus ad decem annos duraturis. Volumus autem, quod si visitantibus dictam ecclesiam aliqua alia indulgentia, in perpetuum vel ad tempus certum nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die quinta Augusti M.D.LXXX. Pontificatus nostri anno nono.

C^AR GLORIERIUS.

No. 192. 17 Sept. 1584.

Miserae et desolatae conventus S. Agathae conditionis expositio.

(Apographum in tabulario ejusdem conventus).

Gheven wy Supprior, Procurator ende gemeyn conventualen des Gaedzhuys en. conventz Sint Aghaten, Cruysbroeder Oirder, gelegen inden landt van Cuyck, uytmoedelicke te kennen (gelick wy int voerleden jaer oick muntelick gedaen hebben) den staedt des selven vurg. conventz, gelick die nu op Sinte Lambertz dach inden jaer 1584 ys.

Inden irsten dat in die kerck al die altaeren vornielt ende gebraken syn, dat gestuylt myt allen syttenwerck, gelaser ende cyrasien dair in synde uytgebraeken, verfuyrt, verbrant ende verbracht syn ende niet heelz gebleven is, uytgenomen die sepulturen van Heeren ende Jonckeren dair in begraven, als toe weeten Gardert Tuerck, Marschalck des Vorstendoms Cleeff myt Margareta van Egmondt syn huysfrou; Heer Johan Schynck van Nydeggen, Rytterheer, Heer tot Walbeck; Joncker Arnt Schynck; Joncker Christoffell van Vylack; Joncker Otth van Wylack, Drosten op Myddeler ende Genp myt oeren huysfrouwen; Jan van Erpz ende Willem van Merwicks huysfrouwen. Ende lacy is anders nu niet dan een stall van allerley beesten, als: koe peerden en verken. Dair beneven syn groete gevacken uytten leydack opten kercken en. allen anderen getymmer uytgebracken, als soe dat die getymmer ende dat gewuelff inder kercken teamen bederven. Hier toe syn alle die solders van bynnen mytt allen rybben ende plancken, ende van buyten foel yseren ankers uytgebraken, ende oick etzelicke balcken verfuyrt, ende in allen den huyseren is niet een doerr ofte fensteren gebleven, noch oick niet een gelasz. Noch hebben sy over vier en twyntich getymmer bynnen den convent afgebraken en. verfuyrt groot en cleyn, ende dat bouhuys van xi of xii geboudt, is den afhanck vander eenre syden half afgebraken en. van bynnen die

ryen en. intagen totten haenbalcken toe uytgebraeken en. noch alle daech uytbreken, ende daer toe opten bouhoeffen die huser noch daegelicx afbreecken.

Item van eyken boemen syn groot ende cleyn afgehouwen, ende oick noch dagelicx afhouwen op sonnendaechgen ende heiliohdagen, welcker meer syn dan ij[m] stueck.

Item onse bouhoeff syn twee afgebrant, ende vanden anderen haeven syn sommige getymmer afgebraeken. Die beesten, als perdt, koe, schaep, vercken genomen, soe dat die te meerdeell leech liggen, ende wenich profytz dair van hebben.

Hier beneven ligt een groot deell van ons selfz landt oick leech, ende die weykemp, hoeykemp en brengen nau den dorden pennynck, die sy uytplechten te brengen.

Ende soe wy een tyt van jaren van ruytter ende knechten boven maten, gelick allen menschen hier omtrynt wonende waill bekant is, overvallen syn gewest, hebben wy onsen guederen moeten beswaren, ende syn noch boven ons schult, schuldich meer dan ij[m] gulden brabants, ende van de ghenen die ons schuldich syn kunnen wy quellick betaling af krygen.

Hier boven warden wy myt onbillicken ende onbehoerlicken scatpennongen soe seer beswaert, op foell verscheyen plaetsen, dat wy quellick van onsen guederen den schemelen koest kunnen gehebben, ende den debitoeren over all niet en kunnen betalen.

Ende benyfens dyt moeten wy dese grooten scatpennongen ende rantzoenpennongen gheven, den ghenen die onsen huyseren vernilen ende afbreecken, welcken afgebraecken huyser ende dat van C. M. soldaten op Middeler liggende, men myt thien duysent daler niet en sole weer om optymmeren (*a*).

(*a*) »Ex desolatione domus, quae ab anno 1579 circiter duravit usque ad annum 1612 (nam tunc cepit V. Pr. Fr. Theodorus a Boeckholt, tamquam rector domus, post initas a Regia Majestate cum Hollandis rebellibus inducias, loci deserti et plane devastati possessionem) multa debita et gravamina existiterunt etc". Nota Ms. Henrici Waltheri, Prioris S. Agathae.

N°. 193. 26 Febr. 1587.

Conceditur fratribus conventus S. Agathae, in urbe Graviae habitaturis, immunitas officiorum civilium.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Aen myn heeren Burgemeesteren, Schepenen, ende Raedt der stadt Grave.

Verthoenen onder behoorlicke reverentie die conventualen des cloesters van Synte Agathen, hoe dat zy supplianten, overmits destructie ende verderffnisse heures cloisters gedrongen wordden heure residentie te nemen bynnen der stadt Grave, aengesien dat de gelegentheyt des tyts ende heure groote tachterheyt nyet en eyscht oft lyden mach, dat sy tvoors. cloester wederomme opbouwen ende repareren, ende alsoe sy luyden ende heure voorsaten dese stadt altyts goede diensten gedaen hebben ende noch voirders geneycht syn te doen, soe is de supplianten ernstlicke bede ende begerte, dat myne heeren gelyeve int aensien van de voors. diensten mitgaders heure tegenwoirdige gelegentheit, t'accorderen ende te vergunnen, dat zy luyden enige kleyne huysinge huyrende, moegen hebben vryheyt van garnisoon, wachten, byten, botten (*a*) ende dyergelycke burgerlicke lasten, om van sulcke onbelast te wesen, versoekende daerop favorable resolutie ende antwoordt, gelyck sy luyden sich deses tuwer eersaeme wel vertrouwen.

Dwelck doende enz.

[In margine].

Fiat ut petitur, zoe wanneer die supplianten sich van een huysinge sullen hebben versyen. Actum den 26 February anno 1587.

GOERT PAEDSCHE.

(*a*) *Botten* wegen slechten.

N°. 194. 10 April. 1587.

A conventualibus S. Agathae, penuria coactis, venditur pascua et ager in Oefelt (a).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Wy Ottho van Doisborch, des cloisters und conventz Synt Aghathen in den lande van Cuyck, tusschen den dorp Uyffel und Cuyck, gelegen, Prior und semeliche conventualen des cloisters vurss., betuygen und bekennen apentelich myt desen brieff voer ider meninglichen, des voerlitten jaren Koninoklich Majestz tho Hyspanien etc. und derselber widderwertigs krysfolckz unse cloister obgemelt geplundert, dair nae thom deels verbrant, die dacken afgebraken, und in solcher gestalt verdorven, dat unser Prior und sementliche conventualen unse convent vurss. verlathen, und them dellz op anderen plaetzen in gliechren ordens huyseren sich begheven moeten, thom deels oick, und sunderlich der Supprior, Procurator und ethliche unsers up gemeltz conventz dair tho van unsen geordente mitbrueder, om unsen landeryen eynsdeelsz by unseren convent, eynsdeels oick in dem kerspell Uyffel gelegen na tho sien, bynnen der stadt Gennep verbleven. Und off woll gedachte unser dair tho geordente mytbrueder, mit ethliche oick dair tho bestempte lekenbrueders und gesinde sich aldair toe Gennep mit spys, dranck und andere lyffs nottuerft, dat sy alle in dese beswerlichen duyren tyden ankopen moethen, soe naewe und profytelich, als immer mogelich gewest, sich beholpen. Dan noch dwyll dat koern thom deels in dem velde verdorven, thom deels uytter schuyren, dar dat verwairlich hingelacht, vyentlich genomen op dem huyse Middeler (dair Koninckl. Majestz van Hyspa-

a) Licet hoc apographum male scriptum et conservatum sit, ita ut in multis locis vix legi possit, publici juris tamen facere statui, quod miseram monasterii conditionem clare prae oculis ponat.

nien krysfolchz gelegen) gefuyrt, und sunst op anderen ortten gebracht, unsers conventz weylandt, soe woll onder Uffell als im lande van Cuyck gelegen tot des conventz unsern oder oick unsere verordente mitz und profyt niet gebruick noch verpacht konnen worden, dair neven unsere bouhoven op verscheiden platzen wuest ende ledich geleghen, und evenwoll groete scatpennongen, rantzunen und andere opgelachte beswernisse gheven moeten, dat wy der wegen in merckliche schaden unde schulden verlopen, und vorghen. pennongen soe by gerichteliche opdrachs briven und vestingen, soe in hantschriften tegen groot interesse und jerlichs koern, und andere verschrivenghen opnemen moethen. Ind nademmall die opgelopen jairlicxse roggen, und gelt renthen van den opgenomen pennongen betaelt, die beswerliche jerliche utrichtong ontlast, wy und onse mytbrudere vurss. oick onderhalden mosten werden. Soe hebben wy myt vorgehatten eynes yderen besundern riepen raedt unsern mitbrudern here Gerhaertten van Nynmegen, gewesenern Pater des cloisters tho Raeie (*a*) nu ons conventz Procurator, und heer Derichen van Stralen, unsern gastwerder samentlich und eynen yderen besonder unwederspreliche unwedervoeliche vollkommen macht, kraft und befeell gegeven, und geven vermytz desen in kercken utkundigen und folgens toe beeden tho stellen, und mitter kertzen uytganck tho verkopen, tho vesten, und opthodragen, und gentzlichen in unsern nhamen dair van tho vorthyen twee stueck lantz. Dair van dat eyne tot heves oder weyden gebruickt kan woirden, gelegen und sortireude under den gericht Uffell myt eynder syden nevens unsers gnedigen forsten und heeren Hertogen zoe Cleeff, Gulich und Berge etc. erff dat nu Engelbert van Kaetz, Rentmeister des Amptz Gennep in pantschaff hefft, mytten ander syde neven Jaspers Greven erff schitende mytten eenen eyndt an Dericken Kluytten, mitten anderen eynde an die gemeine strate, haldende an maten, vyff

(*a*) *Raeie* i. e. *Venraay* in ducatu Limburgensi.

cleyn mergen, weniger vyff royden ungefeir. Den anderen kamp is boulandt. Vorgenoten die eyne syde neffens den Huyssenwerdt, die ander syde Henrich Domker, kyndere erfnys, dat een eyndt Henrich van Stheenhuys und dat ander eyndt Ezken Quernen, erfgenamen erffenis. Iedoch myt behoerlich maeth tydt der opdracht toe leveren allet voer fry eygen erff und sunder ennige beswernys, und jerliche uytganck, myt uytdrucklighem befeell goede wehr ende warschaff, wie erfkoep rechtz is, in des conventz guederen, die under den gericht Uffel sortiren to stellen, und sus allet te doyn und lathen, wat wy sementlick und een idere van uns selft tegenwardich sollen doen kunnen und moegen damyt der koeper nu und in ewigen dagen des koepz halven niet verkoirt syn moechte. Gelaven hy myt semptlich und sonderlich by christlicken waren waffen, geloven und trouwen an eyns gerichtlichen gestavenden eydtzstadt und op peen des meyneidtz, und sunst voer duysent enchele golde gulden, gutt van golde und swair van gewighte soedanen koop, updracht, vertichuys, werschap und wes sunst den kopern to goede geschiden moechte, vast, onwederroepelick, und geheym thalden, der wegen niet te doin oder dointlaten van unss oder unser nakommelingen, nocht ennige exceptie, beneficie, indulten, restitutionen oder andere privilegien, geystelichen of welchchen rechtens der wegen fur te wenden ader hir nogst furwenden te laten, sonderlich dat deser hirop folgendet verkoping niet myt voergaenden aller unsers capitularen darover thom dardenmaell gehaltenen capittel und tractat geschiet. Aengesien in desen gefherlichen krigloopen unss allen beyinander te komen wegen den gefarlicher fangen van de Spanjers niet welh moegelich noch rhattfamis. Darneven idermennigliochen leiden deses unser vurss. erlittenre schaden und verkoop, und dar her tho desem koop erfordenter noth nutz und profyt der maten bekant, dat hier over vielfoldigen tactatt tho halden van onnoeden ist worden. Geliven oick hyrmyt dwiell un-

ser Generaell der eerwerdigen her Wilhelm Heynsberch, itzo utlendich in dess selven weder komst, ader soe balet men festherlich weeth, wair ihem nu an to troffen, voergen. beider stucken lantz verkopinge ratification sicherlich utthobrengen, verbynden, verobligiren und verouderpanden, hier voer alle onsere gueder soe wy nu hebben of kunstelich krigen moechten, sonderlich und in spetie et nominatim, die in dem gericht Uffel gelegen, unss und unsern convent thostendich. Glavende oich hirmit den peen der duysent golt gulden vurss. soe dueck und mennichmall hirtegens gedaen wurde wircklich toerleggen, und nichtz die weiniger dem allem vurss. alsoe vestiglich inne thokommen, und nichtz dair tegen fur towenden. In urkundt heb ich Prior vurss. dese volmacht myt eygener handt underschreven und des conventz zegel hier under doen drucken. Den thienden Aprilis an° xv^{c} lxxxvii.

Ick bruer Oth van Doisborch, Prior des conventz van Sint Aghten, bekenne myt dese onderschrivong myt myner eygener handt geschiet, dat ick voer vast und bundich hald, wat onse mytbruders in mynen afwesen in die verkoping van dese twee voergenuemde twee stucken lantz eyndrechtelick ende capittulariter gesloten ende ingewillicht hebben, unde willen oick sulcx nu en then eewigen dagen toe van allen onsen naecommelingen sonder ennich tegenseggen gehalden hebben, want sulcx in onser hoochst anliggender noot geschiet is.

Ick brueder Ott van Doesburch beken dyt gelick vurss. als Prior.

Ick bruer van Nynmegen, Prior der Cruysbruederen bynnen Eymerick, bekreftich dyt selve oick myt myn eygen handt.

B. 10.

N°. 195. 1586—1602.

Acta septem capitulorum generalium, praeside Georgio Constantini, Magistro Generali.

(P. Halloix Diffinitiones, Ms. in 8°. fol. 138 vso. — 145. Codex defin. secundus in 4°. in tabulario conventus Udensis).

Anno 1587. Confirmatus est a diffinitoribus R. P. Georgius Constantini atque mandatum cunctis, ut nullus se segreget ab authoritate ejus et capituli generalis, sub poenis in statutis ordinatis, ut constat de capitulo generali. *Confirmatio.* Confirmamus inclinationem ad *sit nomen Domini benedictum;* cetera vero diffinita in diffinitionibus annorum 1583 et 1586, quia aliquam videntur sapere sensualitatem charitatisque laesionem, hinc est, quod nihil de eisdem diffinire aut determinare intendimus, sed tanquam diffinita manere, donec a R. P. Georgio, et a capitulo generali aliquid sancitum fuerit. *Ordinatio.* Ordinamus atque praecipimus omnibus prioribus atque domorum rectoribus in virtute sanctae obedientiae, ne detractent probos, litteratos, et honestos juvenes summo conamine recipere, eosque instruere in omni pietate atque humilitate cordis et corporis. Item praecipimus, ut futuro capitulo generali aliisque subsequentibus nomina suorum fratrum ad capitulum deferant sub poenis arbitriis P. R. et capituli generalis. Item volumus atque expresse mandamus, remittendo procuratores conventuum ad diffinitionem annorum 1509 et 1541, ne imposterum sub poenis privationis officiorum suorum, pariter loci et vocis tam activae quam passivae, sibi ipsis provideant de quibusdam necessariis, nec alia quaecumque vendant, aut emant, sine expressa licentia suorum Priorum. Item diligenter observari volumus, ut in omnibus conventibus ordinis nostri, maxime civitatibus et oppidis, ubi fuerint 8 fratres habitantes, ut divinum officium tam diurnum quam nocturum religiose, cum debita pausatione cantetur, nec

est quod quisquam modo quocumque excusationem et insufficientiam praetendat.

Anno 1588. *Approbatio.* Omnia anno praeterito ordinata approbamus. *Admonitio.* Item cum certo constet non deesse, qui conventus sacri ordinis nostri nobis eripere, falcemque in alienam messem mittere conentur, ut talibus obicem ponamus, praecipimus omnibus Prioribus, domorumque rectoribus sic diligenter et sollicite suis functionibus invigilent, ne eorum incuria tale quid in dedecus nostri ordinis et detrimentum audire contingat; proinde attendant sibi et gregi bene et laudabiliter vivendo, disciplinam diligendo, et a subditis exigendo, gregi vero salutem animarum sibi commissarum solerter quaerendo, cui merito vita et moribus et authoritate praeesse debent. Item audivimus et intelleximus in magnum monasticae disciplinae detrimentum a Prioribus non stricte servari aut teneri capitulum; volumus et praecipimus in virtute sanctae obedientiae, illud teneant ad minimum singulis quindenis, imo crebrius si festi solemnitas, aut excessus alicujus fratris postulaverit, in quo capitulo dicantur zelo disciplinae, amoreque hominis et odio vitiorum, quae ad correctionem et emendationem spectant. Si quis autem eo temeritatis venerit, ut proterve ibidem loqui ausus fuerit, quantumvis acerbe pro sua correctione moneatur, poenas juxta dictamen superioris dabit. Item cum vitium proprietatis inter fratres nostros multum serpere audimus, volumus quatenus Priores gravissime in illos animadvertant, ne cum Anania et Sapphira ob porciunculam haereditatis retentam, aut cum Juda traditore, quem loculos habuisse legimus, pereant. *Admonitio.* Cum hoc exulceratissimo tempore nobis certo constet, nonnullos sacri ordinis nostri fratres, professione oblita, haud aliter vitam agere, velut sui juris essent, quos sane omnes omni humanitate, qua possumus, ad ovile unum et pastorem, hoc est, ad sacrum ordinem nostrum, cui ultro se manciparunt et solemni voto dedicarunt, animarumque

eorum salutem sitientes, in Domino revocamus, officiose denunciantes eis, nullo modo alio salvos fieri posse.

(Acta anni 1589).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae, collatum cum Fr. Halloix compendio fol. 140).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt diffinita et ordinata in capitulo generali per nos, Fratrem Georgium Constantini, Petrum Nigrae Paludis, Jeronymum Namurcensem, Rolandum Leodiensem, Hermannum Pontis Coeli conventuum Priores et capituli nostri generalis diffinitores, anno M. D. 89, die 1 mensis Maii et duobus immediate sequentibus in domo nostra Huyensi totius sacri nostri ordinis primaria celebrati. In primis cuncta et singula duobus annis immediate praecedentibus ordinata et approbata pro praesenti confirmamus, pariter omnia illa anno praeterito et singula diffinita approbamus (*a*).

Item cum liquido constet, quosdam Priores ad capitulum generale, quod annis singulis patres nostri salubriter admodum et utiliter sanxerunt, venire dedignantur contra summorum Pontificum bullas patrumque diffinitiones, nec non laudabilem sacri ordinis nostri consuetudinem, in summam eorum confusionem addentes, placeto, quod singulis capitulis generalibus a R. P., juxta ordinis veterem morem, petitur ac renovatur, uti accepimus, non verentur abuti; hinc est quod praesenti statuimus ac diffinimus, tales, nisi anno sequenti comparuerint, dignos absolutione officii esse, eorumque placeta pro praesenti cassamus et annihilamus, denuntiantes illis absque conscientiae laesione uti non posse, cum nullius virtutis et efficaciae sint.

Pariter quia accepimus, quosdam ordinis nostri fratres eo temeritatis ac dementiae pervenisse contra votum obedientiae,

(*a*) De officio divino quaedam a nobis praetermissa sunt.

ut, si pro eorum conscientiae tranquillitate et fratrum pace per visitatores ac alios nostri ordinis conventus mittantur, datam ab eisdem obedientiam minime adimplere curent nec parent: tales rebelles, inobedientes et temerarios, carceri mancipandos absque ulla dispensatione, etiam invocato si opus fuerit brachio saeculari, mandamus.

Item quia non sine gravi tristitia et dolore cordis nostri compertum et denuntiatum, pluribus in conventibus nostri ordinis non habere diffinitiones patrum defunctorumque nomina in eis contenta, pro quibus fratres in conscientia astricti sunt celebrare et orare, sed et proh dolor, neque statuta nec regulam ipsam, quam professi sunt, verum etiam plurimos fratres intonsos et sine cruce assuta scapularibus cappisque incedere, quae tamen principalis nota est sacri nostri ordinis; ideo demandamus ac monemus, ut Priores illorum conventuum intra annum diffinitiones, statuta, regulam et caetera ante dicta habeant ac stricte servent, secundum ordinis consuetudinem, sub poena anno primo 6 ducatorum, applicandorum ad ordinis usum, sin minus sequenti altero anno sub poena privationis officiorum suorum, nisi discretioni ac prudentiae R. P. G. secus visum fuerit.

Item non obstante ordinatione, facta anno 1587 de procuratoribus, quia etiam intelligimus non nullos procuratores et alios officiarios et ministros illato et extento colle ambulare, Prioribus rebellare, despicere et contemnere, sed etiam, quod pejus, humanitatis et humilitatis ac subjectionis officia nolle exhibere, imo temerario ausu improperii ac vilipensionis verba in eos proferre et invehere non verentur et quandoque non sine scandalo audientium, tales ipso facto, loco, voce activa et passiva privamus, sedendo sequenti die et immediate duobus diebus sequentibus in pane et aqua in medio refectorii. Item quia pluribus patribus sacer ordo noster non est cordi, ut suplevetur et ad pristinum statum reducatur, neque pariter auxilio

et consilio capitulo nostro generali adesse et prodesse volunt, sed potius, quod dolendum est, bona miserorum conventuum seu potius patrimonium Christi insumere et dilapidare non formidant, tales omnes absentes a capitulo pro sublevatione paupertatis nostri ordinis et conventuum taxamus et satis clementer ad triplicem contributionem, quam sine ulla tergiversatione procuratoribus nostri ordinis numerare tenebuntur, ad hoc destinatis: hanc ordinationem non tenentes aut reclamantes ipso facto sui prioratus officio absolvendos diffinimus. Quia hactenus magna incuria et negligentia habita est in contributionibus solvendis atque levandis, imo quod quidam exactas a patribus in proprium usum converterunt et inutiliter consumpserunt, nec etiam rationem ineunt, et cum etiam patres annuis contributionibus plurimum gravati fuerunt, moti ergo patres miseria et paupertate sacri nostri ordinis, sanxerunt instituendos et pro praesenti instituunt V. Priorem Namurcensem et Pontis Coeli Priores, Procuratores generalis capituli, ut contributiones diligenter colligant et sollicitent, quorum rationem tenebuntur singulis capitulis generalibus fideliter reddere.

Hoc anno visitabit V. P. aut patres deputandi Inferioris Germaniae conventus. Fr. Joannes Erculaus, Coloniensis, stabit in conventu Mariae Laudis, Fr. Christianus Hassellensis stabit in conventu Namurcensi.

(P. Halloix Diffinitiones, Ms. in 8°. fol. 138 vso — 145. Codex defin. secundus in 4°. in tabulario conventus Udensis).

Anno 1590. *Approbatio.* Omnia anno superiori ordinata approbamus. *Ordinatio.* Item sub poena gravioris culpae prohibemus, ut nullus fratrum nostri ordinis brachium saeculare per modum supplicationis aut quovis modo implorare praesumat, nisi de scitu et licentia P. R. idque urgente necessitate. Item quia non sine animi dolore intelleximus, negligentia et incuria quorumdam Priorum monasticam disciplinam langues-

cere, fratresque multum laxe vivere, non curantes numerum fratrum suorum, ut facultas domus admittit, augere, quorum inopia laborat ordo noster, tales in virtute sanctae obedientiae monemus, ut suorum officiorum diligentem habeant rationem, pascentes non seipsos sed gregem. Item quod fuit approbatum et confirmatum per tria capitula de nominibus fratrum, tam vivorum quam defunctorum uniuscujusque conventus ad capitulum generale portandis, hoc severe demandamus Prioribus sub poena absolutionis ab officiis et annuatim impleatur perficiaturque (*a*).

Anno 1591. *Approbatio.* Omnia anno praeterito ordinata approbamus. *Confirmatio.* Approbata confirmamus. *Ordinatio.* Item declaramus Priores, illius non esse facultatis, nimirum elocandi aut emittendi, sive etiam revocandi fratres sacri ordinis nostri, uti accepimus factum, sine R. P. nostri vel etiam visitatorum expressa licentia, sub poena absolutionis ab officio.

Anno 1592. Non fuit celebratum capitulum, nam P. R. tunc temporis erat Coloniae.

Anno 1593. *Approbatio.* Omnia anno praeterito ordinata approbamus. *Confirmatio.* Approbata confirmamus, dempta illa clausula in placeto contenta, qua conceditur Prioribus authoritas acceptandi perpetuos pensionarios, in magnum detrimentum et dispendium conventuum, quare non otiosum Prioribus visum fuit super hac re ordinare. *Ordinatio.* Praecipimusque ne de caetero tales pensionarios, cujuscumque dignitatis vel conditionis extiterint, quantumvis magnam pecuniarum summam numerare voluerint, leviter temereque, nec non sine speciali licentia P. R. ac capituli generalis, recipiant; contrarium facientes absolutione suorum officiorum dignos judicamus, reliquos poenae gravioris culpae subjicimus: licentia vero impetrata, manda-

(*a*) In hoc capitulo generali festum duplex B. Quiriaci consignatur celebrandum postridie inventionis S. Crucis. P. Hertzworms, *Religio S. Crucis* in apponendis ad pag. 68.

mus, ut pecunia numerata ad perpetuos redditus emendos vel redimendos applicetur, nisi gravior domus necessitas aliter faciendum urserit, idque semper de licentia P. R. Item quod de invocatione brachii saecularis superiori diffinitione dictum est, ne illud aliquis Priorum implorare audeat, nisi de licentia R. P., modo declaramus, quod casu, quo patres tales rebelles et manifestos refractarios habeant, quos nec authoritate, nec quovis modo subjugare queant, brachio saeculari illis uti permissum sit. Item quia frequenter increvere damna et abusus Ordini super impignoratione bonorum tam mobilium quam immobilium, unde conventibus damna magna supervenisse intelleximus, hinc de novo refricandum duximus, ne Priores de caetero, sub poena absolutionis suorum officiorum, suos conventus quodammodo obligare praesumant, juxta ordinationem anni 1419, et duobus immediate sequentibus, quod et idem decernimus de redditibus redemptis, redimendis et reapplicandis. Similiter quia longo usu jam expertum est, quod ex nimia dilatione computationum conventuum oriatur difficultas, hinc fit quod ex novo ordinamus, ut id secundum dictamen statutorum singulis trimestribus apte, clare et fideliter fiat observetur. Item quia intelleximus temere satis nonnullos inutiles et non qualificatos ad ordinem recipi, tam ob munera, quam ob amicorum, patriaeque favorem, unde noster ordo multorum incommodis et imperfectionibus inhonoratur, quare per praesentes cunctos nostri ordinis Priores monemus ac hortamur, ne tales de caetero temere recipiant, sed indifferenter honestos et qualificatos. Praeterea accepimus dolenter quosdam eo dementiae et audaciae devenisse, ut spreta votorum suorum observatione, si quid muneris vel officii a suis praelatis vel Prioribus injungatur, id temere a se rejiciant, nisi illius muneris vel officii certa merces polliceatur, alios obstrepere suis Prioribus, maxime si conventuales non exstiterint, differentiam facientes inter locum et locum, cum certo constet nos omnes fratres esse, viventes sub una regula,

et sub unius professionis voto, quos omnes in virtute sanctae obedientiae monemus, ut ab hujusmodi temerariis inclinationibus desistant, sed sine mora ut religiosos decet, mandatum seu praeceptum suorum Priorum sub poena gravioris culpae executioni mandent. Item quia accepimus quosdam eo temeritatis venisse, ut contra ordinationem R. P. seu visitatorum suorum protestari audeant, quasi ad eos spectaret ordinare et constituere, et non ad P. R., penes quem est omnis authoritas statuendi et ordinandi in nostro ordine, cui omnes merito debemus obedire, tales temerarios et frontosos, tanquam membra discrepantia a capite privamus voce activa et passiva, junioresque esse volumus illius domus usque ad revocationem capituli generalis, vel P. R., maxime quod tales et his similes, discordias, rixas, dissentiones seminent inter fratres, quos Deus odit et anima ejus detestatur.

Anno 1594. *Confirmatio.* Omnia anno praeterito approbata confirmamus. *Approbatio.* Ordinata approbamus. *Ordinatio.* Item quia intelleximus quosdam fratres nostri ordinis tam malae conscientiae, ut in anno vix bis aut ter peccata, quibus Deum offenderunt et proximum, confiteantur, et ad altare accedere quasi sues absque reverentia et timore, hinc est quod tales serio monitos per praesentem diffinitionem cupimus, ut frequentius conscientias suas expurgent per confessionem et veram contritionem: si quis autem manifeste in peccatum mortale incidisse deprachensus fuerit, et absque praevia confessione, et fratrum offensorum reconciliatione sacrificare praesumsisse inventus fuerit, suspendimus talem ad voluntatem suorum superiorum a divinis. *Ordinatio.* Item quia percepimus plures fratres nostros tam futiles et temerarios esse, ut secretum capituli et defectus fratrum amicis et saecularibus, contra regulam nec non Patrum statuta, foris referant atque eliminent, poenae gravioris culpae subjicimus, quando quidem hujusmodi suorum fratrum proditores sint, et ordinem nostrum inevitabili quodamodo infa-

mia afficiunt. Item quia intelleximus quosdam fratres nostri ordinis, neglecto et abjecto Dei timore, sanctum religionis habitum deponere, et nostro ordini valedicere, cum magno saecularium scandalo, et ordinis confusione, cuperemus, ut Priores, si sit aliqua spes emendationis, ad conventus ordinis revocent, aut praesertim si in confiniis et vicinia agant, ne aliis apostatandi occasio etiam detur, ex eis expelli procurent. Item hoc anno et septem sequentibus patres a contributionibus absolvimus, ita tamen ut praesentes dalerum unum contribuant; illi autem qui ob pericula itinerum et ob ardua negotia ad capitulum generale venire impediuntur (qui tamen excusationem generali capitulo significare tenebuntur) coronam Franciae numerent, quae pecunia in usum ordinis in cista tribus distinctis seris munita, cujus clavem P. R. et diffinitores duo juxta ordinis statuta habebunt, conservabitur.

Anno 1595. Non fuit celebratum capitulum; castrum enim Hoyense ab Hollandinis fuerat fraude et dolo occupatum et ipsa etiam civitas, sed tamen eodem mense civitas vi fuit recuperata, et castrum coactum fuit se resignare in manus Episcopi Leodiensis.

Anno 1596. Non fuit factum capitulum (*a*).

[Desunt definitiones ab anno 1594 usque ad annum 1606 exclusive] (*b*).

N°. 196. 2 Nov. 1588.

Fr. Georgius Constantini, Magister Generalis dat facultatem, conventum S. Agathae transferendi vel Noviomagum vel Graviam.

(Autographum sigillo munitum in tabulario conventus S. Agathae).

Dilectis nobis in Christo patribus, Fratri Cornelio Neomagio, Hornensi, Priori et Fratri Gerardo, Geldrensi, Procuratori S.

(*a*) Hic finitur Codex Defin. Fratris Halloix.

(*b*) Cod. Defin. Ms. in 4°. in tab. conv. Udensis.

Agathae, Frater Georgius Constantini, Fratrum Sanctae Crucis conventus Huyensis, Leodiensis dioecesis, nec non totius Ordinis antedicti Prior Generalis, salutem in Domino et fideliter agere in commissis. Ex parte nativi vestri conventus S. Agathae (qui proh dolor, temporis hujus exulceratissimi rabie jam solotenus quodammodo demolitus, feris et bestiis crebrius silvae quam fidelibus ecclesiae frequentatur) nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus illorum necessitati condescendentes, illis supra praedicti monasterii restauratione ac in tutiorem locum, in civitatem videlicet aliquam, sive Neomagiensem sive Graviensem, traductione, nostrum daremus consensum. Ad quod praestandum cum multa nos moverent, ut interim officii divini neglectum, fratrum hinc inde dispersorum periculum, monasticae disciplinae dispendium aliaque similia, quae sine conscientiae nostrae vel maximo remorsu intermittere nequimus, maxime quoque cum, et ex temporis hujus plusquam tragici malitia et loci periculo, spes tutius ibidem posse degere conventum, a modo nulla affulgeat, discretorum virorum super hoc praehabito consilio, illorum supplicationibus nostrum consensum inclinare fuimus coacti, prout et praesentium tenore inclinamus et consentimus, ea tamen conditione et lege, ut missarum et animarum (quarum forsitan apud inferos adhuc periculum agitur) caeteraque ecclesiae onera et jura prius ibidem servari solita, quoque transferantur, ne illis, unde incrementum meritorum accrescere speramus, detrimentum forte, quod absit, accedat. Et quia praedicti negotii promotioni, prout ex debito officii nostri nobis incumbit, non valemus ad praesens personaliter vacare, aliis negotiis ordinis et hisce non inferioribus praepediti, vobis, de quorum industria, probitate et fidelitate bene confidimus, ipsis negotii pondus committere et in omnibus et singulis eam rem concernentibus vices nostras subdelegare decrevimus, prout et praesentium testimonio subdelegamus et resignamus, constituentes, ordinantes et creantes vos nostros certos procuratores in om-

nibus et singulis causis et negotiis dictae communitatis promovendis; coram quibuscumque etiam locorum ordinariis aut jurisdictionem aliquam sive ecclesiasticam sive saecularem exercentibus comparendi, sollicitandi, imo etiam acceptandi et aedificandi domos, mansiones et loca, si quae forte fidelium piorum largitate vobis tribuantur, omniaque alia agendi, dicendi, procurandive, quae quicumque veri et legitimi nostri procuratores facere possent ac debent, ac quae nos faceremus ac facere possemus, si praesentes in praemissis et personaliter interessemus: promittentes nos gratum, ratum et stabile habituros, quicquid per vos procuratores praenominatos dictum gestumve fuerit: supplicantes omni qua possumus instantia et submissione universis et singulis praesidentibus et dominis tam ecclesiasticis quam saecularibus, Burgimagistris et communitatibus, quatenus praedictis nostris fratribus manus praebeant auxiliatrices, mercedem sine dubio ab eo recepturi in coelis, cujus servitium, cultum et honorem hoc facto, permovebunt in terris. In quorum omnium et singulorum fidem, robur et testimonium praesentes manu propria subsignatas, nostri quoque Generalatus sigillo communimus. Datum in conventu nostro primario Huyensi, anno redemptionis humanae 1588, secunda die Novembris, quae erat omnium animarum dies.

Frater GEORGIUS CONSTANTINI,
Fratrum Cruciferorum immeritus Generalis.

N°. 197. 12 April. 1589.

Senatus Noviomagensis Fratribus Ordinis S. Crucis conventus S. Agathae, in suam civitatem migraturis, promittit, se eos eorumque monasterium condendum ad instar aliorum conventuum habiturum cum exemptionibus et privilegiis, quibus caeteri in urbe gaudent religiosi.

(Autographum in tabulario ejusdem conventus).

N°. 198. 15 Jan. 1596.

Conventuales S. Agathae mutuo accipiunt 1000 *florenos, quibus emerunt domum Graviae, ubi domicilium fixerant.*

(Autographum in tabulario ejusdem conventus).

Wy Broeder Cornelis van Oy, Prior, Broeder Gerit van Ninmeghen, Procurator des convents van Sint Agathen, bekennen voer ons van weghen ons convents ende naecommelinghen, dat Hanrick van Steenhuys, borger tot Grave, in onsen handen ende gewalt gesteelt ende gelevert heeft, die somme van thien hondert gulden Brabants, elcken voerss. gulden gerekent ad twintich stuvers Brabants, met welcke penninghen eensdeels wy betaelt hebben het huys daer wy broeders in meynen te woenen, tot Grave by het casteel geleghen. In recompens van den welken wij Broeder Cornelis van Oy ende Broeder Gerit van Ninmeghen voerss., inde voerss. qualiteyt, in pandtschap wytgegheven ende in handen gesteelt hebben den voergen. Hanrick van Steenhuys, twelff merghen soo tuellandt als weylandt met ten last daer toe staende, metgaeders oeck alle andere extra ordinarise ongelden soe van contributien als andersints, gelegen synde die voerss. landeryen tot Lynden inde landen van Cuyck, ende alle die selve landeryen byden voerss. Hanrick van Steenhuys terstont nae aensien deses te aenverden, ende te gebruyken, ter tyt ende wylen toe, wy Broeder Cornelis van Oy, Broeder Gerit van Ninmeghen voerss. off onse naecommelinghen van weghen ons voerss. convents die selve somme van duysent guldens Brabants aenden voerss. Hanrick van Steenhuys oft thoender deeses irst sullen hebben betaelt ende gerestitueert. Des toirconden hebben wy Prior ende Procurator voerss. dese tegenwordighe, by forme van obligatie voer ons ende onse naecommelinghen, conventualen van den selvighe con-

vent van Sint Aghaten respective onsen eychen naemen ende handen hier onder gesteelt, in presentie ende ten overstaen van den eerwerdighen heer meyster Arnt Swaens, Canonick op casteel, ende meyster Johan Jacops Orgenista, deze oeck mede ter beden ende requisitien van den voorgenoemden Prior ende Procurator met hoeren naemen respective onderteekent hebbende. Actum tot Grave den xv^ten^ January, anno duysent vyffhondert ses ende tnegentich.

Broder CORNELIS VAN OY, Prior als boven.
Bruer GHERIT VAN NYMEGEN, Procurator.
H. ARNDT SWAENS, Canonicus.
JAN JACOP ZN., Organist.

N°. 199. 17 Julii 1598.

Fr. Quirinus Judensis ordinatur Prior Vallis S. Mariae in Ehrensteyn.

(Codex statutorum Ms. in 8° in biblioth. seminarii Leodiensis, fol. 16).

Universis ac singulis praesentes literas visuris vel legi audituris. Nos Fr. Georgius Constantini, Fratrum Sanctae Crucis conventus Huyensis, Leodiensis dioecesis Prior, nec non et totius ejusdem sacri ordinis Dei patientia Magister Generalis, salutem in Domino, cum infra scriptorum notitia veritatis. Destituta nuper domo nostra Vallis Sanctae Mariae in Erensteyn, per supportationem fratris Henrici Krudener, suo capite ac rectore, ne mora forte periculum generaret, ilico in illius locum substituimus et ordinavimus Patrem, Fratrem Quirinum Judensem, quem in praetacti conventus Vallis S. Mariae Priorem, tenore praesentium confirmamus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Committentes eidem curam, gubernationem et administrationem rerum bonorumque antedictae nostrae domus Vallis S. Mariae, mobilium pariter atque immobilium, tam in temporalibus quam in spiritualibus, citra ullam tamen

bonorum mobilium seu immobilium, ad conventum praefatum pertinentium, venditionem, alienationem seu obligationem, sine nostra speciali licentia. Insuper dantes eidem praefato Patri Priori, Fratri Quirino Judensi potestatem atque authoritatem super fratres praenominati conventus nostri Sanctae Mariae, tam praesentes quam pro tempore futuros, eosdem corrigendi ac puniendi pro qualitate ac quantitate culparum, dirigendique religiose juxta regulae nostrae et statutorum Sacri Ordinis nostri tenorem, aliaque universa faciendi ac providendi, prout fuerit necesse et viderit expedire, praecipientes denique in virtute S. obedientiae fratribus praetacti conventus praesentibus atque futuris, quatenus ipsi obedientiam exhibeant atque reverentiam cum effectu. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praesentibus sigillum nostri officii generalatus superimpressimus. Datum in conventu nostro Nigrae Paludis, die mensis Julii 17, anno 1598.

Fr. Georgius Constantini, Generalis.

N°. 200. 8 Julii 1599.

Cardinalis Andreas Gubernator et Capitaneus Generalis Belgii meridionalis conventum S. Agathae in suam suscipit protectionem, monetque omnes militibus praefectos, ne quid molestiae fratribus faciant. Hi etiam arma ejus gentilitia portis et muris affigere possunt in protectionis signum.

(Autographum in tabulario ejusdem conventus).

N°. 201. 16 Oct. 1599.

Molam equinam in refugio Graviensi erigendi, Fratribus Cruciferis conventus S. Agathae datur potestas.

(Autographum membran. in tabulario conventus S. Agathae).

Alzoe die Prior en de religieusen van Ste Agathen, gerefugieerde binnen der stadt Grave, den President en de luyden

van der cameren vanden rekeninghen van henne hoocheyden in Brabant, by requeste te kennen gegeven hebben gehadt, hoe dat zy remonstranten, boven anderen vele schaeden ende vuyterlycker verderffenisse binnen desen troubelen overcommen in hunne goederen, ende anderssins oyck zyn verjaeght geweest over vele jaeren vuyt hun clooster, inden lande van Cuyck geleghen, ende mitsdyen tvoorscreven clooster geheelyck geruyneert is, ende dat buyten alle apparentien es, dat die voorss. remonstranten (nu geheelyck verarmt) tzelve souden connen restitueren, hebben hun dezelve alzoe om dese ende andere oirsaeken, nu zedert eenighen jaeren herwaerts geaccommodeert binnen der stadt Grave, ende hoe veel zy binnen hunne voorss. ierste wooninghe over langhen tyt ja over mensche gedinckenisse gebruyckt ende gehadt hebben, een eygente rosmoelen tot behoeff van hun huysgesin, soe eest nochtans dat zeedert die veranderinghen van hunne residentie den voorss. rosmolen hun niet en is toegelaeten, ende hebben alzoe moeten doen maelen op de moelens binnen der stadt Grave, daer zy moeten betaelen molster recht, als andere ongepreviligeerde persoonen, tot hunnen grooten ongerieff ende interest, alles tegens tbeneficie van tprevilegie hun eermaels verleent, ende die possessie daervuyt gevolght, ende al ist dat mits dese troublen ende tverloopen van dese remonstranten, die voorss. previlegien off d'acte van dyen gedemanneert is, zoe wordt nyettemin die faulte van exhibitie deser geprevalideert byde voorss. possessie, die anders nyet en soude getollereert hebben gewordden, waervuyt genoech can gespuert wordden, dat de remonstranten van behourlycke acte oft ootroy van previlegien versien syn geweest, waeromme zoe souden zy die selve oyck geerne gebruycken binnen der stadt Grave, plaetsse van hunne jegenwoordighen residentie, om des te beter te cunnen continueren int sustenteren van hunne conventualen, ende vuytreycken vande dagelycsche aelmissen, besundere geschiedende in broot, gelyck zy

van ouden tyden naer hunne institutie plaghen te doene. Dan is van noode causa mutationis loci, van nyeuws daertoe te hebben octroy van dyen vande voorss. camere, hebben daeromme dieselve zeer ootmoedelyck gebeden, dat hun gelieven willen in consideratie van tgene des voorss. is, die supplianten te doen, expedieren behoirlycke acte van permissie, by forme van continuatie vande voorss. possessie, van tgebruycken vanden voorscreven rosmolen binnen der supplianten wooninghe inder stadt Grave, ende dat tot behoeff van hun huysgesin alleenlyck ende nyet anders. Ordinerende den rentmeester int voorss. quartier tegenwoordich off toecommende ende allen anderen diet zoude moghen aengaen, de supplianten te laeten in paisible gebruyck vanden voorss. rosmolen.

Die President ende luyden vander voorss. camere oversien ende geexamineert hebbende deze requeste, ende op de inhouden derzelver gehadt dadvis ende rescriptie thunder ordonnantie, gegeven by Reynier van Boicholtz, rentmeister vanden domeynen der stadt van Grave ende lande van Cuyck waervuyt claerlyck blyckende is, het te kennen geven der supplianten in alles warachtich te wesen, namentlyck oyck dat zy luden inde possessie zyn geweest van het gebruyck vande previlegien vanden rosmoelen voorss. totte destructie van tvoorss. clooster ende verjaghen vande religieusen toe, allet welck geconsidereert hebben om den redenen aldaer naerder vermelt; geconsenteert ende geaccordeert, consenteren ende accorderen van henne hoocheyden weghen mits desen, als dat zy supplianten sullen vermoghen van nyeuws in hun tegenwoordich convent binnen der stadt vanden Grave geleghen, oprichten eenen rosmolen, alzoe sy gehadt hebben in hunnen convente binnen den landen van Cuyck, voorde destructie desselffs, gelyck voorscreven es, op expresse conditien nochtans, dat zy op den selven molen alleenlyck sullen malen al sulcken granen, als zy voor hun huysgesin sullen verbesighen zonder yemandt anders, wye dattet oyck

zy daerop te laeten maelen, op pene van zoe verre anders bevonden wordt de voorss. vryheit te verliesen. Ende om dat de tegenwoirdigen pachters vande moelens binnen der stadt Grave egheen oirsaecken gegeven en soude worden deur de voorss. rosmolen te ymbelleren prejudicie, soe sal daeromme nochtertyt het gebruyck vanden voorss. rosmolen geschorst blyven, tot texpiratie van hunne pacht, ten waer dat die remonstranten vande voorss. pachters consent vercreghen, metten welcken zy tot dyen eynde sullen moghen convenieren. Ordinerende den voorss. Rentmeister, tegenwoordich off andere toecommende, ende alle andere dyen dit eenichssins aencleven mach, hun achtervolgende tgene des voorss. is te reguleren, ende die voorss. religieusen den voorss. vrydom laeten genieten binnen der voorss. stadt Grave, zoelanghen als zy hunne residentie aldaer zullen houden. Ende mits overbrengende dese copie auctentycken derzelver, voor de ierste reyse alleenlyck, ende jaerlycx overbringende pertinente certifficatie, inhoudende dat zy supplianten geen ander granen en hebben gemaelen dan voor hun huysgesin, gelyck voorss. is, zal men hun tzelve gestaen daer ende alzoe dat behoiren sal, sonder eenighe zwaricheyt. Gedaen te Bruessele, ten bureele vande voorss. camere, ende onder het cachet derselver, den zesthiensten dach der maent van Octobris int jaer ons Heeren duysent vyffhondert ende negenentnegentich.

L. Bockhorn.

N°. 202. 6 Maii 1600.

Testimonium honorificum Fr. Quirini Judensis, Prioris Vallis S. Mariae in Ehrenstein.

(**Codex statutorum in 8° fol. 17 vso, in biblioth. seminarii Leodiensis**).

Testimonium laudabile omnium fratrum conventualium in Erenstein, de venerabili Priore Quirino ibidem amoto et iterum secundario praesentibus visitatoribus electo et instituto, anno 1600, *sexto die mensis Maii.*

Notum sit singulis hoc deplorabile testimonium visuris, lecturis sive audituris, venerabilem Patrem ac Dominum Quirinum Judensem, Priorem Mariae Vallis in Erensteyn, Prioris officium ibidem per bieunium satis digne, honorifice, probe et laudabiliter rexisse, ac erga omnes tam extraneos quam intraneos sese, uti religiosum ac bonum patrem decet, charitative nec non humaniter exhibuisse, ita ut nihil sinistri de eo unquam visum et auditum fuerit. Verum posteaquam meris mendatiis (uti satis superque probare liquet) in tragoedias cum Quaestore Ereusteynensi Jacobo Helmich, cive Bonnensi, falso inciderit, praefatus V. Pater Prior sibi prorsus et omnino nullis intervenientibus precibus mutare locum proposuit, ne forte in majus periculum corporis et animae cum eo incurrat, quod summopere majorem in modum suppliciter deploramus. Quare eum dolenter exque intimis visceribus efflagitavimus nobiscum permanendi; ipse vero propter nominatum Quaestorem nostris precibus minime acquiescere voluit, quam resignationem, quemque recessum conventus noster in saeculum deflebit.

Postquam praedictus V. Pater Prior conventum in laudabilem et in aevum memoratu dignum statum reduxerit, qui alias fere succubuerat, et impossibile fuisset in pristinum florem revocari, nisi ipse advenisset, exque gravissimis oneribus levasset. Quid enim hodie laudabilius, quam Deo et homi-

nibus esse gratum et acceptum? Quid honorificentius quam vita, moribus et exemplo aliis praelucere, quibus virtutibus V. Pater Prior mire hactenus claret. Quis lamentabilius quam tanto Domino et Patre carere? in quo non solum conventus unius, sed totius sacri ordinis nostri honor et decus existit. O deploranda mutatio. Ne itaque aliquis cujuscumque dignitatis sive status sit vel fuerit, qui venerabili Domino et Patri Priori Quirino ejus recessum opprobrare attendat, nos infrascripti eum in omnibus excusamus, et toties quoties necesse fuerit defendemus. Hocque egregium et laudabile, quamvis per saecula lamentabile, testimonium cum ingenti cordis dolore ei denegare non possumus, et in rei veritatem sigillo nostri conventus communivimus. Datum decimo sexto die mensis Maii, anno salutis humanae, millesimo sexcentesimo.

Fr. Hermanus Hasius Stralensis,
Prior Duisseldorpensis.

Fr. Theodorus Stralensis,
Prior Coloniensis, visitatores illic per capitulum generale ordinati et missi.

Fr. Reinerus Neustadt,
Pastor in Peterslahr.

Fr. Nicolaus ab Eschwiler.

Fr. Lambertus Asperensis,
Astipulor praecedentibus.

Fr. Theodorus Lincensis,
Diaconus conventualis.

Fratres tantum.

No. 203. 1602—1618.

Acta quatuor capitulorum generalium, praeside Hermanno Hasio, Magistro Generali.

(Codex Defin. secundus in 4°. Ms. in tabulario conventus Udensis).

Anno 1606. Inhibetur seu dicitur Prioribus non licere propria auctoritate elocare fratres. Approbatum in seq.

Datur plenaria auctoritas Priori Coloniensi, Theodoro nomine, definitori, visitandi conventus Germaniae per se vel per alios et ad alia tractanda et disponenda, quae occurrere poterunt. Item hoc anno visitabit per regnum Franciae V. P. Provincialis Franciae. Caeteros ordinis conventus committimus dispositioni R. P. Generalis.

Anno 1609. Inhibetur faeminarum ingressus. Prohibemus larga et sumptuosa convivia in primitiis, in vestitionibus et professionibus. Approbatum in duobus sequentibus.

Anno 1612. Ordinatum ut fratres in processionibus superliceis utantur.

Habeatur magna ratio studiosorum et doletur, quod studium minus ametur, obque id apud multos male audiant. Hinc praescribitur taxa et contributio colligenda a patribus, Priore Coloniensi et Leodiensi persolvenda, et applicanda ad perpetuos reditus collegii nostri Lovaniensis in usum studiosorum (*a*). Embricensis et Duysburgensis annue dabit 6 florenos Brabanticos, Coloniensis 28, Bentlagensis et Montis Orientis 20, caeteri Germaniae 6, 8 et 12.

Anno 1614. Revocatur vetusta consuetudo, qua mandatur singulis Prioribus, 5 vel 6 fratres penes se habentibus, media nocte surgere ad matutinas persolvendas, et tam diurnum quam nocturnum officium tractim cum pausa in medio versus et non

(*a*) In margine adscriptum: annue persolvenda usque ad revocationem capituli generalis.

perfunctorie, sicuti in aliquibus conventibus inolevit, persolvere.

Cupimus quoque ut omnes fratres pro exercitio studiorum et pietatis alternatim, tam dominicis quam festis diebus, in capitulo vel refectorio sermonem habeant.

Postremo quandoquidem deprehendimus in diversis ordinis conventibus diversos esse abusus, tum in cantu ceremoniisque cultus divini, tum etiam in vestitu notabili et coloribus et aliis ejusdem generis, ordinamus et invitamus omnes et singulos conventuum Priores, ut sese per omnia pristinae et antiquae a patribus observatae consuetudini accommodent (*a*).

N°. 204. 25 Aug. 1615.

De bonis conventus in Scharmer in provincia Groningana disponitur in gratiam haeredum fundatorum illius coenobii.

(Autographum membran. in tabulario provinciae Groninganae).

Wy Stadtholder unde Hoeftmannen van wegen die hoege overheyt unde heerlicheit der stadt Gronningen, unde Ommelanden sampt Hoevelingen, Redyeren ende Richteren int Oesterquartier derselver Ommelanden, doen kundt ende bekennen, dat wy inden gemienen landes Oosterwarff binnen deser stadt Gronningen up dem Raedthuese, huiden up dach unde dato deses geholden, inder schelinge, sich erholdende, tusschen dem Eedelen Erentfester Egbert Clandt unde Henrich Clandt, gebroederen, Hoevelingen toe Scharmer unde inde Harckste, sampt dem oock Edelen unde Erentfesten Rudolph van Munster, wegen frouwe Ida Onsta syner l. huysfrouwen, unde Abel Coenders den jungeren wegen frouwe Eylco Onsta, syner lieven moeder, hoer respective dragende als voer successive arffgenaemen, wylandt heeren Johan Rengers, Rydderen, unde Agnese van Laer gewesenen eheluyden. Unde dan Willem Meyeringh

(*a*) In margine haec adscripta sunt: »hinc incipiunt capitula generalia triennio celebrari" et paulo inferius: »una definitio deest".

sampt Roeleff Schluyter, volmachten der eygenarffden unde gemeente des Caspels Scharmer, anclageren ter eener, tegens unde wedder den Erbaren unde Walgeleerten Elbertum Torneium, volmachten der oock Edelen Erentfesten heeren Gedeputeerde Staten deser provincie der stadt Gronningen unde Ommelanden, verweerderen ter anderen syde. Daerheer questieus unde scheelafftich wesende, dat sie clegeren upgenent, vanden voergescreven becleegeden (als wegen deser jetzgedachten provincie underhebbers der geestlichen unde cloosters guederen inden Ommelanden gelegen) versochten des cloosters Scharmer gueder deszwegen in eigendoem te genieten, dat sie als successive arffgenaemen wylandt voergemelts heeren Johan Rengers unde Agnese van Laer, syner huesfrouwen, als eerste fundatoren unde stiffters desselvigen cloosters inden fundation unde donation brieff, hoer solchen conditie expresse bedinglich reserveert unde voerbeholden solden hebben, soe verre die plaetz unde gueder eenigen tydes onnut unde tot een clooster niet dienlich fallen muchten, dat dieselve gueder alszdan wederom aen hoer offte hoern erffgenaemen (daer voer die clegers voorsz. hoer hilden) mit noodrufftigen bescheit wederom solden overgeven. Waerover alsoe gemelte parthyen beydersydts hoere rechtz noodrufft schrifftlich procedendo gerichtlich ingewandt, unde, der Erentferster Writzer ten Halte, Hoeveling unde Redger daer van eenen doem gegeven, waervan sie voergemelte clegers (als hoer daerdorch beschwaert holdende) aen uns beroepen: hebben nae beydersyts ten vollen unde langsten, angehoerten noodrufft unde nae voergangenen ryplychen consideratie unde grundtlichen erweginge deszgenes, in deser appelationsachen toe considereen unde erwegen gewesen, den gedachten Doem guedt unde den upgemelten clegeren, als appellanten beroepinge, quaet gekaudt. Mit dem aenhangen nochtans, soe verre sie beclageden van nu voertaen, eenichsins naelaetich affte sumich muchten vallen, den caspelluyden mit eenen duchtigen pastor offte

predicanten, unde eenen schoelmeister toe voersien unde 't voersorgen, unde die kercke mit oock noodtwendige behuesingen toe onderhalden, dat sie fundatores dieselve heeren Gedeputeerden, 't selve soelen doen presteren, achtervolgen unde underholden, krafft unde nae inholde des voergedachten fundation unde donation brieves. Pronunciatum Gronningen den twintichsten Novembris anno sestienhondert. — In oorconde ende vestenisse der waerheyt, hebben wy Stadtholder ende Hoeffmannen upgemelt onsen amptz zegel witlicken beneden aen desen gehangen. Gegeven inden jaere ons heeren een duesent sesshondert ende vyfftiene, den vyff ende twintichsten dach Augusti.

Ter ordon. der h. h. vorn.

R. HUSMAN.

N°. 205. 1619—1648.

Acta septem capitulorum generalium, praeside Augustino Neerio, Magistro Generali (a).

(Acta anni 1620).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae, collatum cum Codice Defin. Ms. in 4° in tabulario conventus Udensis).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt diffinita et ordinata per nos Fr. Augustinum Neerium, Generalem; Paulum Reneri, Priorem Ruremundensem et Provincialem Germaniae; Joannem Soye, Priorem Aquensem; Joannem Anthonii, Priorem Coloniensem; Nicolaum Henrici, Priorem Dionantensem, diffinitores capituli nostri generalis, habiti A° 1620, die 17 mensis Maii et duobus diebus immediate sequentibus, in domo nostra Huensi celebrati.

(a) Ex actis ea praetermittimus, quae vel ad officium chori vel nullius momenti hodie esse videntur, V. G. quaedam nomina fratrum defunctorum, cet., secuti in his Fr. Halloix agendi rationem.

In primis quod praecedenti capitulo de exhortatione per fratres nostros diebus dominicis in conventibus facienda, de meditatione post completorium et ante *Primas* observanda approbatum est, confirmamus.

Insuper ut pluralitas diffinitionum evitetur, eo quod vix diffiniri queat, quod majorum nostrorum diffinitionibus insertum non sit, hinc omnes confratres nostros ad librum diffinitionum dimittimus, obsecrantes omnes et singulos in Domino, ut ordinata jam pridem et diffinita observent. Quod ut fieri uniformiter ab omnibus possit, examinandae dabuntur diffinitiones annorum praecedentium uni, qui flosculos, fundamento spirituali statutorum nostrorum convenientes, excerpet et hic aliis constitutionibus adscribi et ab omnibus observari et in capitulo quotidiano praelegi possint.

Et quandoquidem uniformitas habitus externi paritatem morum et ceremoniarum in nobis postulat, requirimus omnes et singulos Priores, ut in officio Missae et in aliis divinis officiis iisdem plane per omnia utantur ceremoniis, evitantes singuli singularitatem suam, et ut id commodius fieri possit, remittimus fratres nostros ad Breviaria et Missalia ordinis Praedicatorum, ad morem Romani Missalis et Breviarii correcta et emendata, edita hoc anno labenti.

Etiam ex quo in receptione novitiorum et pia eorum institutione consistit salus conventuum et totius Sacri Ordinis profectus, volumus, ne de caetero, uti statuta aperta habent, quis recipiatur aut receptus ad professionem admittatur, nisi de speciali licentia R. P. G. aut ejus vicarii et provincialis.

Etiam ex quo novitii in anno probationis (proh dolor) negliguntur, unde postea discoli et ordini inutiles et molesti reperiuntur, volumus ut deinceps domus Novitiatus habeantur in Gallia, in Patria Leodiensi et in Belgio sive Germania, ad quas Novitii a Prioribus conventuum, ubi disciplina solemnis

non observatur, suscepti, statim instituendi transmittantur, et quidem in Belgio domum Novitiatus assumimus conventum Alti Nemoris: et rescindentes de facto omnes sumptus, qui fieri solent in Novitiorum investitione praeter communem in refectorio fratrum refectionem; volumus ut tales sumptus convertantur ad solvendos sumptus anni probationis; similiter de studio ordinabitur a R. P. nostro Generali, ubi commoditates et statum conventuum post generalem omnium conventuum visitationem cognoverit. Insuper ex quo secundum regulam non debet esse notabilis habitus noster, sed in cappis vilitas ad mundi contemptum significandum observari, prohibemus ne de caetero notabilitas aliqua in vestibus fratrum nostrorum appareat, sive in preciosa materia scapularium, sive nodorum aptatione et calceorum curiosa et nova forma et colaribus et similibus, sed singuli honeste et humiliter incedere et se componere studeant.

Ad haec quod anno 1612 in capitulo generali de superpelliceis in processionibus, ubi commode id fieri potest differendis a nostris fratribus ordinatum est, approbamus.

Volumus etiam ut singuli conventus statim faciant copias suorum registrorum, sive proventuum ac eas in proxima visitatione fideliter R. P. G. nostro tradant et exhibeant.

Ex quo etiam disciplina magnam patitur jacturam, eo quod fratres saepius ad prandia exire permittantur et saecularibus hac occasione sociari, ordinamus ne fratribus nostris licentia talis detur, nisi speciali gratia et occasione, nec Priores eadem utantur, nisi in casu necessitatis; fratres etiam hospites venientes ad conventum aliquem ordinis vespere sive in adventu in camera hospitum honeste excipiantur et reliquis diebus in prandio sociabunt sese fratribus in refectorio, ubi secundum discretionem Priorum haberi debent, nisi dignitas personarum aliud exigat et requirat.

Demum ex quo noster ordo est pauper, nec ullos habeat proventus, quibus in necessitatis tempore ad resistendum aemulis aut in promovendis communibus ordinis necessitatibus uti

possit, volumus ut singuli conventus annue contributionem solitam exsolvant aut ut singuli conventus semel summam aliquam contribuant, applicandam in emptionem censuum annuorum, de quibus singulare ordinis registrum ac in capitulis generalibus eorum prioribus computus fiet.

Ad refrenandam refractariorum proterviam et audaciam, dicentium se non obligari ad hujusmodi nostras definitiones, nisi per tria capitula fuerint approbatae, volumus omni seposita excusatione, ut quam primum hae ad aures confratrum nostrorum venerint, omni dilatione semota et sub poena, quae inobedientibus debetur, his pareant serventque, donec a Patribus aliud fuerit ordinatum.

Item hoc anno visitabit R. P. noster generalis una cum R. P. Provinciali omnes conventus Germaniae.

Obierunt ab ultimo capitulo generali R. P. Hermannus Hasius Magister Generalis, P. Theodorus Lomannus Prior S. Agathae, P. Theodorus Pilslicker quondam Prior Vestoniensis, P. Joannes Argillorus, quondam Prior in Glintveldt, P. Nicolaus Basani, Prior Bellagensis, P. Petrus C.. tuhovius (*a*), Prior Nigrae Paludis, P. Matthias Fabricius, Supprior Sylvaeducensis, P. Joannes Landen Senior et Jubilarius Huensis, Pater Monialium S, Quirini.

(Acta anni 1624).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae, collatum cum Codice Defin. Ms. in 4° in tabulario conventus Udensis).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt definita et ordinata per nos Augustinum Neerium, Generalem, Antonium Tepier, Priorem Parisiensem et Franciae Provincialem, Henricum Walteri S. Agathae, Martinum Pauli Trajectensium Priorem, Christianum Burensem Mariae Pacis,

(*a*) Charta perforata nomen integrum legi non potest.

conventuum Priores, ac diffinitores capituli nostri generalis habiti A°. 1624, die 5 mensis Maii, et duobus diebus immediate sequentibus in domo nostra Huensi celebrati.

Quod insuper de novis festivitatibus praecedenti capitulo ordinatum est, id in novo S. Ordinis breviario plenius exprimetur, secundum quod omnes nostri conventus se in canonicarum horarum persolutione accommodare astricti erunt.

Donec etiam missale in usum S. Ordinis impressum non sit, omnes quoque fratres astricti erunt (ut uniformitas ceremoniarum sit) antiquo S. Ordinis ordinario se conformare. Quum vero ad morem Romani missalis dictum missale ordinis corrigendum et emendandum foret, licitum erit, ritum et usum Romanum juxta ceremonias saltem sequi.

Pari quoque modo, quod in capitulo praecedenti ordinatum est de domibus novitiatus in Gallia, Patria Leodiensi, Belgio sive Germania instituendis, ad quas novitii a Prioribus, de licentia Magistri Generalis suscepti, statim instituendi mittantur, approbamus.

Praeterea ut his novitiatus domibus prospiciatur de piis et optime formatis Patribus, qui eosdem praefatos novitios in mortificandis passionibus malis exerceant, ac secundum interiorem et exteriorem hominem, ad formam disciplinae monasticae quam accuratissime componant necesse est. Quibus itidem aptioribus studium, cum Philosophiae, tum etiam S. Theologiae pro discretione R^mi^ P^ris^ provideatur, vel in aliquo S. Ordinis nostri monasterio sive collegio ad hunc usum instituendo.

Ex quo ad Germaniam a RR. PP. Generali, diffinitoribus, Provinciali atque a caeteris Germaniae provinciae Prioribus omnibus in hoc generali capitulo congregatis, una sententia unoque consilio, domus Nigrae Paludis ad novitiatum dictae provinciae fuit designata; declaramus autem nullos ad professionem sine R^mi^ P^ris^ nostri Generalis, aut ejus Vicarii admittendos consensu;

admissos vero citra praetacti Patris assensum censeri non professos.

Et quod nemo deinceps fratrum ad dignitatem magisterii atque caeteros consequentes dignitatum gradus promoveatur, citra specialem capituli generalis licentiam.

Quod etiam de notabilitate habitus vitanda, prout praecedenti capitulo cautum, calceorum item et collarium aliarumque vestium, utque honeste et humiliter, secundum statutorum nostrorum praescriptum, omnes se componere studeant declaramus. Item quod de exitu fratrum ad prandia interdictum est, observari omni modo volumus, nisi ex evidenti necessitate aliter faciendum Prioribus videatur, super quo Priorum conscientias oneramus: fratres proinde itinerantes tam Priores quam alii ad locum, ubi conventum habuerimus, deflectentes, secundum statuta, non nisi de scitu Priorum loci egrediantur, caeteri vero adventantes fratres etiam officiarii, litteras testimoniales secundum statuta, licentiae datae indices, exhibebunt, indignius alioquin a Prioribus loci secundum demerita excipiendi.

Ordinamus praeterea, ut venerabili adorandoque Eucharistiae sacramento, fratres nostri juxta laudabilem ecclesiae Catholicae ritum reverentiam exhibeant genuflectione.

Declaramus quoque S. Eucharistiam non exponendam, reponendamque vel quoquam etiam deferendam sine thurificatione et praecedentibus luminaribus.

Et quia accepimus non nullos fratrum eo praesumsionis evasisse, ut saecularium confessiones absque dioecesani licentia excipiant; quod ne deinceps fiat sub poena suspensionis a divinis prohibemus, quodque fratrum vel etiam ex permissione dioecesanorum saecularium confessiones excipientes, libros casuum conscientiae, quos vocant, diligenter evolvant, quo sic animarum vulneribus rite mederi sciant.

Cum etiam certa ad nos depositione devenit, quosdam ordinis nostri nullius fere conscientiae fratres tardius ad sacram

confessionem accedere, hinc ordinamus, ut ad minimum semel qualibet hebdomade confiteantur.

Praeterea ut confessionem excipientes poenitentium tanquam summi Regis Vicarii sedeant, donec sacramentalis absolutionis beneficium sibi confitentibus impenderint, ordinamus.

Caeterum cum dolentes intelligamus eo temeritatis devenire quosdam, ut sine suorum superiorum scitu et consensu directe contra Patrum definitiones praesumant pastoratus sibi aliave ecclesiastica beneficia etiam a Sede Apostolica impetrare; hinc tales ita sibi prospicientes nolumus participatione beneficiorum S. Ordinis nec in vita, nec in morte gaudere, et si contingat eosdem ad nos quovis etiam tempore redire, minime acceptandos ordinamus.

Quoniam etiam vocabulum fraternae nominationis in quibusdam conventibus evanuit, hinc tam sacerdotes quam clericos fratres, aetatis vero provectioris, Patris nomine compellendos censemus.

Et ut ultra triduum nullus conventuum permittat immunitate gaudere quempiam ad ipsos confugientium, absque speciali licentia R^{mi} P^{ris} Magistri nostri Generalis.

Etiam ut barbae fratrum secundum nostra statuta radantur, nisi cum quibus R^{mus} Magister noster Generalis ob necessitatem vel haereticos vicinos aliter faciendum statuerit.

Et ne ausus malevolorum ansam malignitatis benevolis praebeat, hinc nostro praesenti hoc decreto Nicolaum Jovenne, professum nostrae domus Cadomensis, tanquam rebellem et injuriosum S. Ordini et R^{mo} P^{ri} nostro Generali a corpore Christi velut putridum et scandalizans membrum rescindimus, ac anathemate ferimus. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Nec sine gravi poenitentia recipiendum ad ordinem ducimus, minime vero ad domum suam Cadomensem, nisi forte ita religiose et humiliter conversari deprehendatur, ut Magister Generalis et capitulum cum ipso dispensandum judicaverint.

Hoc anno per Franciam visitabit R^mus^ Magister noster Generalis, de visitatoribus autem Germaniae ordinabitur per R^mum^ Patrem nostrum Generalem et definitores capituli.

Rationem deperditi nostri conventus Falckenhagen habebit Prior Mariae Pacis.

Fratres Sacerdotes defuncti ab ultimo capitulo.

V. P. F. Lucianus du Frayer, Prior conventuum Calneacensis et Parisiensis et quondam Franciae Provincialis.

V. P. F. Michael Marnye, Procurator et Prior quondam Ursini.

V. P. F. Robertus Trippier, quondam Prior Parisiensis.

V. P. F. Quirinus Judensis, Prior conventus Nigrae Paludis.

V. P. F. Nicolaus Loen, Prior quondam Aquensis.

V. P. F. Joannes Gressenich, Subprior Mariae Pacis.

V. P. F. Nicolaus Chaneton, quondam Subprior et Procurator Parisiensis.

V. P. F. Georgius a Quercu, Procurator domus Huensis.

V. P. F. Martinus Reineri, Procurator Ruremundensis.

V. P. F. Joannes Hamerslach, Procurator Mariae Pacis.

V. P. F. Richardus Frentz, Sacerdos Nigrae Paludis et Pastor in eodem.

V. P. F. Reinerius Grutzenitz, Sacerdos Nigrae Paludis et Pastor in eodem.

Donatus.

F. Guilhelmus Wassenberch, Braxator Mariae Pacis.

Participantes.

Reverendissimus et illustrissimus Princeps Lotharius Archiepiscopus Trevirensis.

Generosus Dominus de Rochan, Princeps de Guimenay.

Nobilis Dominus Joannes Leschalopier, praeses curiae Parlamenti Parisiensis.

Magister Joannes Buchlerus, moderator scolae Wicradiensis.
Domina Anna de Marschin, Abbatissa in Beck.

Item pro participantibus et benefactoribus S. nostri Ordinis tam vivis quam defunctis, quilibet Sacerdos iij missas, clerici psalterium, Donati 200 *Pater* et *Ave* legant.

(Acta anni 1627).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae, collatum cum Codice Defin. Ms. in 4° in tabulario conventus Udensis).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt diffinita et ordinata per nos Fratres Augustinum Neerium, Generalem; Petrum Streel, Namurcensem; Godefridum a Lite, Venlonensem; Henricum Sylvium, Leodiensem; Johannem Anthonii, Coloniensem; conventuum Priores, diffinitores capituli generalis habiti A°. 1627, secundo die Maii, et duobus diebus immediate sequentibus, in domo nostra Huyensi celebrati.

In primis ut unitas animorum sicut et uniformitas actionum, dum unusquisque pro suo sensu potuit ambulare, modo non leviter perturbata, tandem aliquando ad ordinis sacri periclitantis conservationem ac restitutionem regularis disciplinae reducatur, quae sequuntur, ordinanda putavimus.

Primo quidem et ante omnia rejectis et annullatis quibuscumque ordinationibus, quae hactenus ex causis levioribus stabilitae, ac recurrentibus capitulis generalibus multiplicatae, in iis quae praecepta sunt, maximam confusionem, simul et obscuritatem induxerunt; volumus et districte praecipiendo mandamus, ut statuta antiqua cum constitutionibus ordinis, ac ordinario rituali, pro ceremoniis ecclesiae ad breviarium novissime impressum et missale brevi imprimendum, quantum fieri poterit accomodata, per sedem Apostolicam approbata, ab omnibus juxta suum tenorem et formam punctualiter observentur.

Et in eos, qui defectuosi et negligentiores inventi fuerint, per poenas in iisdem expressas severe animadvertatur, potissimum circa rebelles, murmuratores, seditiosos, calumniatores, et hujuscemodi, etiam ipso nomine suae professionis indignos, summo rigore procedatur. Super quo P. Prioribus et visitatoribus serio in Domino mandamus, ut accuratam ac diligentem habeant praedictorum rationem.

Et quia in praescriptis constitutionibus competens hora pio officio matutino et refectioni fratrum requiritur, sine alicujus horae determinatae expressione; propter plurimas rationabiles causas, in primis pro uniformitate recuperanda, et instituendorum commoditate studiorum, existimamus horam quartam de mane pro matutinis, undecimam ante meridiem pro prandio, quintam vespertinam pro coena convenientissimam esse. Et ut, qui inde facile irreperent, abusus vitentur, dato signo sub poena gravioris culpae hora octava vespertina non egressuri, in cellis omnes inveniantur, studiis aut piis aliis exercitiis, prout placuerit, ad horam nonam dumtaxat operam daturi.

Excursus etiam fratrum ad civitatem, quando contingit Priores brevi redituros abesse, nunquam per Suppriores aut alios seniores, sicut nec per ipsos Priores, nisi rarissime ex causis rationabilibus permittantur. Barba quoque et coma saecularis in nullis sive clericis sive laicis toleretur.

Denique calamitas universalis propter bella et sterilitates, junctis gravissimis ac frequentissimis pro ordinis et conventuum conservatione necessitatibus, ad postulandos et recipiendos quadringentos imperiales Coloniae, sub onere pensionis annuae sedecim imperialium R. P. (*a*) adegit, quam pro ipsius indemnitate, ad onus sicut et ad opus ordinis, acceptamus. Et ut ulterius per media opportuna futuris difficultatibus occurratur, singulos conventus et domos ad quatuor coronas Fran-

(*a*) R. P. *id est*, Magistrum Generalem.

ciae taxamus, infra quatuor menses ad manus P. R. vel eorum, quos ipse deputaverit, numerandas, sub poena dupli et si ulterius distulerint, arbitraria et gravissimis. Fratres quoque nostros omnes et singulos extra conventus in paternitatibus et pastoratibus subservientes ad eandem taxam sub iisdem poenis obligamus, et districte praecipiendo eorum Prioribus mandamus, ut eos in plenitudine authoritatis nostrae visitent, et praevia inquisitione discreta ac rationabili de eorum vita ac moribus in suis deservituris, prout judicaverint expedire, perseverare permittant, aut ad obedientiam revocent. Interim pecuniarum receptarum tenebuntur conventus, pro quibus recuperandis modo plenis conatibus advigilandum dum recuperatae fuerint, summam capitalem cum interesse ordini refundere et P. R. Generalis ex iis expositorum cum causis exactas rationes in capitulo generali patribus exhibere.

Denique quia in jejuniorum dispensationibus cognovimus plurimos potestate sibi credita abuti, volumus et praecipimus in jejunio ordinis, id est, ab exaltatione S. Crucis usque ad pascha, feria quarta et sexta, nullam prorsus concedi gratiam; feriis vero tertia et quinta, dum toleratur, usus carnium vesperi unicam portionem indulgeri. Adventus sicut et quadragesima observetur, nisi adsit specialis R. P. dispensatio, non aliter quam ex causis urgentissimis permittenda.

Visitationes per R. P. aut eos, quos ipse deputaverit, peragentur.

Obierunt ab ultimo capitulo.

V. P. Fr. Georgius Randshovius, Prior Embricensis.

V. P. Fr. Joannes Oboval, quondam Prior Tornacensis, Supprior Namurcensis.

Fr. Jodocus Henrici, Procurator Stae Agathae.

V. P. Fr. Jacobus Rogghen, quondam Prior Pontis Coeli.

Fr. Joannes Heynsberch, Pater monialium Venradensium.

V. P. Fr. Johannes Dorseyt, quondam Prior, Supprior Tornacensis.

Fr. Anthonius Tornacensis, Sacerdos Montis S. Helenae.

Participantes.

Reverendissimus ac illustrissimus Princeps Lotharius, Archiepiscopus Treverensis.

Reverendus Dominus Albertus a Lymbourch, Sti Pauli Leodiensis Decanus, Ordinis conservator.

Ad dubia per Patres super aliquibus locis obscurioribus ex statutis proposita, R^mus P. Generalis et diffinitores salvo saniori judicio responderunt.

Ad primum.

Non posse nec debere in absentia Priorum, Suppriores, nullo minus seniores, in jejuniis ordinis dispensare, quamvis ex praesupposita licentia, quam censentur habere, ad nutum tamen revocabili, illud hactenus practicarint, practicareque possunt, quamdiu hoc illis non est expresse prohibitum.

Ad secundum.

De formalitatibus requisitis ad vestitionem et professionem impedientia, sunt non annullata.

Ad tertium.

Respondetur Fratres et Priores posse esse depositarios rerum alienarum juxta statutorum tenorem, nunquam vero deponentes. Ideoque tanquam proprietarios habendos et castigandos, qui depositum proprie dictum praesumant habere in pecuniis, potissimum quibus tanquam suis ad nutum damnabiliter uti volunt.

Ad quartum.

De Jejunio bis dumtaxat per hebdomadam dispensando prout in diffinitionibus, intelligere feriam tertiam et quintam, quibus concedetur usus carnium, aliis vero diebus, quae pro collatione permittuntur, indulgentiam voca non dispensationem.

Ad quintum.

Videtur multum probabile, quod lex de non recipiendis litteris intelligenda sit aequaliter, pro sigillatis et non sigillatis, de chartula quoque simplici, idque sub mortali, non obstante materiae levitate, propter incommoda periculaque gravissima, quae in religionis perniciem inde facillime suboriri possunt. Itaque omnes et singuli ut deinceps abstineant, serio admonendi, si neglexerint, severe castigandi. Confessariisque adimenda potestas tales absolvendi, nisi praevia pollicitatione de patefaciendis superiori iis, quae occulte recepta fuerint.

De aliis pro Breviario propositis difficultatibus, tempore et loco opportunis, ad Patrum satisfactionem providebitur.

Pro participantibus et benefactoribus totius Sacri Ordinis nostri quilibet Sacerdos 17 missas, clerici psalterium, donati 200 *Pater Noster* et *Ave* legant.

(Acta anni 1631).

(Apographum in tabulario conventus Udensis, collatum cum Codice Defin. Ms. in 4° in tabulario conventus Udensis).

Haec sunt diffinita et ordinata per nos Fratres Augustinum Neerium Generalem, Paulum Reneri Provincialem, Henricum Walteri S. Agathae, Martinum Pauli Trajectensis, Clamorem Avercamp Mariae Pacis conventuum Priores, diffinitores capituli nostri generalis, habiti A°. 1631, 28 Maii et duobus diebus immediate sequentibus in domo nostra Huyensi.

In primis quod praecedenti capitulo ordinatum est, ut rejec-

tis et annullatis quibuscumque ordinationibus, quae hactenus ex causis levioribus stabilitae in iis quae praecepta sunt, maximam confusionem et obscuritatem introduxerint, approbamus, declarantes Priores nec intendisse nec intendere novas institutiones antiquis adjunctas pro cassatis haberi debere, ac proinde, si quibusdam in locis eo sensu novae illae constitutiones ex libro constitutionum erasae sunt, ut quantoties restituantur districte mandamus.

Praeterea quoniam intelligimus inconsultas passim easque inutiles fieri aedificationes, hinc, ut multorum abusui occurratur, nulla notabilis de novo structura, vel immutatio fiat ostiorum, officinarum, aut fabricae, nisi petito et obtento consensu Magistri Generalis vel Provincialis et majoris partis capituli ipsarum domuum; quem tamen consensum non facile concedant, sed si fieri possit sine conventus damno vel incommodo, usque ad ipsius domus visitationem differant, ut sic oculatim et oretenus, quod expediat, indicare possint.

Ad divini quoque cultus unanimem ubivis formam et modum reducendum, ut missali deinceps Romano, quoad novum excudi curetur, nos conformemus et confessionem Romanam, inserto nomine B. P. nostri Augustini cum absolutione, sicut in officio missae ita et in horis assumamus; et quia officia missarum secundum usum Romanum et antiquum nostrum in hoc maxime differunt, quod nostra antiqua per alias dominicas aut communia sanctorum dispersa apud Romanos reperiantur, hinc discrepantiae hujus indaginem et correctionem committimus R^dis P. P. Prioribus Leodiensi et Embricensi, a proximo capitulo generali deinde examinandam et judicandam, secundum quam emendandae erunt rubricae librorum choralium.

Nulli deinceps fratri hospiti liceat frequentare convivia nuptialia, baptismalia et coenas; quod si ad honesta prandia hospites fratres invitari, et de judicio et licentia superiorum ire

contigerit, tempestive prout religiosos decet, se expediant, intimis vero fratribus extra septa monasterii, nisi quantum statuta, aut emergens necessitas vel honestas per Priores mature examinanda permittunt, comedere aut bibere illicitum sit.

Nullus sine expressa licentia externis adventantibus, specialiter autem feminis, loqui praesumat, atque ut hoc commode observari possit, curabunt Priores, ut de adventantibus ante omnes alios a portariis moneantur, qui examinata advenientium causa, fratribus pro sua discretione conferendi cum illis potestatem faciant aut negent: feminae vero a claustris penitus arceantur, et sola existens in conventu pernoctare non permittatur.

Ad paupertatis votum fidelius observandum mandatur Prioribus, ut in suis quisque conventibus cubiculum aliquod instruant, ex quo per certum aliquem vestiarium fratribus necessaria indumenta statis temporibus dispensentur: et ut ipsi Priores frequentius fratrum cubicula visitent ac si quae superflua invenerint, tollant, necessaria subministrent: omnis etiam pecunia, quovis modo seu titulo acquisita, ad P. Priorum dispositionem in commune bonum resignetur atque ita secundum regulam B. P. nostri Augustini unum omnium cellarium et vestiarium habeatur.

Fratres transeuntes per obedientiam alium conventum, honesto dumtaxat habitu vestiti, abeant, nihil praeterea nisi manuscripta et honestum viaticum comportando, qui etiam, dum ad suos aut alios conventus remittuntur, prout venerint, dimittantur.

Insuper ex quo, pro dolor, multos ex nostris religiosis ad pastoratus dimissos sine habitu vel irrigiose cum scandalo conversari cognominus, hinc serio mandamus, ne tali cuiquam licentia, nisi prius cognita et admissa causa et necessitate, a R^mo^ P. nostro Generali et diffinitoribus in capitulo generali concedatur et dimittendi taliter seu dimissi habitum suae religionis deferant, et singulis annis Prioribus suis se sistere, singuli status computum et probae vitae testimonium exhibere

cogantur, alioquin data licentia ipso facto privandi et ad conventus suos redire compellendi.

Fratres quicumque ex quacumque provincia ad quoscumque etiam conventus sine literis testimonialibus sui Provincialis aut Prioris venientes de facto carceri mancipentur.

Et quandoquidem experimur ex prorogatione capituli generalis in conventibus nostris per Germaniam observantiam regularem sensim declinare, hinc pro illius deinceps accuratiori cura conventus inibi nostros, dum capitulum generale annue non celebratur, in duas provincias secernimus juxta elenchum subsequentem.

CONVENTUS PROVINCIAE.

Renanae.	*Mosanae.*
Montis S. Helenae.	S. Agathae.
Erensteyn.	Venlonensis.
Coloniensis.	Ruremundensis.
Dusseldorpensis.	Pontis Coeli.
Dusborgensis.	Dulckensis.
Embricensis.	Wickradiensis.
Mariae Pacis.	Altinemoris.
Benthlacensis.	Nigrae Paludis.
Montis Orientis.	Silvaeducensis.
Domus Lapideae.	Hornensis.
Glintfeldiensis.	Schidamensis.
Vallis S. Antonii.	Asperensis.
Novae Lucis.	Worckomiensis.
Sneckensis.	Gosensis [Goesensis].
Franekerensis.	
Schermarensis.	

Provinciales triennales duntaxat futuri in capitulo generali a R^mo^ P. Generali et capituli generalis diffinitoribus ex comprovincialium numero nominabuntur et confirmabuntur. Horum erit capitulum provinciale quotannis, excepto anno capituli generalis, cum Prioribus comprovincialibus celebrare, eo tempore quo capitulum generale celebrari solet, loco a Provinciali et comprovincialibus in capitulo generali vel Provinciali designando, habebuntque eandem potestatem in sua provincia quam et Magister Ordinis, et eadem ipsis reverentia et obedientia exhibeatur comprovincialibus, quae Magistro Generali, nisi per se aut suos delegatos praesens extiterit.

Universam provinciam singulis annis per se et propria persona, vel legitimo occurrente impedimento, per deputatos ex speciali commissione R^mi^ Generalis cum pari authoritate visitabit, in qua visitatione tam ipse quam ejus deputati, memores Concilii Tridentini *Sess.* 24, *Cap.* 3 cavebunt diligentissime, ne inutilibus sumptibus cuiquam onerosi sint, neve quicquam per se et per suos procurationis causa pro visitatione etc. nec pecuniam nec minus etiam ultronie aut qualitercumque oblatum accipiant, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, exceptis tamen viatico et victualibus, quae visitatis frugaliter moderateque juxta dictamen statutorum nostrorum visitatoribus erunt ministranda.

Post essentialia tria vota ordinis maxima illi cura sit circa novitiatum promovendum et conservandum, ordinaturque ad novitiatum domus S. Agathae. Ut autem novitiorum, in novitiatu, bene formata conscientia, scientia conservetur et augeatur, studium philosophicum in conventu Pontis Coeli continuamus et theologiae in Mariae Pacis instituimus.

In novitiatus et utriusque studii subsidium singuli conventus quotannis contribuent 10 imp. sive novitios et studentes mittant sive non mittant, et assignamus supra dictis domibus pro qualibet persona novitii et studentis, qui tamen ex eorum-

dem fratribus non sint, 20 imp. ex dicta communi taxa persolvendos: ea vero deficiente, reliquum per novitiorum conventus, aequa divisione per singula capita facta, persolvetur.

In provinciae vero Renanae provincialem nominamus et confirmamus hac vice specialiter ex causis R. P. Priorem S. Agathae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

In provinciae similiter Mosanae provincialem continuamus et confirmamus R. P. Paulum Reineri, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Circa stationes fratrum ordinamus ut sequitur.

F. Jacobus Dardeus Hoyensis stabit in conventu S. Helenae.

F. Joannem Gast ordinamus in Suppriorem conventus Montis Orientis.

Mandamus omnibus et singulis ad alium locum, ut praemissum, destinatis, ut infra 6 dies ab intimatione horum itineri se accingant, et ad signata sibi loca se conferant sub poenís inobedientiae et arbitrariis.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissa sigillis R. P. Generalis et V. V. Patrum diffinitorum fecimus communiri.

(Acta anni 1634).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae, collatum cum Codice Defin. Ms. in 4° in tabulario conventus Udensis).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt diffinita et ordinata per nos Fratres, R^dum^ P. Augustinum Neaereum Generalem, Henricum Silvium Leodiensis, Joannem Busaeum Coloniensis, Nicolaum de Hanneffe Tornacensis, Henricum Collart Dionantensis conventuum Priores, capituli nostri generalis diffinitores A°. 1634 14 Maii et duo-

bus diebus immediate sequentibus, in primordiali domo nostra Huensi celebrati.

Et quia Reverendissimus Pater Generalis his turbulentissimis temporibus totum ordinem per se visitare non potest, conventus Belgicos suae particulari curae reservans, denominat et denominamus in commissarium visitatorem et Vicarium Generalem per regnum Franciae R. P. Antonium Thexier, Provincialem et conventus Cadomensis Priorem, per Germaniam in locum R^rum Patrum Provincialium constituit et constituimus in Vicarios Generales R. P. Godefridum a Litt, Priorem Venlonensem, ad visitationem conventuum Mosanae Provinciae et R. P. Leonardum Campium conventus Altinemoris Priorem, ad visitationem Rhenanae Provinciae, quos quidem Commissarios visitatores et Vicarios Generales volumus et intendimus ad nutum R^mi Patris nostri Generalis revocabiles ad plurimorum abusuum evitationem.

Cum ante praeteritas definitiones de novitiatu et collegio studiorum infirmare ne minimum quidem intendamus, imo quam maxime approbare, pro novitiatu in Belgio designamus conventum primordialem Huensem, per regnum Franciae conventum Parisiensem, per Germaniam conventum S. Agathae, pro studio, per Belgium universitatem Lovaniensem, per Germaniam conventum Pontis Coeli pro philosophia et Coloniensem pro theologia, per regnum Franciae universitatem Cadomensem seu aliam, prout R^do Patri Provinciali et Patribus Prioribus bene visum fuerit. Ad sustentationem vero et sumptus tam pro novitiatu quam pro studiis novitiorum et etiam translatione novitiatus et collegii de conventu ad conventum in eadem provincia, si expediens visum fuerit, R^di Patres Vicarii Generales, prout alias per Germaniam, ubique providebunt curabuntque, ut in suis visitationibus omnia, quae definivimus et statuimus faciant a fratribus nostris observari, quod etiam omnibus Prioribus sub poena suspensionis ab officio districte praecipimus, recitantes illegitimas et eas leves

quorumdam excusationes, allegantes definitiones nostras non habere vim statutorem ante tria capitula, cum vis praecepti, qua dictae definitiones roborantur, ad observantiae obligationem sufficiat. Ut autem in Belgio studiorum promotioni facilius provideatur, mandamus R^do^ P. P. Namurcensi, ut statum fundationis Lovaniensis exactim describat, congregationi proximo anno futurae repraesentandam. Caveant interim Priores ab omni excessu sumptuum et expensarum pro receptione et professione suorum novitiorum, sed simplici sumptu, duntaxat recreatione, inter pauciores, quam fieri potest amicos et parentes, sint contenti.

Et quia paulatim deficit uniformitas laudabilium consuetudinum et ceremoniarum antiquarum ordinis, hinc est, quod R^dis^ Patribus Henrico Waltheri, conventus S. Agathae Priori et Nicolao Pasport, conventus Huensis antiquo Suppriori curam exactiorem committimus, eas omnes in unum redigendi, ut redactas ad proximam congregationem futuram deferant vel transmittant, delatae serio a Patribus discutiantur, discussae approbentur, approbatae ad unumquemque conventum stricte observandae transmittantur.

Intelligentes etiam aliquos definitionem Anni 1627 de surgendo hora 4ta mane ad matutinas male interpretari, cum illa fuerit ordinata pro illis conventibus, apud quos erat studiorum exercitium, volumus et mandamus, quatenus omnes et singuli conventus, in quibus sunt decem fratres chorales residentes, antiquae consuetudini surgendi media nocte se conforment, et quandoquidem ad eas temporum devenimus calamitates, ut etiam in sacro ordine nostro plurimi detractores, rebelles et ad externos judices recurrentes invalescere comperiantur, volumus ut serio et severe in eos advertatur et secundum poenas statutis et juribus expressas puniantur.

Audientes simili modo distinctionem, deformitatem et curiositatem intolerabilem de habitibus interioribus seu subtogalibus

fratrum nostrorum passim recipi, monemus et ordinamus, ut in posterum non nisi albis utantur.

Demum ex quo variae continuo exoriuntur ordinis difficultates et necessitates, ex quo nullos habeat proventus particulares, ordinamus ut juxta definitionem anni 1621 (*a*) singuli conventus contribuant et contributiones suas ad manus visitatorum suorum referant in cista communi ordinis, tribus diversis clausuris obseratam, in proxima futura congregatione reponendas, sicut et alias quae ex conventu Vallis Liliorum proveniunt, cum Reverendissimus Pater Generalis paratissimus [sit ad eas] in dicta cista recludendas in usum studiorum, per procuratorem ordinis in dicta futura congregatione denominandum.

Denominamus in Priorem conventus in Ehrenstein R. P. Aegidium de Vresen.

Obierunt ab ultimo cap. gen.

R. P. Joannes Anthonii, Prior in Erhenstein et quondam Coloniensis (*b*).

R. P. Joannes Fronhoven, Prior Vallis S. Anthonii, [et]

R. P. Godefridus Tricht, Prior in Erhenstein, uterque conventus Coloniensis.

R. P. Tilmannus Winckelius, Supprior Montis S. Helenae et conventus Coloniensis.

R. P. Hermannus Voet, quondam Prior Ivodiensis Professione Leodiensis.

R. P. Matthaeus Fabricius, quondam Prior conventus S. Matthiae.

R. P. Arnoldus N., Prior Tolosanus.

R. P. Antonius Missen, Prior Tolosanus.

P. Stephanus N. Sacerdos Tolosanus.

F. Remundus clericus Tolosanus.

(*a*) Lege 1612. (*b*) Supple professione.

(Acta anni 1639).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae, collatum cum Codice Defin. Ms. in 4°. in tabulario conventus Udensis) (a).

In nomine Domini.

Haec sunt definita et ordinata per nos Fratres, Augustinum Neerium Generalem, Henricum Gwalteri S. Agathae, Gosuinum Judenum Altinemoris, Clamorem Avercamp Coloniensis, Adolphum Offerhausen Dusseldorpensis, conventuum Priores, definitores capituli nostri generalis 1639, 22 Maii et duobus diebus immediate sequentibus, in primaria S. Ordinis domo apud Huyum celebrati.

Porro loco provisionis, qua postremum capitulum pro monasticae disciplinae reformatione ordinavit annuam congregationem definitorum et commissariorum Huii, ad tractandum et concludendum de quibuscunque occurrentibus necessitatibus, propinquius constitutionibus, hortamur et respective requirimus R[um] P. Generalem, ut statutariam suam triennalem super totum ordinem et annalem super proprias domus visitationem per se vel alium debita cum sollicitudine obeat, annales vero filiarum domuum a maternis Prioribus obiri jussas, jamque per commissiones capituli generalis ab initio reformationis praescriptas, visitationes vicariis nostris per provincias Germaniae penultimo capitulo generali suis certis conventibus circumscriptas, committimus et in vicarium nostrum per provinciam Rhenanam denominamus et instituimus R. P. Priorem Coloniensem, Fratrem Clamorem Avercamp definitorem, per provinciam vero Mosanam R. P. Priorem S. Agathae, Fratrem Henricum Walteri definitorem.

Et quondoquidem annue quoque capitulum generale servabatur, in quo praeter statum communem ordinis, tractabantur

(a) Hoc anno finitur hic codex, cujus pars deperdita est, ut patet ex ultima periodo, non absoluta et ex foliis deperditis.

etiam provisiones stationum et aliae occurrentes necessitates expediebantur, vicarii deinceps, capitulo generali cessante, ad certum suae Provinciae conventum convocabunt Patres Comprovinciales Priores cum suis singulis sociis, ubi omissis, quae statum communem ordinis concernunt, tractabunt de novitiatus et studiorum locis, legibus, sumptu et stationibus aliisque ad conservationem et profectum domorum suae provinciae pertinentibus, inhaerendo regulae et constitutionibus ac definitionibus capituli generalis, non ulterius se extendendo in praejudicium S. Ordinis ac primordialis domus Huyensis. Atque ut super hoc omnis scrupulus et sinistra suspicio submoveantur, omnia et singula capituli provincialis acta manibus comprovincialium subscripta, dicti Vicarii annue ad R. P. Generalem immediate a capitulo transmittent, quae Huii ad informationem capituli proximi generalis asservabuntur.

Et quia conventus Valkenhagensis recuperandi spem nonnulli faciunt, committimus Patribus Prioribus Coloniensi et Dusseldorpensi, ut momenta quae pro parte ordinis videntur, ad examen juris referri curent, acceptamque resolutionem R^mo^ Patri ac sociis Prioribus diffinitoribus perscribant, ut consulto, quod visum fuerit, statuatur.

Pecuniam interim a P. Jesuitis numeratam ad computum fructuum, quos ex bonis monasterii illius traxerunt, et non aliter recipimus, alioquin contra illorum vel cujuscunque alterius segniorem et injustam praetensionem solemniter protestando; pecuniae autem istius, tam quoad capitalis diminutionem (quam factam esse intelligimus) quam quoad pensionem de residuo, a tempore applicationis, accuratas rationes R^mus^ Pater dabit, sicut et applicationis sub assecuratione sufficienti factae documenta S. Ordini reddi curabit, quae in cista diffinitionum deponentur.

Actionem quoque recuperationis Conventus nostri Montis Orientis cum consilio P. Priorum Coloniensis et Dusseldorpensis contra comitem in Tincleborgh sedulo ac prudenter sus-

cipiendam et prosequendam committimus R. P. Gerardo Huwero, Priori Montis Orientis.

De visitatione conventuum per provinciam Franciae R^mus P. Generalis cum R^do P. Provinciali Franciae tractabit et requirimus Priores comprovinciales in Francia, ut statum conventuum suorum capitulo proximo generali perscribant, in finem, ut de toto ordine capitulum possit recognoscere. Conventus vero Gallo-Belgicae Provinciae primordiali domo cohaerentes animitus desideramus et respective requirimus, ut R^mus P. G. annue deinceps sollicite visitare et pro exemplari reformationis nuntio in totum ordinem inducendae statuere velit. Et quia provincia Rhenana longo conventuum intervallo ad visitandum molestissima est: hinc ad sublevamen vicarii ibidem visitationis conventuum Bentlacensis, Montis Orientis, Dusburgensis et domus Lapideae committimus R^dis P. Prioribus Embricensi et Mariae Pacis; pro reliquis assumet aut impeditus cum socio committet [Vicarius], R. P. Priorem Dusseldorpensem ad visitandum, conventus Coloniensem et Dusseldorpensem visitabunt R. Priores S. Agathae et Altinemoris, conventus vero S. Agathae et Altinemoris visitabunt P. Priores Embricensis et Mariae Pacis.

Vicarius vero Mosanus assumet per Provinciam suam aut impeditus cum socio ad visitandum committet R. P. P. Altinemoris.

Quod si R^mus P. Generalis aliquo anno per se vel per alium triennalem suam visitationem in Provincia vel tota vel aliqua ejus parte instituere voluerit, illud vicario tempestive significet et (a) ejus dispositioni se convenienter disponat.

Visitationem conventus Masekensis indilatam committimus R. P. P. Tornacensi et Embricensi; F. Petrus Henningii conventus Glindtfeldiensis ob penuriam ecclesiae desolatae Dudinckusanae dimittitur ad provisionalem ejus administrationem

(a) *Et puto legendum qui.*

a R^mo P. aut Vicario revocabilem, F. Martinum Venengii constituimus in Suppriorem Vallis B. Mariae in Erenstein.

F. Paulus Sibenius revocatur ad ordinem et stabit cum sociis sibi assignandis in Weegbergh, Pastoratui ibidem deservitúrus in finem incorporationis nobis ab illo Barone de Spirinx, Domino in Tussenb., Mareschalko Juliae ordini nostro per litteras oblatae, in finem etiam promovendae erectionis conventus et committimus R. P. Priori Dusseldorpensi, ut dicto Domino in nomine S. Ordinis cum decenti gratiarum actione respondeat, remque omni quo potest studio promoveat in effectum.

F. vero Tilmannus Breuwers hactenus ibidem Pastor mittitur ad Helenam ut Supprior, cum mandato disciplinam sollicite restituendi. F. Conrardus Sueren ex Pastoratus deservitura revocatur ad conventum suum nativum; F. Walterus a Castro, mittitur in Glindfelt, ubi stabit usque ad R^mi P. revocationem; F. Henricum ab Aken instituimus in Suppriorem Nigrae Paludis. F. Adolphus Erkelens, Professus Altinemoris ex deservitura Pastoratus revocatur ad ordinem et stabit in Wickrade; F. Leonardus Fr. Donatus Nigrae Paludis, stabit in conventu S. Helenae cocus. In quorum fidem nos superius memorati capituli generalis definitores post R^mum Patrem subscripsimus et sigillum definitorium subimpressimus, vigesima 4ta mensis Maii 1639.

(Acta anni 1644).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt definita et ordinata per nos F. Augustinum Neereum Generalem, Nicolaum Hanneff Tornacensis, Leonardum Ruwell Venlensis, Gerhardum Lent Embricensis, Ludovicum Carpentarii Leodiensis, conventuum Priores ac definitores capituli generalis, anni 1644, 24 Aprilis et duobus diebus imme-

diate sequentibus, in primaria S. Ordinis nostri domo apud Huyum celebrati.

Ordinatos insuper in dicto praecidenti capitulo R^dos^ P. Henricum Waltheri, conventus S. Agathae et Clamorem Averkamp conventus Coloniensis Priores, in Mosanae et Rhenanae Provinciarum Vicarios Generales continuamus et confirmamus in nomine Patris etc., dantes eis auctoritatem visitandi conventus et ordinandi super quascunque difficultates emergentes, juxta formam in diffinitionibus praecedentis capituli eisdem praescriptam.

Visitabit R^mus^ P. Generalis hoc anno totum ordinem et ubique uniformitatem, tam in cultu divino, quam ceremoniis et aliis juxta regulas, statuta et ordinationes ordinis, indispensabiliter instituet.

Et quia summa totalis pecuniarum provenientium ex conventione habita cum P. P. Jesuitis pro conventu Valkenhagen, videtur ex parte detracta ex levatis 400 imperialibus a P. Joanne Antonii, quondam Priore Coloniensi, pro intentanda lite contra dictos P. P. Jesuitas et 100 aliis imperialibus, pro expensis factis per Patres in itinere tempore dictae conventionis, promittit R^mus^ Pater Generalis se refusurum dictam summam totalem cum censu annuali, exceptis supra expositis 500 imperialibus, intra trimestre ad manus R^di^ Prioris Leodiensis, cui plenariam auctoritatem concedimus contrahendi cum conventu Huensi, pro censu annuo juxta formam a nobis illi praescriptam.

Nomina defunctorum ab ultimo capitulo generali.

R^mus^ P. Henricus Sylvius, Episcopus Dionisiensis, suffraganeus Leodiensis, quondam Prior Leodiensis.

V. P. Goswinus Judenus, S. Ordinis definitor et Prior Altinemoris.

V. P. Godefridus a Litt, Prior Venlonensis.

V. P. Joannes de Soye, Prior Aquensis.

V. P. Gerhardus Hewerus, Prior Montis Orientis.

V. P. Joannes Gym, Prior Duisburgensis.

V. P. Henricus Collart, Prior Dionantensis.

V. P. Wolterus Letmate, Senior Domus Lapideae et quondam Prior.

N°. 206. 30 April. 1621.

Albertus et Isabella, Belgii meridionalis gubernatores, conventum S. Agathae in specialem recipiunt protectionem, caventque, ne milites domum vel religiosos molestoia afficiant, sive eripiendo et exigendo aliqua bona, sive illuc milites ad divertendum mittendo.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 207. 22 Febr. 1622.

Pecuniae contributio Ordinis S. Crucis conventibus imposita (a).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Omnibus et singulis sacri nostri ordinis Prioribus praesens hoc instrumentum visuris aut lecturis, sive audituris salutem. Notum facimus nos infra scripti, quod exigente injuria temporum, requirentibus etiam necessitatibus occurrentibus, ex quo hactenus indicta quondam singulis ordinis nostri conventibus exactio, suum effectum minime sortita fuerit, unde plurimum sane dolemus et juste. Igitur hoc tempore certam omnibus nostri ordinis conventibus, sive eorumdem Rectoribus et Prioribus pecuniae summam, sive taxam, in ordinis communem profectum, et ad instituendam Romanam profectionem, et ordinis privilegiorum quondam concessorum renovationem, sive de novo confirmationem, imponere voluimus et per praesentes imponimus, atque omnes Priores seu Rectores per praesentes requirimus,

(a) Codex defin. 2us Ms. in 4° hujus contributionis etiam facit mentionem.

et eisdem mandamus in sanctae obedientiae virtute, et sub poena suspensionis a divinis, atque officiorum ipso facto privationis, quatenus dictam pecuniae summam post harum insinuationem, infra trium mensium spatium absque ulteriori mora et dilatione ad manus V. Priorum atque inprimis Reverendissimi Prioris Generalis, deinde Venerabilis P. Prioris Coloniensis, ac V. P. Prioris Aquensis exsolvere audeant, secundum tenorem et formam, prout singulis hic subsequenter fuerit assignatum, absque ulteriori dilatione, excusatione atque cavillatione.

Atque imprimis:

Rmus Pater	Domus primaria Huyensis	ad	hanc	contribuet	100	imp.
	„ Namurcensis	„	„	„	60	„
	„ Leodiensis	„	„	„	60	„
V. P. Coloniensis.	„ Coloniensis	„	„	„	60	„
	„ Altinemoris	„	„	„	60	„
	„ Bentlacensis	„	„	„	100	„
V. P. Aquensis. . .	„ Nigrae Paludis	„	„	„	60	„
Prior Coloniensis .	„ Mariae Pacis	„	„	„	60	„
	„ Duyseldorpensis	„	„	„	50	„
Prior Provinciae .	„ Stae Agathae	„	„	„	30	„
	„ Venlonensis	„	„	„	35	„
Rmus Pater	„ Tornacensis	„	„	„	30	„
Prior Provinciae .	„ Ruraemundensis	„	„	„	30	„
	„ Sylvaeducensis	„	„	„	30	„
R. P. Generalis. .	„ Trajectensis	„	„	„	30	„
	„ Alnetensis	„	„	„	10	„
R. P. Provinciae . .	„ Pontis Coeli	„	„	„	30	„
Rmus Pater	„ Mariae Laudis	„	„	„	30	„
R. P. Coloniensis.	„ De Glynfelt	„	„	„	20	„
	„ Montis S. Helenae	„	„	„	30	„
	„ Aquensis	„	„	„	25	„

P. Coloniensis . .	Domus Duysburgensis	ad hanc contribuet	10	im
	„ Embricensis	„ „ „	10	„
P. Aquensis.	„ Brandeburgensis	„ „ „	10	„
R. P. Provincialis.	„ Maisekensis	„ „ „	3	„
	„ Dulkensis	„ „ „	3	„
R. P. Generalis. . .	„ Dionantensis	„ „ „	8	„
R. P. Coloniensis. .	„ Wykradiensis	„ „ „	10	„
Rmus Pater	„ Suxciacensis	„ „ „	3	„
	„ Vertonensis	„ „ „	3	„
	„ Ivodiensis	„ „ „	3	„

[Domus] Eresteyn et domus Lapidea sunt liberae.

Fr. Augustinus Neerius,
Humilis Generalis Ordinis.

Fr. Paulus Reineri,
Humilis Prior Ruraemundensis.

Fr. Joannes Soye,
Prior Aquensis.

Fr. Nicolaus Henrici,
Prior Dionantensis.

Fr. Johannes Alcmarius,
Prior Coloniensis.

Fr. Petrus de Streel,
Prior Namurcensis.

Singuli conventus sive eorumdem Priores, ubi indictam eisdem taxam dictis et denominatis P. Prioribus exsolverint, ab eisdem quitantiam accipient, ac in proximo capitulo Reverendissimo Patri et diffinitoribus exhibebunt. In quorum omnium fidem et testimonium praesens instrumentum omnium nostrum inscriptione communivimus. Actum in domo nostra Huyensi, 22 Februarii 1622.

Summa hujus collectae mille, tres imperiales valet.

N°. 208. 12 Julii 1622.

Mauritius princeps Auriacus conventum et conventuales S. Agathae omnesque possessiones, tam mobiles quam immobiles, in suam recipit protectionem, vetatque omnes milites, sive pedites sive equites, aliquid ab iis vel ab eorum villicis eripere, vel noctem apud eos traducere, permittitque ut in signum hujus protectionis (Sauvegarde) arma ejus gentilitia muris et portis affigere possint.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 209. 30 Martii 1623.

Acta visitationis conventus Dusseldorpiensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Visitatores erant Fr. Henricus Walteri S. Agathae et Fr. Gosuinus Juden Altinemoris conventuum Priores.

Singulare et notatu dignum nihil.

N°. 210. 4 April. 1623.

Acta visitationis conventus Venlonensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Visitatores erant Henricus Walteri, Prior conventus S. Agathae et Gos. Juden, Prior Altinemoris.

Prior, tamquam scholae Rector, saepius scholas visitet, magistrique seduli sint.

Caetera minoris momenti.

N°. 211. 1 Junii 1623.

Acta visitationis conventus Mariae Pacis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Visitator Fr. Henricus Waltheri, Prior S. Agathae.

Invenit disciplinam monasticam satis tepidam, quare amoto Priore alium eligi curat. Perstringit compotationes, quae irrepserant.

No. 212. 21 Junii 1623.

Acta visitationis conventus Altinemoris.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Visitator Fr. Henricus Waltheri, Prior S. Agathae et ejus socius Fr. Leonardus a Ruweel, Prior Wicradiensis.

Assistunt electioni novi Prioris.

No. 213. 1 Aug. 1623.

Acta visitationis conventus Embricensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Visitatores Henricus Walteri, Prior S. Agathae et Christianus Burizensis, Prior Mariae Pacis.

Cum Prior senio confectus sit, Supprior Hieronymus ejus vices agat in spiritualibus et temporalibus.

Disciplina ordinaria, quando propter externos in choro dari nequit, in capitulo flexis genibus et more solito ab omnibus excipiatur.

No. 214. 1623.

Acta visitationis conventus Bentlacensis.

(Apographum in tabulario conventus S Agathae).

(Carptim).

Visitatores Fr. Henricus Walteri conventus S. Agathae et Christianus Buyrensis, Mariae Pacis conventuum Priores.

Quandoquidem vos a religiosae vitae tramite ad abusum et vitiorum devia deflexisse, ut fragilitatis humanae est, ex inquisitione desuper facta cognovimus, etc.

Frequentes et sumptuosos excursus ad civitates, sicut et notabiles in vestibus [sumptus], multo autem maxime levitatem in moribus, ipse Prior et omnes evitent.

N°. 215. 22 Sept. 1623.

Computus accepti et expensi visitatoribus a procuratore conventus Bentlacensis redditus.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Carptim).

Visitatoribus Henrico Waltheri, Priore S. Agathae et Christiano Burensi, Priore Mariae Pacis.

Summa receptorum ascendit ad 1567 imperiales, 26 solidos et $8^1/_2$ denarios.

Summa expositorum ascendit ad 1383 imperiales, 2 solidos et 1 denarium.

Procurator Bentlaci Paulus Rongs.

Credita vero de annis praecedentibus, ascendunt ad $754^1/_2$ taleros imp. et 30 sol.

Debita e contra ascendunt ad $213^1/_2$ imper., exceptis iis, quae constricti fuere fratres comiti in Styrum dare, ratione immunitatis obtinendae ab ipso pro conventu et bonis, ab incendio tuendo.

Anno 1618 30 Junii Pater Christianus Burensis, quondam hic Prior, P. Matthaeo Fabricio Priori Montis Orientis recens instituto ad petitionem suam concessit 6 imper.

Eodem anno 22 Oct. pro testimonio Nicolai Bernardi Tibicinis Lingensis de exturbatione praedicti P. Matthaei et conventus Montis Orientis, dedit unum imperialem.

—

N°. 216. 2 Oct. 1623.

Nota accepti et expensi conventus Duysburgensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Computatione facta per V. P. Joannem Ghym, Priorem conventus Cruciferorum Duysburgensis, de receptis et expositis dicti conventus, excrescunt recepta expositis in viginti novem daleris, vigiuti quatuor albis et decem obolis, quae servantur in bursa. Credita in pecuniis ascendunt ad sexcentos octoginta quinque daleros, et quadraginta septem albos. Debita vero in universum ascendunt ad quadringentos sexaginta novem daleros plus minus. Credita in granis exigua sunt, sed debita nulla. Provisio pro pane et cerevisia sufficiens in annum unum. Acta sunt haec in conventu nostro Duysburgensi 2 Octobris anno 1623.

N°. 217. 3 Oct. 1623.

Acta visitationis conventus Duysburgensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Carptim).

Visitatores Fr. Henricus Waltheri, dictus Verheyen S. Agathae et Fr. Christianus Buyrensis Mariae Pacis conventuum Priores.

Matutina cantentur mane hora quarta, hieme hora quinta.

Hora refectionis sit undecima.

N°. 218. 21 Oct. 1623.

Acta visitationis conventus Silvaducensis.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

In nomine Domini. Amen.

Religiosis et dilectis Prioribus et Fratribus conventus Fra-

trum Cruciferorum Sylvaeducensium, Frater Henricus Waltheri, Prior S. Agathae gaudium et pacem in domino precatur. Quandoquidem auctoritate Reverendissimi Patris nostri Generalis vos in forma canonica visitare institutus sum, hinc est, quod pro officii mei ratione sequentia vobis praescribenda et serio mandanda duxerim. Inprimis venerabilis Prior advertat in hoc se a Domino constitutum super familiam suam, ut fidelis sit dispensator mysteriorum Dei, debiteque intendat animabus Christi sanguine redemptis, ne pereant, quin potius boni pastoris et ducis munere fungendo, secum per angustam disciplinae et mortificationis veteris hominis viam, ad pascua aeternae vitae deducat. Dissipet proinde et destruat, omnibus quantum valet conatibus, abusuum, pravarum consuetudinum et omnium vitiorum passim exsurgentia zizania, atque secundum S. Regulae nostrae et statutorum dictamen strenue per ignem castigationis et correptionis puniat; foveat vero et plantet sollicite piae et religiosae vitae exemplo, et quantum valet exhortationis salutaris verbo, virtutum scientiam seu plantaria et ager Domini sibi excolendus datus speciosus sit in oculis aspicientium fidelium, cujus et bono odore excitati et fructibus salutaribus recreati, glorificent Deum Patrem nostrum, qui in coelis est, cui etiam de hoc strictissimam rationem reddendam meminerit.

Insuper quoad divinum officium, omnes illud pie et reverenter secundum statuta persolvant, et contra id delinquentes etiam sine dissimulatione puniantur, secundum quod dicta statuta nostra innuunt et particularius in capitulo nostro declaravimus. Sero itidem venientes puniantur et corrigantur disciplinis et humiliationibus. Noverint vero omnes, quod secundum definitiones Patrum, si novem in choro fratres [sunt], teneri conventum ad cantandum tam nocturnum quam diurnum officium: descendendo vero debilitati cantorum, indulgemus ut saltem in solemnioribus festivitatibus integre cantentur omnes horae canonicae. In duplicibus vero celebrioribus et festis duplicibus non

celebribus a tertio nocturno usque in finem horas matutinas et alias diurnas cantent, quod idem et in Dominicis etc. In simplicibus vero et feriis quintis, quando de venerabili Sacramento, sextis de S. Cruce et sabbatis quando de. . . . . *a Te Deum* usque ad finem laudes cantent, reliquis vero diebus a capitulo in laudibus usque in finem persolvant cantando. Quoniam vero ignem venit Christus mittere in terram, qui in meditatione vestra exardescit, quod et remissa corda nostra et frigida ardere vult Christus, qui ignis est charitatis; hinc est quod post matutinum immediate ad mediam fere horam omnes sacrae meditationi secundum Patrum diffinitiones inhaerere volumus, sicut etiam vespertino tempore ad primum siquidem completorii omnes ad ecclesiam reflectere et sacrae recollectionis devotionisque incumbere actibus studeant uniformiter et negligentiores in hoc corripiant.

Quod attinet S. S. Missae sacrificium, illud reverenter et uniformiter in ceremoniis celebretur, idque secundum usum et modum Romanae ecclesiae.

Sacerdotes proinde Domini illud celebraturi quam exactissima praeparatione ante se disponant: meminerint quid, quando, quomodo, quo fine a Domino institutum, quare dilutis per puram confessionem peccatis et per integram confessionem plene mundatis et cum pura Christi intentione quam in Cruce habuit, divinum propitiatoriumque munus Patri aeterno exhibitum ad actionem sacram cum timore simul et amore accedant.

Nullus ordinarie confessionem sacramentariam ultra octiduum vel circiter differet, eamque semper aliis praemittendam, quotiescumque meminerint, sacrae missae actioni, quando conscientia polluta peccatis, praesertim mortalibus. Caveant proinde de consuetudine sola et sine debita praeparatione accedere Domini sacerdotes.

Fiat etiam continuatio sacrorum in dies usque ad summum sacrum: poterit proinde venerabilis Pater Prior ante summum

facere celebrare, ut vel ea ratione sub eodem praesens esse queat. Caveantur sub eodem discursus, nullusque ex eo exeat, sicuti et nec ex caeteris horis, nisi petita primum a praesidente chori licentia.

In conspectu quoque Angelorum Domiuo se psallere omnes advertant, proinde fabulas, risus et similes deformitates et abusus sub poena sessionis ad terram in prandio interdicimus sub horarum cursu et sacrificii celebratione.

Assuefiant praeterea omnes sacris Religionis consuetudinibus, ut in mortificationibus abnegationem propriae voluntatis in vera cordis munditia per vitae castimoniam et abstractionem ab hoc saeculo, in nuditate spiritus et exspoliatione veteris hominis, per voluntariam paupertatem, per quam sane fratres Christi et cohaeredes regni efficimur. Hinc et volumus ut vestiarius unus sit secundum regulam.

Silentium praeterea, per quod vox restringitur, ut in abundantiori pace mens teneatur, locis et temporibus per statuta designatis, observetur accuratius quam hactenus, sub poenis ibidem declaratis.

Aliae praeterea sacrae Ordinis observantiae in humilioribus disciplinis laneorum usu, strati duritie, sacris abstinentiis, jejuniis et vigiliis ad exercitium et profectum animae in usum debite revocentur, hisceque veluti spinis virtutum hortus cingatur, ne a carnalibus hominibus, daemonibus vel porcis, scandalosis eorumdem nimirum exemplis et persuasionibus venenatis destruatur et evertatur. Ad spiritualis quoque vitae profectum omnes pari studio inardescant et exterioris hominis exemplarem morum compositionem in gravitate perferant. Cum hisce, qui foris sunt, ne scandalizentur, sit religiosa maturitas, quae in facie sit laeta, in moribus casta, et in sermonibus circumspecta, et per hoc Deo placeant, proximis sint utiles et debito sacri instituti faciant satis.

Ordinationes etiam sequentes legendae et observandae:

Imprimis reliquiae spineae Domini coronae sine dilatione per Patrem Priorem referantur et ecclesiae restituantur, reliquiae de S. Huberto in altari Sanctae Crucis, vel saltem decentiori quam solent, loco asserventur, et etiam saecularium utriusque sexus per chorum in sacristia evitentur discursus. Offertorium vero, inde proveniens, ad reparationem librorum choralium applicetur.

P. Custos deinceps candelas ecclesiae sebosas non vendat extraneis, sed procuratori tradat, atque pretium earumdem in ecclesiae necessitates et ornamenta rependat.

Solus itidem praedictus frater, sicut nec reliqui fratres exeant, multo minus pro juribus suis et ecclesiae expetendis vel eleëmosynis colligendis, sed semper cum socio et in cappis.

Sit Frater conversus custodi singulariter ab officiis, et alii novitii, imo et sacerdotes cum necesse; pro ratione divinorum festorum congruas vestes disponat, ut specialius ostendimus ipsi in usum celebrantium sacerdotum.

Licentia ludendi concedatur semel in hebdomada, eaque duret usque ad primum signum vesperarum; poterit tamen Prior quandoque propter causas rationales quidem amplius indulgere, addendo pro ratione temporis et circumstantiarum, secundam in hebdomada licentiam.

Porta illa viridis obstruatur, ne inde occasiones dissolutionis ministrentur. In investitionibus aliisque consimilibus solemnitatibus tam solemnia convivia, ut hactenus consueta in refectorio fieri, plene interdicimus; si tamen, quae servanda, extra claustrum vel in domibus externis serventur, et ad refectorianam mensam viri soli admitti possunt.

Legatur per totam mensam secundum S. Ordinis consuetudinem, nullusque audeat sub mensa silentium frangere, loquendo vel muscitando sine licentia sub poena sessionis ad terram; non permittantur lectores in culina comedere, sicut nec de famili alii fratres, imo ipsa culina ab ingressu fratrum, quantum

fieri potest, libera servetur, exceptis causis rationabilibus. Prioris itidem et Procuratoris in illam ingressus liber est pro rerum domesticarum administratione etc.

Fiat sera in porta nova, cujus solummodo clavis penes Priorem, Subpriorem, Procuratorem, vel Portarium asservetur; caeteri careant. Sit vero diligens advertentia P. Prioris et P. Subprioris ad omnes sibi commissos, quos et recto in ordine contineant [et] debitis et congruentibus semper officiis exercebunt, adeo ut nullus otietur, tempusque utiliter transigant. Hinc etiam coeptam bibliothecam optimis libris, quam possint maxime, instaurent, eumque in finem applicetur profectus, qui devenit annue ex defunctorum libro. Frater Joannes Gast ejusdem curam specialem habeat.

In caeteris refero omnes ad duo praecedentia relicta, quae cum hoc nostro tertio vel quarto (*a*) in anno legenda et firmiter observanda in Domino ex auctoritate, in hac parte nobis delegata, praecipimus.

Datum Sylvaeducis in domo nostra praedicta 23 Octobris A°. 1623.

Summa totalis omnium expositorum ab ultimo computu ascendit ad tria millia, ducentos sexaginta florenos et octo stuveros cum orquino, receptorum vero ascendit ut supra patet, et excrescunt recepta expositis ad quadringentos septuaginta novem florenos et undecim stuveros cum orquino. Computatione igitur per Fratrem Wilhelmum Judoci Procuratorem conventus nostri Sylvaeducensis taliter instituta coram me Fratre Henrico Waltheri, Priore S. Agathae visitatore, et venerabili Priore loci et aliis interesse habentibus, recepta et exposita conveniunt ut jam dictum. Summa vero creditorum in pecuniis mille septingenti septuaginta duo fl., 1 st. Debita, laus Deo, exigua.

Summa credita in granis exacta in computum, ob brevitatem

(*a*) *Tertio vel quarto*, puto scribendum: *ter vel quater*.

temporis deducta nulla vel exigua, provisio pro pane et potu, Deo benedicente et conservante, foret sufficiens.

Ex praedicta excrescentia receptorum servantur in cista conventus trecenti decem circiter floreni, reliquum in bursa penes procuratorem servatur; item servantur in cista conventus trecenti floreni accepti ratione Patris Einhouts; item adhuc ratione fratris conversi suscepti quadringenti floreni in cista conventus asservantur. In summa status conventus in temporalibus bonus; faxit Deus ut, quod praecipuum, etiam in spiritualibus. Acta sunt haec feliciter in conventu nostro praedicto, 21 Octobris A° 1623.

Ut testor manu propria.

Fr. Henricus Waltheri,
Prior Fratrum S. Agathae.

Fr. Joannes Lievens,
Prior loci.

[In margine adversae paginae haec leguntur]:

Per Fredericum Henricum Orangiae Principem civitate Sylvaeducensi in potestatem statuum Hollandiae redacta 14 Septembris anno 1629, religiosi omnes exules.

Joannes Lievens Prior Ordinis S. Crucis, inde exul, comparuit in capitulo provinciali Ruraemundae 10 Junii 1630. Ipse se notavit et scripsit, q. q. Prior extra Sylvamducis.

N°. 219. 26 Sept. 1624.

Acta visitationis conventus Coloniensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Carptim).

Visitatores Fr. Henricus Waltheri Prior S. Agathae et Fr. Christianus Buyrensis, Prior Mariae Pacis.

Fratres foris celebraturi extra viam in exitu et reditu sive ad ullas notorum domus, minime deflectant, multo minus comedere vel bibere praesumant sine licentia.

Semel in septimana habebunt fratres colloquium et ludendi copiam.

Librorum bibliothecae vigilans cura adhibeatur, nec auferantur pro quorumvis arbitrio, sed certa hora, prima scilicet pomeridiana petantur et ordine certo restituantur.

Oculatos calceos sicut et alias curiosas vestium notabilitates omnino interdicimus. Nullus fratrum sine licentia extra horam bibat.

N°. 220. Circa 1624.

Acta visitationis conventus B. Mariae Pacis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Carptim).

Visitator Fr. Henricus Walterus.

Post completorium ad quadrantis horae spatium ad minus omnes recollectioni incumbant, nullusque, nisi de licentia propter studium, idque non ultra nonam horam ad lumen in cubiculo vigilet.

Confessionem sacramentalem nemo ultra octiduum differat.

Deputetur certa in dies hora laboribus et exercitiis corporalibus, vel plures, prout ratio vel necessitas postulaverit.

Semel etiam in hebdomada detur ludendi licentia, nec tamen detur communis potandi licentia, sed si quis sitiens indiguerit, potet in particulari.

Communis etiam et apostolica vita observetur, ac proinde vestes et omnia in communi asserventur et omnibus ministrentur.

Singularitas et curiositas omnis in vestibus, calceis et toto habitu nostro evitetur, atque simplicitati et humilitati Christi et S. Ordinis se conforment.

Singulis ad minus mensibus capitulum a P. Priore servetur et ordinamus ut pro exercitiis fratres per vices, vel saltem aliqui aptiores, conciones dominicis et festis a prandio hora prima habeant.

P. Prior suis certa hora in die vel determinatis temporibus instructiones per se vel alios facere non negligat, familiam etiam externam in pietate gubernet; ad sacra audiendum si non quotidie, saltem certis diebus et maxime sub ecclesiae praecepto dominicis et festis inducat; etiam villicos familiae et si quos vicinos per modum catechismi instituat divinis praeceptis.

Molendinum dominicis et festis quiescat, nisi forte necessitatis causa, a prandio id excusetur. Silvarum accuratior per quemdam ex fratribus ratio habeatur.

Restauretur pro feminis et saecularibus ingressus exterior ad ecclesiam, atque ab ambitu feminae saltem arceantur.

De anno jubilaei (*a*) et quod omnes se reconcilient confessionem generalem instituendo.

N°. 221. 5 Jan. 1625.

Fr. Augustinus Neerius, Magister Ordinis S. Crucis Generalis praecipit, ut omnes conventuales utantur breviario Ordinis.

(Praefatio breviario (*b*) praefixa).

F. Augustinus Neaerius, conventus Clari loci, apud Hoyum humilis Prior, et Sacri Ordinis S. Crucis Magister Generalis, Universis ejusdem Ordinis Provincialibus, Prioribus, caeterisque religiosis nobis in Christo dilectis salutem, et in agendis Spiritus Sancti consilium.

Quod in militia temporali usu venire solet, ut tyrones aliis

(*a*) Ex hac jubilaei nota conjicio hanc visitationem anno 1624 habitam fuisse, quia anno 1625 jubilaeum fuit celebratum.

(*b*) Huic Breviario titulus est: *Breviarium Patrum Ordinis Sanctae Crucis, sub regula canonicorum regularium S. Augustini militantium;*

et aliis armis cuneatim intruantur, quo tamen a suo imperatore docti ad unam victoriam disponuntur: hoc subinde evenerat in ecclesia Dei (quae ut unica est in vestitu deaurato charitatis, sic virtutum omnigenarum varietate circumdata) ut et clerus saecularis et ordines religiosorum institutis et vestitu discreti, alia atque alia arma, id est, precum et horarum, quibus Deo perpetuum inserviendo, daemonem a se et aliis propulsant, diversos admodum ritus et plurimum a primo genio dissidentes paulatim sibi arrogarent. Ita sub praetextu Divorum tutelarium et dum indiscretae aliorum devotioni servitur, libri illi, qui Breviaria dicuntur, alienis multis et plerisque apocryphis erant interstincti. Vidit et indoluit Concilium Tridentinum, cujus rogatu summus pontifex, adjutus operis virorum in utraque pagina eruditissimorum, eos in meliorem eamque incommutabilem formam redegit, aliasque praescripsit normas, quas non consuetudo saltem a ducentis annis praescripta protegeret: quae tamen etiam posteriores licite Breviario isto novo permutari possent. Hinc factum, ut complures Episcopi et ordines religiosi ad illud penitus convolarent, alii vero suum decisis superfluis, illi quam poterant proxime accommodarent. Id etiam collibitum praedecessoribus nostris, quorum memoria in benedictione est; verum perflantes tum maxime ventorum turbines, et insufficientia eorum, quibus negocium erat demandatum, rem hucusque discussere. Nos igitur quibus, licet tanto imparibus muneri, commissum est regimen totius Ordinis Sanctae Crucis, eidem curae insistentes, nuper in capitulo ordinis nostri generali, ex communi Patrum in eodem residentium consensu, revisionem conformationemque Breviarii nostri ad Romanum novum (retentis tamen propriis nostri ordinis officiis ritibusque)

jussu et auctoritate Reverendissimi Patris F. Augustini Neerii, ejusdem Ordinis Generalis restitutum, ac opera et studio reverendi Patris Fr. Pauli Reineri, conventus Ruremundensis Prioris, concinnatum. Leodii, *Joan. Tournay;* 1625. 12°. 1026 et 95 pag., constans uno volumine.

demandavimus venerabili Fratri nostro Paulo Reineri, Priori conventus Ruraemundensis et nostro per Germaniae Provinciam Vicario, qui ubi post gnavam et a tot salebris impeditam operam, foeliciter tandem huic rei addidit colophonem. Breviarium sic compilatum et per nos diligenter recognitum, typis mandari et in lucem mitti curavimus. Quapropter vos omnes et singulos qui sub humilitatis nostrae ducatu, Deo et Christo militatis, quibusque Crux rubro et albo distincta in continuam sanguinis et aquae de latere crucifixi profluxorum memoriam pro tessera est concessa: ut certamen melius et caeteris turmalibus vestris conjunctius post hac porro pugnetis, monemus et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus abjecto actutum, quo hactenus usi sumus Breviario, hoc nove sic restitutum et a nobis confirmatum, in choro et extra, manibus vestris diu noctuque teratis; ut „mente et spiritu psallentes", postquam cum Apostolo „Bonum certamen certaverimus, cursum consummaverimus, fidem servaverimus, reposita sit nobis corona justitiae, quam reservavit Dominus iis qui diligunt adventum ejus". Valete in Christo, nostrique et illorum, qui in hoc opere insudarunt, apud Deum memores estote. Datum in conventu nostri Ordinis primordiali apud Hoyum, Leodiensis dioecesis, anno Jubilaei 1625 in vigilia Epiphaniae.

Fr. Augustinus Neerius,
Qui supra.

Assumptionis nostrae ad officium, anno VI.

N°. 222. 29 April. 1625.

Computus accepti et expensi conventus Wickradiensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Facta computatione a V. P. Leonardo Rouwels, Priore conventus Wickradiensis, coram PP. Henrico Guwaltherio, Priore

S. Agathae et Christiano Buirensi, Priore Mariae Pacis, de omnibus acceptis et expositis, ita ut collatione pecuniarum facta in acceptis et expositis, fere nihil superfuerit. In granario quatuor et dimidium maldera siliginis forte fuerunt. Duodecim plus minus maldera avenae.

Credita in frumentis fuerunt quadraginta maldera siliginis: debita autem fuerunt undecim et dimidium maldera siliginis.

Culinae provisio putatur sufficiens esse.

Credita porro in pecuniis fuerunt quinquaginta tres floreni, octo et dimidius albi. Debita vero pecuniarum fuerunt septingenti viginti duo floreni et quatuor albi.

Collecta ex computatione nostri conventus Wickradiensis facta. — 29 Aprilis, anno 1625.

N°. 223. 6 Maii 1625.

Acta visitationis conventus Coloniensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Visitatores iidem qui 26 Septembris 1624.

N°. 224. 13 Oct. 1625.

Fredericus Henricus princeps Auriacus eamdem promittit protectionem conventui Agathensi, quam experti sunt a principe Mauritio, data epist. 12 *Julii* 1622, *Fr. Cruciferi.*

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 225. 1627.

Nobilissimum Jo. Wilh. a Wachtendonck ejusque filium Arnoldum, omnium precum S. Ordinis facit participes Augustinus Neerius, Magister Generalis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Fr. Augustinus Neerius Prior Huyensis et totius Sanctae

Crucis Ordinis Magister Generalis, Generoso, praenobili ac strenuo Domino, Domino Johanni Wilhelmo a Wachtendonck, supremo consiliario curiae Clivensis, nec non Domino in Halhausen, Satrapae in Cranenburch etc., simul et praenobili generosoque Domino Arnoldo a Wachtendonck, filio dicti Domini, salutem in Christo Jesu.

Eximia charitas, singularis zelus, pietas vestra, et merita tum in universam Sanctam Christi ecclesiam et ejus causam, tum vero in ordinem nostrum et praecipue desolatam nuper domum nostram S. Agathae, sub Dominio Illustrissimi Principis Auriaci, in ultimis fere catholicorum finibus positam, (prout nobis V. et dilectus Pater, Fr. Henricus Waltherius, Prior dictae domus, pertulit) arctissime devincunt, ut ex Christianae gratitudinis et charitatis lege testimonium aliquale grati affectus reexhibeamus. Qua propter generosis et praenobilibus D. D. Vestris tenore praesentium aditum patefacimus ad omnia bona nostra spiritualia, concedentes participationes omnium Missarum et singulorum sacrificiorum, jejuniorum, vigiliarum et ceterorum id genus exercitiorum, quae per Dei gratiam per totum nostrum ordinem fiunt. Additis de gratia speciali, ut, cum praenobilissimarum Dominationum vestrarum obitus, quos Deus ad instar sanctorum pretiosos reddere dignetur, nobis praesentium exhibitione fuerint denunciati, pro animarum vestrarum refrigerio, Missae, preces et suffragia per totum ordinem nostrum injungantur, sicut pro similibus patronis et dilectis nostris facere consuevimus. In quorum fidem has manu propria subsignatas et officii nostri sigillo munitas dedimus, in conventu nostro Hoyensi, anno salutis humanae 1627, die 9 Novembris.

—

N°. 226. 16 Oct. 1628.

Relatio scabinorum villae de Cuyck aerumnarum, quas passus est conventus S. Agathae anno 1580 *ab Hispanis militibus.*

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae tribus sigillis munitum, uno perdito.)

Wy gemeyne Schepenen der hooftbanck des landts van Cuyck, certifficeeren onder den eedt, die wy in aenvanck deses onses ampts gedaen hebben, warachtich te syn, dat syne Majesteyt van Spaengien hooch loflicker memorie voor het jaere van XV^{c} ende tachtentich goet gevonden hebbende tot dwanck vande steden van Nymegen ende Grave met garnisoen te besetten ende te doen fortifficeren het vorstelick huys van Middeler op de riviere vande Maese naest die Geldersche syde tegens over het heerlick kloester ende Godtshuys van St. Agathen onder de ordre vande Cruysbroeders ende regule van St. Augustyn, resorterende onder de voorss. hooftbanck ende onder tvoorss. landt van Cuyck gelegen; de Gouverneur Camillo Sacchini ende de Capiteynen ende andere Beveelhebbers opt selve huys gelecht synde, hebben toegelaeten, nae dat alle de religieusen vuyt tselve kloester binnen tdorp van Oeffelt, dwelck gehoerden onder het vorstendomme van Cleve, ende over sulcks vande oerloge exempt was, mette huyshoudinge gewecken waeren; dat de soldaten tot timmeringe van haer baracquen, wacht- ende sentinelhuysen ende vorts tot hare brandinge, int voorss. kloester, dwelck consisteerde in groote ende sumptueuse aedificatien, souden moegen haelen, balcken, ribben, dueren, vensterens, sulderplancken, dackplancken, schalien, glaeseren, bryc-ken oft steenen, paveyselen, alle soorten van yserwerck ende vorts generalick alle tghene, dwelck aen tvoorss. kloester was, sulcks oock dat de Naemensche steenen daer met de kercke geplaveyt was, vuytgebroecken ende opt voorss. huys, als men

hedendaechs aldaer noch syen kan, met oock de klocken gebrocht syn geweest, daer met tselve kloester tot sulcke ruine ende destructie gebracht is geworden, datter nyet in syne forme gebleven en is, als alleen de kercke ende het brouwhuys ende backhuis, dewelcke staende gebleven syn, hoe wel dat binnen de materialen vuytgebroecken syn geweest, de resterende woningen ende gemacken met bouwhuys, stallen, schueren, rosmoelen, schaepskoyen ende vorts alles anders over hoop geworpen ende ter eerden gevallen synde, mede allet houtgewasch, den selven kloester in abundantie toebehoert ende by de voorsaten geplant geweest synde, soe tot timmeragie als tot brandinge afgehouwen ende totte fortificatie ende andere wercken geemployeert geweest synde, behalven dat haere pachthoeven buyten tvoorss. kloester gelegen, oock vernyelt, gebroecken ende tot desertie gecomen syn geweest, sulcks dat de voorss. religieusen van alle middelen van leven oock berooft syn geweest, hebbende over sulcks haere goederen onder tvoorss. vorstendomme van Cleve gelegen, met verpandingen, realisatien van renthen, ende desgelycke belastingen hoochlick om nootdruft van leven te hebben moeten obligeeren ende beswaren, oock veele incomende renten ende pachten moeten verkoepen, in welcken state de voorss. religieusen yrst tot Oeffelt ende daer nae binnen Gennep mede Cleefs synde, huys hebben moeten houden, gelyck oock daer nae binnen de stadt Grave, als deselve onder het gebieden vanden Coninck gereduceert was, ende daarna wederomme binnen Gennep voorss. als deselve stadt wederomme verloeren was gegaen, hebbende daer nae van langer handt vuyt de fragmenten ende overblyeffselen van materialen wederomme eenige reparatien begonnen ende tot noch toe gecontinueert te doen, om wederomme metter tyt een forme van een kloester te kryegen, gelyck ons Schepenen voorss. al tselve bekent is; ende ick Godefroy Paedsien die onder syne Majesteyt ende onder den Ertshertoge, den welcken Godt

begenaedige, ben geweest Schoutent van de voorss. hooftbanck ende landt van Cuyck ende nu onder syne Majesteyts gebiedt schuyle onder de heerlickheyt van Bocxmeer, attesteeren mette voorss. Schepenen, dat my alle tghene dwelcke voerseyt is, meer als bekent is, ende dat men vande voorss. destructie nyet soe veel en kan seggen oft scryven, het is metter waerheyt noch veel meer, seggende tot redenen van myne wetenschap, dat ick in myn studie voertyts int voorss. kloester een tyt lanck gewoent hebbe, ende daer nae met de religieusen altyts familiariteyt gehouden hebben, ende hun raedt ende hulpe metgedeylt hebbe als het van noede was. Des ter oirconden hebben wy Schepenen dese doer drye van onse stoelbroeders doen besegelen, neffens de besegelinge vande voorss. gewesene Schoutent. Actum den xvi^e^ October anno xvi^c^ achtentwintich.

CLAESSENS,
Landtschryver.

N°. 227. 13 April. 1630.

Priores qui capitulum provinciale habuerant in conventu de Hochbusch, rogant Magistrum Generalem, ut res ibi gestas approbare velit.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Reverendissime in Christo Pater, observandissime Domine.

Ex quo nuper R^di^ Patres Priores in Homboz congregati, pro utilitate et profectu S. Ordinis nostri et nunc iterato Coloniam salvi et incolumes appulerint, ac dictae congregationis seriem et omnimodam instructionem per copiam transmiserint, nullamque tamen resolutionem aut responsum desuper acceperint: hinc est quod omnes hic infrascripti humiliter et reverenter ad totius S. Ordinis nostri augmentum, splendorem et unanimitatem petamus et in Domino obsecremus, quatenus R^do^ Domino Priori S. Agathae, ad hoc specialiter a nobis rogato, om-

nem fidem adhibere dignetur eique et nobis omnibus voluntatem et consensum R^ma^ sua Paternitas cum sigillo transmittere non gravetur, prout etiam R^mus^ Dominus Provincialis nobis etiam nunc praesens in litteris suis scribit et obnixe petit. In cujus rei testimonium haec manu nostra signamus. Datum Coloniae 1630, 13 Aprilis.

Fr. Paulus Reineri, Humilis Provincialis.
Fr. Henricus Waltheri, Prior S^tae^ Agathae.
Fr. Arnoldus Jordens, Prior Dusseldorpensis.
Fr. Leonardus a Ruweel, Prior Nigrae Paludis.
Fr. Leonardus Campius, Prior Altinemoris.
Fr. Clamor Averkamp, Prior Mariae Pacis.
Fr. Adolphus Offerhausen, Prior in Bruggen.
Fr. Henricus Antonii, Prior in Dulken.

No. 223. 10 Junii 1630.

Acta Capituli Provinciae Rhenanae et Mosanae, Ruraemundae habiti (a).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

In nomine Domini. Amen.

Acta et conclusa per R^mum^ Patrem Generalem, Patrem Provincialem, caeterosque Patres Mosanae et Rhenanae Provinciae in conventu nostro Ruraemundensi, die 10 Junii A^o^ 1630.

Cum author ipse perfectionis Christus Dominus per Apostolum suum jubeat, omnia honeste et secundum ordinem fieri in nobis ipsiusque actio nostra sit salutaris institutio, hinc convenit ut haec sequentia puncta omnibus Patribus et Fratribus utriusque Provinciae proponenda et serio observanda decreverimus.

Inprimis Provincialis posthac triennalis futurus ex Priori-

(a) Cf. omnino acta capituli generalis anni 1631. Pag. 144.

bus, et a Prioribus suae Provinciae ante finem capituli Generalis canonice per involutas schedulas eligetur, juxta formam electionis assignandam, excipiente vota Magistro Generali cum duobus definitoribus, et electum confirmante.

Capitulum Provinciale annue celebrabit, excepto anno capituli generalis, eo tempore, quo capitulum generale post Pascha celebrari solet, loco ab ipso et Patribus Provinciae in ultimo capitulo generali vel Provinciali designando.

Provincialis eamdem habeat potestatem in sua Provincia, quam et Magister ordinis, et eadem ipsi reverentia et obedientia exhibeatur a comprovincialibus, quae Magistro Generali, nisi praesens exstiterit.

Universam Provinciam singulis annis per se et in propria persona vel, legitimo occurrente impedimento, per discretos deputatos, quibus authoritatem suam committet, visitabit: in qua visitatione tam ipse, quam ejus deputati, memores Tridentini Concilii *Sess.* 24, *Cap.* 3, cavebunt diligentissime, ne inutilibus sumptibus cuiquam onerosi sint, neve quicquam per se aut per suos, procurationis causa, pro visitatione etc. nec pecuniam nec munus, quodcumque sit, etiam ultronie et qualitercumque oblatum, accipiant, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili, exceptis tantum viatico et victualibus, quae a visitatis frugaliter, moderateque visitatoribus erunt ministranda.

In domibus constructis aut construendis, ut multorum abusui occurratur, nulla notabilis de novo structura, vel immutatio fiat ostiorum, officinarum, fabricae etc. nisi petito et obtento consensu Generalis vel Provincialis, ac majoris partis capituli ipsarum domuum; quem tamen consensum non facile absentes concedant, sed si fieri possit sine conventus damno vel incommodo, usque ad ipsius domus visitationem differant, ut sic oculatim et oretenus quid expediat, judicare possint.

Post essentialia tria ordinis vota maxima illi cura sit circa novitiatum promovendum et conservandum, ordinaturque provisionaliter ad novitiatum domus Nigrae Paludis, et in Magistrum novitiorum venerabilis Prior.

Ut autem novitiorum in novitiatu, bene formata conscientia, scientia conservetur et augeatur, ordinamus ut in conventu Pontis Coeli, philosophiae, Embricae autem theologiae lectio habeatur.

In novitiatus et utriusque studii subsidium, singuli conventus quotannis contribuent decem imperiales, sive novitios studentes mittant, sive non mittant. Assignamus vero supradictis domibus pro qualibet persona novitii, vel studentis, qui tamen ex ejusdem conventus fratribus non sint, viginti quinque imperiales ex dicta communi taxa persolvendos. Quod si vero taxa communis non suffecerit, reliquum per novitiorum conventus aequa divisione per singula capita facta persolvetur, serviatque huic rei pecunia Valckenhagensis ad annuum censum, in usum Provinciarum Germaniae applicanda.

Provincialis etiam advigilabit, ut etiam in divino officio persolvendo, in jejuniis, cibis, rasuris, habitu, domi et in itinere degestando, reliquisque omnibus et regulae et constitutionibus contentis vel annexis juxta simplicem sensum, uniformitas et eadem ubique consuetudo habeatur, nec facile quisquam a comminibus observantiis et officiis eximatur, nisi senium, studium vel similis aliqua gravis ratio cum aliquo dispensari petat, quod Provincialis et Praelatorum discretioni committimus.

Quia et officia Missarum secundum usum Romanum et antiquum nostrum in hoc maxime differunt, quod nostra antiqua per alias Dominicas dispersa apud Romanos reperiantur; hinc discrepantiae hujus indaginem et correctionem committimus Patribus Prioribus Altinemoris et Ruraemundensi, secundum quam deinde emendandae sunt Rubricae librorum choralium: et pro conformitate servanda cum Missali et caeremoniis Ro-

manis sequemur ordinarium Missalis Romani, etiam assumendo confessionem et absolutionem Romanam, inserto nomine Bti Patris nostri Augustini, tam in missis, quam in horis etc., excepto quod festa ordinis propria speciatim excudenda Missali Romano adiungantur.

Habitum imposterum tam intus quam foris plenum, ac constitutionibus ordinis correspondentem deferant, tam laici quam clerici. Quod si quibusdam habitui laicali assuenda crux videtur, referant hoc et relinquant examini et definitioni capituli generalis, alioquin nec collaria, nec oculi in calceis, nec nodi in manicis tunicarum et scapularibus, nec alia quaevis novitas aut vanitas in quoquam deinceps toleretur.

Nulli deinceps fratri hospiti liceat frequentare convivia nuptialia, baptismalia et coenas; quod si ad honesta prandia hospites invitari, et de judicio [et] de licentia superiorum ire contigerit, tempestive, prout religiosos decet, se expediant. Internis vero fratribus extra septa monasterii, nisi quantum statuta aut emergens necessitas vel honestas per Priores mature examinanda, permittunt, bibere aut comedere illicitum sit.

Nullus sine expressa licentia externis adventantibus, specialiter autem faeminis, loqui praesumat atque ut hoc commode observari possit, curabunt Priores, ut de adventantibus ante omnes alios a portariis moneantur, qui deinde examinata advenientium causa, fratribus, pro sua discretione, conferendi cum illis potestatem faciant, aut negent: faeminae vero a claustris penitus arceantur, et sola existens in conventu pernoctare non permittatur.

Prioribus deinceps non liceat quartis feriis et in adventu in esu carnium dispensare, nisi forte propter hospites non praevisos in camera hospitum. In adventu tamen tam externis quam internis carnes nullatenus concedantur.

Ad paupertatis votum fidelius observandum mandatur Prioribus, ut in suis quisque conventibus cubiculum aliquod ordi-

nent, a quo per certum aliquem vestiarium fratribus necessaria indumenta statis temporibus dispensentur et ut ipsi frequentius fratrum cubicula visitent, ac si quae superflua invenerint, tollant, necessaria vero subministrent: omnis etiam pecunia, quovis titulo, aut modo acquisita, ad Priorum dispensationem in bonum commune resignetur, nec ullatenus alicui, ut pro arbitratu suo vinum, vel aliud quidpiam pro hospitibus, aliisque quibuscumque procuretur, sed secundum regulam Bti Patris nostri Augustini una omnium cella et vestiarium habeantur.

Fratres transeuntes per obedientiam ad alium conventum honesto dumtaxat habitu vestiti abeant, nihil nisi manuscripta comportando: qui etiam, dum ad suos aut conventus alios remittuntur, prout venerunt, dimittantur.

Deinceps statutum illud de fratribus ad deservituras ecclesiarum, aut residentias non dimittendis firmiter observandum. Quod si quae circa aliquem dispensandi necessitas occurrerit, capitulis provinciali aut generali exponenda erit, et examinanda.

Laudabilis consuetudo noctu surgendi ubique deinceps, ubi exolevit, revocanda, nisi excuseut legitima impedimenta, quae a Provincialibus dijudicentur.

Exercitia etiam fratribus convenientia per horas certas a Prioribus distribuantur, et eorum rationes diligenter exigantur.

Pro commodiore autem horum omnium et perfectae observantiae effectu conventus Germaniae in duas Provincias partiti sumus, juxta elenchum sequentem.

CONVENTUS PROVINCIARUM.

Mosanae.	*Rhenanae.*
S. Agathae.	Montis S. Helenae.
Venlonensis.	Erensteyn.
Ruremundensis.	Coloniensis.

Mosanae.	*Rhenanae.*
Maseckensis.	Dusseldorpensis.
Trajectensis.	Duisburgensis.
Mariae Laudis.	Embricensis.
Pontis Coeli.	Mariae Pacis.
Dulckensis.	Benthlacensis.
Wickradiensis.	Montis Orientis.
Altinemoris.	Domus Lapideae.
Nigrae Paludis.	Glintfeldt.
Aquisgranensis.	Vallis S. Antonii.
Brandenburgensis.	Novae Lucis.
Sylvaeducensis.	Sneckensis.
Hornensis.	Franekensis.
Schidamensis.	Schermensis.
Asperensis.	
Worckemensis.	
Gossensis.	

Possunt utriusque Provinciae novitiatus et studium et taxa ad haec danda unita manere, donec propter personarum multitudinem, si opus fuerit, in qualibet Provincia divisim habeantur. Et ut haec omnia commodius observentur, non transmittantur Fratres de Provincia in Provinciam, nisi gravi aliqua de causa, per Generalem et Provinciales examinanda, in conventibus quoque Germaniae deinceps Germani Novitii suscipiantur, ut illorum opera ejusmodi conventibus opportuniore modo deserviatur.

Haec igitur in Domino expedire ordinis profectui arbitrantes et servari unanimiter cupientes, libenter subscripsimus, qui sequimur.

Fr. Augustinus Neserius, Generalis.

Fr. Paullus Reneri, humilis Provincialis Mosanae Provinciae.

Fr. Henricus Waltheri, Prior Stae Agathae, Discretus Mosanae.

Fr. Godefridus a Lit, Prior Venlonensis, Discretus Mosanae.

Fr. Henricus Vadder, Discretus Rhenanae Provinciae Visitator.

Fr. Christianus Burensis, Prior Bentlacensis, Discretus Rhenanae Provinciae.

Fr. Clamor Averkamp, Prior B. Mariae Pacis, Discretus Provinciae Rhenanae.

Fr. Arnoldus Jordens, Prior Dusseldorpensis.

Fr. Johannes Lievens, Prior extra Silvamducis.

Fr. Leonardus a Ruweel, Prior Nigrae Paludis.

Fr. Joannes Busaeus, Prior Coloniae.

Fr. Leonardus Campius, Prior Altinemoris.

Fr. Henricus van Aken, Prior Ruraemundensis.

Fr. Joannes Corselius, Prior Maseyckensis.

Fr. Adolphus Offerhausen, Prior in Bruggen.

Fr. Thomas Bucklerus, Prior et Pastor in Wicrath.

Fr. Henricus Antonii, Prior in Dulken.

No. 229. 10 Julii 1630.

Urbanus VIII, P. M. Magistro Generali Ordinis S. Crucis concedit facultatem gestandi baculum, mitram, et pallium violaceum, divini cultus supellectilem benedicendi ac tonsuram et quatuor minores ordines religiosis suis conferendi.

(Apographum authenticum in codice, asservato in Bibliotheca seminarii Leodiensis).

Urbanus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem ad ea, per quae decori et ornamento monasteriorum et ordinum quorumlibet, eorumque praelatorum et generalatus dignitate fulgentium honori, nec non divini cultus celebritati peramplius consulitur, libenter intendere, ac in his pastoralis officii sui partes favorabiliter interponere, prout locorum et personarum qualitatibus debite pensatis ad devotionis Christi fidelium propagationem, ac Altis-

simi laudem et gloriam perspicit in Domino salubriter expedire.

Exhibita siquidem nuper pro parte dilecti filii Augustini Neerii, moderni Prioris Generalis Ordinis Cruciferorum petitio continebat: quod licet ipse et pro tempore existens ordinis hujusmodi generalis totius ordinis caput existat, et in monasterio religiosorum ejusdem ordinis oppidi Huyensis, Leodiensis dioecesis, per Priorem gubernari solito, cujus pro tempore existens Generalis ordinis hujusmodi semper Prior esse consuevit, continuam residentiam faciat: nihilominus aliquo habitu, per quem ab aliis simplicibus religiosis ordinis praefati discerni possit, non utitur, et in habitu ac indumentis in nihilo a simplici religioso ordinis hujusmodi differt, privilegioque utendi baculo et mitra aliisque pontificalibus insigniis, quibus fere omnes alii aliorum ordinum generales et capita utuntur, caret: quod sibi ejusque ordini hujusmodi aliquam dedecoris seu indignitatis notam inurere videtur: quippe qui ex fructibus monasterii praefati commode, etiam juxta qualitatem Generalis, baculo et mitra similibus utentis, commode sustentari valet. Quare pro parte dicti Augustini nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Ordinis Cruciferorum hujusmodi, illiusque generalis pro tempore existentis decori, dignitati et honori consulere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui honestis fidelium, sub suavi religionis jugo Deo famulantium, votis libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis, Generalem Augustinum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ex voto congregationis venerabilium filiorum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium super

ritibus ecclesiae praepositorum, eidem Augustino et successoribus suis praefati Ordinis Cruciferorum generalibus, pro tempore existentibus, ut ultra scapulare nigrum cum impresso signo crucis rubri et albi colorum, per simplices dicti ordinis religiosos, ac ipsos generales gestari solitos, etiam Moszetham (*a*) cerulei vel violacei coloris, ad effectum ut ab aliis simplicibus religiosis hujusmodi tamquam illorum generalis et capituli discerni possit, gestare et deferre; nec non tam in ipso monasterio Huyensi et quibuscumque prioratibus et ecclesiis ac capellis illi subditis et ab eo dependentibus, quam de licentia ordinarii loci in aliis ecclesiis, non tamen exemptis, nisi de consensu praelati primarii, mitra, annulo et baculo pastoralibus aliisque pontificalibus insigniis hujusmodi uti; et in eis dictum Augustinum et successores praefatos, si pontificalibus celebrare contigerit, benedictionem solemnem post Missarum et vesperarum aliorumquo divinorum officiorum celebrationem super populum tunc interessentem, dummodo aliquis Antistes aut sedis apostolicae legatus inibi praesens non sit, aut si praesens fuerit, ejus ad id expressus accedat assensus, elargiri; nec non cruces, pallas, vestes, casulas, patenas, calices et alia ornamenta et vestimenta ecclesiastica divino cultui dedicata, in quibus sacri olei aut chrismatis unctio requiritur, ad usum monasterii, prioratuum et ecclesiarum hujusmodi cum solitis solemnitatibus et ceremoniis juxta ejusdem S. R. ecclesiae usum benedicere; ac monasterii et prioratuum hujusmodi omnesque et singulas alias seculares et regulares dicto monasterio subjectas et ab eo dependentes, ac de licentia et consensu ordinarii loci et praelati primarii earumdem etiam alias ecclesias, super quibus Augustinus et successores praefati fuerint requisiti seu aliquis eorum fuerit requisitus, illorumque coemeteria sanguinis vel

(*a*) *Moszetha* ex Italico *Mozzetta*, nostris *Mosette d'Evêque*. Ceremoniae. Episc. Lib. I, Cap I *Utantur domi et foris loco mantelleti, Mozzeta ejusdem coloris supra rochetum*. Du Cange Gloss.

seminis effusione pollutas vel polluta, aqua tamen prius per aliquem Apostolicum Antistitem, ut moris est, benedicta reconciliare, ac quibuslibet religiosis sibi subditis tantum ad id idoneis expertis primam clericalem Tonsuram ac quatuor minores ordines dumtaxat simul vel successive, servatis a jure temporibus, conferre libere et licite perpetuo possint et valeant, ac quilibet eorum possit ac valeat, dummodo tamen ipse Augustinus, ac pro tempore existens Generalis Ordinis Cruciferorum hujusmodi sit monachus et Prior Generalis plurium monasteriorum dicti ordinis, et non alias, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Decernentes Augustinum et successores praefatos super praemissis nullo umquam tempore a quoquam molestari posse aut debere, sicque et non alias per quoscumque judices et camerarum palatii apostolici auditores ac ejusdem S. R. ecclesiae cardinales et sanctae sedis nuntios judicari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit, attentari. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus ac synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac monasterii et Ordinis Cruciferorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti et decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud Sanctam Mariam majorem, anno incarnationes Dominicae millesimo sexcentesimo trigesimo, sexto nonas Julii, pontificatus nostri anno septimo.

Ego infrascriptus attestor de verbo ad verbum copiam hanc concordare cum originali, signato variis signaturis et confirmato

sigillo plumbeo, in cujus prima facie erat facies Storum Petri et Pauli et in altera *Urbanus Papa VIII.*

JOANNES DEL TOMBOR,
Protonotarius Apostolicus.

N°. 230. 17 Febr. 1631.

Queritur Fr. Henricus Walteri, Prior S. Agathae, quod Magister Generalis, paucis adstipulantibus, improbat acta capituli provincialis, Ruraemundae habiti.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae) (*a*).

Reverende et Eximie admodum Domine, Pater Prior.

A mutuo nostro discessu inhaesit animo meo singularis amoris vestri affectus et desiderium, quo in vestram Reverentiam feror, optans unice, ut vel occasio detur, qua id opere demonstrare liceat et gratitudinis meae signa reciproce benignitati et humanitati vestrae, tantopere mihi et socio exhibitae, praestare valeam: et si alio modo nequirem, non destiti tamen, id quod exhibuit benevolentiae, gratanter Patribus pluribus insinuare, quibus ex hoc etiam reverentialis affectus in Paternitatem vestram Reverendam innasci visus est, praestolantibus quam maxime ad indictam congregationem suam ejusdem praesentiam.

At cum eamdem Deus negaret, nihilominus procedendum in pio conceptu (tamquam in nomine Jhesu ad hoc legitime congregatis) visum est. Institueruntque articulos ceu puncta illa jam divulgata, quae ipsa R^mus^ noster Generalis tum temporis in se susceperat vestrae R^tiae^, sicut et caeteris Patribus communicanda, quae utique, in quantum Regulae nostrae et statutis conformia, omnibus nobis pro conformitate communi ne-

(*a*) Autographum dico: videtur haec epistola a Priore S. Agathae concepta et missa ad Priorem magnae in ordine auctoritatis. Ex diplomatis praecedentibus et secuturis puto sermonem esse de rebus in capitulo Ruraemundae habito gestis, quas vide pag. 180.

cessaria visa sunt; alia vero secundum usum et praxiu aliorum sacrorum ordinum, ibidem posita, utilitatem et splendorem S. Ordini nostro allatura existimavimus, quae tamen judicio et sententiae capituli generalis voluntarie subjicimus ponderanda.

Et nescio quo spiritu affecti quidam ante tempus judicantes, omnia ibidem acta improbent, calumnientur et proscindant, ipseque R[mus], qui non solum terna nominis subscriptione, sed et publica exhortatione in pleno congregatorum Patrum concessu, laudavit et approbavit, sine ulla distinctione, revocat et annullat, et mandatis actis Patrum contrarium facit, uti P. Prior Coloniensis insinuat, etsi non temere suspicari possimus, ipsum tale quid pro instabilitate sua arundinea sibi procurasse, causas facile conjicimus et ex scriptis suis probare licebit.

Quidquid tamen sit, is solus est (*a*), qui e Patrum corona laudatis et probatis laudabiliter a se antea, turpiter reclamavit, is proinde designatus est capituli generalis ante quadrimestre, ut scribit, concionator.

Huic se junxit anonymus quidam Pater e Germanis, qui scriptum aliquod divulgavit, in quo futili loquacitate, imo mendaciis impugnat acta Patrum. Huic ordinarium mitto per praesentes scriptum, quo V[lis] P. Prior Mariae Pacis eadem acta defendit. Quod precor vestra R[da] Paternitas benigne accipiat, legat et interpretetur taleque invenire spero ut dignum censeat sua adstipulatione, idque corroboret et auctoritate defendat.

Ita ad majorem Dei gloriam et S. Ordinis erectionem opto. In quo fine Deus Opt. Max. et vestram R[dam] Paternitatem, diutissime precor conservet, et pro talentis gratiarum liberaliter concessis operari faciat. Anno (17 Febr.) 31.

(*a*) Sc. Prior Coloniensis, Joannes Busaeus.

—

N°. 231. 24 Febr. 1631.

Acta visitationis conventus Dusseldorpensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Carptim).

Visitatores erant Henricus Waltheri Prior conventus S. Agathae, et Jo. Busaeus Prior Coloniensis.

Lineorum usum, nisi pro infirmis, sicut et lectos plumeos serio interdictos, prout sunt, volumus.

Ne etiam silentii claustralis observantia perturbetur, mensam lusoriam ex refectorio et claustro removeri et ad porticum extremum horti transportari curabit Prior.

N°. 232. 9 Julii 1631.

Acta visitationis conventus Mariae Pacis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Carptim).

Visitatores erant Fr. Henricus Waltheri, Prior S. Agathae et Fr. Goswinus Judens, Prior Embricensis.

Laudantur fratres ob charitatem et virtutum exercitium.

Nec improbamus pium instituendae juventutis propositum, quin id summopere commendamus, caventes ne ad quotidianam scholasticam instructionem puellae admittantur.

Parochialis ecclesiae in Leukum decenter exornandae curam, Priori et Suppriori demandamus.

In gratiam eorum, qui tenerioris complexionis sunt, ad solita fercula in prandio butyrum et vesperi caseum addat Prior.

N°. 233. 18 Julii 1681.

Acta visitationis conventus Bentlacensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Matutinum fiat secundum antiquam et laudabilem S. Ordinis consuetudinem media nocte.

Sacramentalem confessionem nullus ultra octavam aut circiter diem differat. Patri procuratori injungimus, ut laneorum usum secundum statuta et religiosam consuetudinem introducat.

Dum licentia deambulandi conceditur, omnes fratres communiter vadant, secreta et particularia conventicula suspecta habeantur. Clandestinae etiam jentationes vel compotationes nullatenus admittantur.

Quoniam licentia Rhenae Missam celebrandi molesta est domui et imperfectioribus posset esse occasio distractionis et peccati, consulimus illud officium potius per exteros sacerdotes, uti olim, exequendum.

Debita conventus excrescunt ad 43½ imperiales.

Credita vero ad . . . . 305 „

Cum admiratione intelligentes omnes, etiam in dormitorio, lectis plumeis uti, volumus illos secundum statuta mutari.

Fratres hujus domus erant Prior Christianus Burensis, Paulus Rongs Procurator, insuper quatuor sacerdotes et unus conversus (*a*).

(*a*) Visitator videtur fuisse Prior S. Agathae, Henricus Gualteri.

—

N°. 234. 22 Julii 1631.

Acta visitationis conventus Embricensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Carptim).

Visitatores erant Fr. Henricus Waltheri, Prior conventus S. Agathae, Provincialis Rhenanae Prov., Fr. Clamor Averkamp, Prior B. Mariae Pacis.

Fratres laudantur ob mores integros et vitam exemplarem.

Exitus ad oppidum, quantum id fieri potest, caveantur.

Fratres de licentia superiorum in locis vicinioribus habitantes et munia ecclesiastica administrantes, dum civitatem ingrediuntur, primum ad monasterium deflectant causamque sui adventus denuntient.

N°. 235. 1 Sept. 1631.

Epistola consolatoria a visitatoribus data conventus Duysburgensis fratribus.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Carptim).

Visitatores erant Fr. Henricus Walteri S. Agathae et Fr. Clamor Averkamp B. Mariae Pacis Priores.

A militibus multa gravamina perpersus est conventus, numero fratrum exiguus. Promittunt visitatores se adhuc unum fratrem missuros.

—

N°. 236. 21 Sept. 1631.

Acta visitationis conventus Dusseldorpensis, visitatoribus P. Henrico Gualtero, Priore S. Agathae et Joanne Busaeo, Priore Coloniensi.

(Apographum in tabulario conventus S Agathae).

(Loca Selecta).

Sanctam etiam et Apostolicam rerum omnium communionem, sicut in uno cellario ita et vestiario sub uno custode, secundum regulam et decreta capituli nostri generalis firmiter exhinc observari mandamus, nec quicquam deinceps, tam a cellario pro faecibus etc. aut custode ex oblatis etc., quam a quovis alio, quocunque modo aut quacunque ex causa, nisi ad communem V. Patris Prioris aut Procuratoris dispensationem, acceptetur.

Pari modo quae pro diligenti clausurae observantia de faeminis a conventu arcendis per generale capitulum ordinata sunt, firmiter teneantur et faeminae in camera hospitum ad portam procurentur. Et quantum ullo modo fieri possibile est, ultra mediam portam in aream interiorem non admittantur; viri quoque saeculares a dormitorio arceantur, atque ut hoc commodius servari possit, sub communi clavi deinceps observetur.

Recreationes etiam fratrum tam intus quam foris ad compotationes extendi nolumus, ac proinde V. P. Priorem exhortamur, ne in hac re, ultra quam constitutiones nostrae et definitiones capituli nostri generalis permittunt, cuiquam indulgeat, et si quos in potum proniores et indulgentiores adverterit, in eos specialiter mandamus animadverti.

Vini quoque cura deinceps accuratior habeatur et rationes exinde postulatus cellarius V. P. Priori exponere semper pa-

ratus inveniatur. Hospitibus vero non indifferenter, sed cum debito delectu et religiosa moderatione, propinetur.

Monemus etiam V. P. Priorem, ut divini cultus ab omnibus (nisi infirmitas vel gravis necessitas excusent) tam noctu quam interdiu communiter obeundi rationem habeat diligentem. Et quandoquidem religiosae exercitationis potissimae partes sunt meditatio et recollectio, mane ad mediae horae spatium meditationem, a completorio vero ad quartam horae partem recollectionem, in templo communiter observandam, indicimus.

Ne etiam silentii claustralis observantia perturbetur, mensam lusoriam ex refectorio et claustro removeri et ad porticum extremam horti transportari curabit V. P. Prior, nec ludendi in conventu copiam, nisi forte praecipuis amicis conventus, idque cum debita temporis circumspectione, faciet.

N°. 237. 12 Nov. 1631.

Citantur Prior et Frater Wilhelmus Romanus conventus Montis S. Helenae apud Treviros a Fr. Henrico Waltheri, Provinciali ad Tractum Rhenanum, ut in conventu Coloniensi respondeant de rumoribus, qui de illis sparguntur (a).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 238. 9 Maii 1632.

Acta capituli provincialis ad Rhenum et Mosam, Venlonae habiti.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Interfuerunt: Fr. Paulus Reneri provincialis ad Mosam, Fr. Henricus Waltheri ad Rhenum Prov. et eorum assessores, ad

(a) De quibus accusentur culpis, non dicitur.

Rhenum: Fr. Goeswinus Judenus, Embricensis, Fr. Clamor Avercamp, B. Mariae Pacis; et ad Mosam, Fr. Godefridus a Lith, Venlonensis et Fr. Leonardus Campius, Altinemoris conventuum Priores.

Visitatores praeter caetera etiam inquirent in usum laneorum ad carnem et lectos plumeos.

Conventum Bentlacensem et Montis Orientis, quod moniti statum suum capitulo provinciali non exposuerint scripto, singulum in tribus imperialibus ad usum capituli provincialis applicandis mulctamus.

Pro studio philosophico continuamus conventum nostrum Pontis Coeli.

Pro studio theologico ad requisitionem serenissimi Principis Neoburgici ordinamus conventum nostrum Duysseldorpensem.

Pro loco novitiatus continuamus conventum S. Agathae.

Commendamus omnibus, ut pro serenissimo Principe Neoburgico preces nostras pro se et conversione serenissimae uxoris suae et filio, sicut et pro statu patriae specialiter desiderante, orare meminerint.

N°. 239. 21 Sept. 1632.

Acta visitationis conventus Dusseldorpensis, visitatoribus Henrico Walteri S. Agathae et Joanne Busaeo Coloniensis conventuum Prioribus.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Hoc relictum (*a*) anno et die supra dicto pie observandum tunc judicavimus. Nunc vero quia religiosos fratres studiosos per capitulum provinciale ad hunc conventum admisimus, cumque per studium et pietatem aliquando in pristinum disciplinae

(*a*) Sive Acta visitationis 21 Sept. an. 1631, de quibus supra pag. 195.

monasticae nitorem restituendum adeoque totum S. Ordinem nostrum decorandum cum laude in Domino confidimus, hinc sequentia puncta per modum appendicis adjicienda jam dicto relicto existimavimus.

Quantum vero attinet ad ordinem temporis pro studiosis fratribus, illum alibi declaravimus et Fratrem Hermannum laicum, pro excitatione fratrum ante quiutam mane, instituimus.

In collationibus feriarum tertiae et quintae ministrentur duae schutellae carnium, quae omnibus sufficiant, quibus superaddi poterit obsonium, per rapas, poma aut radices coctum, vel ejus loco apponatur buytirum etc.: pro reliquis vero feriis laudabili S. Ordinis et domus consuetudini, tam in graciis quam abstinenciis, se religiose conformabunt.

Pro laudabili etiam in plerisque locis servata consuetudine potus minime protrahatur et seculares hospites semper ante horam nonam dimittantur, faeminarum sive quarumcunque sanctimonialium in conventu dormicionem non tolleramus, easdemque ab aria et culina arceudas volumus.

Reliquum est, ut venerabilem P. Priorem, veluti servum fidelem super Domini Dei sui familiam constitutum, pro exigencia nostri officii et syncero affectu moneamus, quatenus in his omnibus instituendis et ad effectum deducendis, sedulam navet operam et commissis animabus, pro quibus Deo rationem redditurus erit, arctissime intendat seque sui gregis concrediti vigilantem pastorem exhibeat, mala quaecunque avertendo et bona omni studio providendo. Cui et P. Supprior tanquam fidelis adjutor assistat et communi profectui hujus domus et maxime studiosorum diligenter intendat, et quos negligentiores in sacris instituti sui observanciis aut alias excedentes limites bonarum legum acceperit, emendandos vel in capitulo proclamandos curet, et P. Priorem singulis circiter quindenis in capitularibus exhortationibus juvet, praeter sermonem, quem quilibet studiosorum fratrum ex dictamine Rdi Domini lecto-

ris singulis diebus Dominicis ordine suo latine vel germanice habiturus est.

N°. 240. 24 April. 1633.

Acta capituli provincialis ad Rhenum et Mosam in conventu Sanctae Agathae.

(Apographa duo in tabulario conventus S. Agathae).

In nomine Domini. Amen.

Nos Fr. Paulus Reineri ad Mosam, Fr. Henricus Gualtheri ad Rhenum, Provinciales, eorumque assessores, Fr. Arnoldus Jordens, Dusseldorpensis, Fr. Leonardus a Ruweel, Nigrae Paludis, Fr. Waltherus Ledmat, Domus Lapideae, Fr. Adolphus Offerhausen, Pontis Coeli conventuum Priores, in capitulo nostro provinciali in conventu nostro S. Agathae, 24 Aprilis A° 1633 celebrato, venerabilibus Patribus et dilectis fratribus salutem in Domino.

Cum teste sacra scriptura Deo displiceat infidelis promissio, curandum nobis, ut ea, quae Domino Deo vovimus, fideliter reddamus; quod eo melius fiet, si ad regulam et statutorum decreta nos uniformiter convertamus, eamdemque ad praxin quam exactissime redigere studeamus.

Imprimis quod in superioribus capitulis de accurata paupertatis aliorumque votorum, item clausurae necessaria observantia, de surrectione nocturna, de laneis ad carnem gestandis, de capitulo, de ratione reddenda a Prioribus coram visitatoribus, de taxa annua et aliis, abunde ante hac constitutum, volumus ab omnibus indifferenter et inviolabiliter observari.

Ad haec quilibet officialis infra mensem de rebus monasterii, quae ad officium suum pertinent, faciat rerum omnium tam mobilium quam immobilium inventarium, quod etiam visitatoribus, dum ad conventus visitandos advenerint, exhibeatur.

Insuper vestiarius in inventario suo scribat, quae de novo parantur, addito die, mense et anno; si quae trita nec amplius

usui futura Priori ostendantur, ut quid de iis faciendum constituat. Nulli etiam quidpiam vestimentorum, nisi de expressa vel tacita P. Prioris licentia, tradatur: acceptis autem novis, mox vetera et detrita restituantur.

Quia insuper apostolica auctoritas praecipit, ut cubiculorum apparatus eorumque suppellex uniformis sit, pauperibusque religiosis conveniens, hinc est, quod tam visitatores quam Priores serio admonemus, ut secundum saepius inculcata et ordinata frequenter diligenterque fratrum cubicula visitent, superflua, curiosa ac pretiosa, praecipue argentea, ad privatum usum servata auferant et necessaria subministrent, determinatum librorum et vestium numerum concedant, quibus suis temporibus locis repositis seu traditis, alia pro necessitate tribuantur.

Judicamus etiam pro recreatione fratribus nostris sufficere, ut semel tantum in septimana licentiam ludendi habeant, quae tamen in sacratioribus anni temporibus, ut adventus et quadragesimae, pro Priorum discretione negari potest.

Et quia in literarum emissione multae inconvenientiae oriri solent, volumus ut literas non clausas fratres nostri superioribus suis sigillandas et destinandas exhibeant.

Cum autem pro domo novitiatus et domibus studiorum (*a*) expensae factae [sint], ut quilibet sciat, quid praeter taxam 10 imperialium persolvendum sit, breviter rationarium adscribimus.

Summa pecuniae necessariae ascendit ad 369 imperiales cum medio; ad hujus dilutionem servit imprimis pecunia taxae, quae,

(*a*) Studium theologicum Dusseldorpo Coloniam Agrippinam hoc anno transferebatur, reclamante Priore Arn. Jordens et querente, quod sumptus a se facti non integre solverentur. Hoc patet ex epistola ad Priorem S. Agathae scripta; in qua annotatum est, in conventu Dusseldorpensi tum exstitisse 16 conventuales, in quibus Prior, Supprior, Procurator, Cellarius et Magister eximius, et in conventu Bruggensi 10 conventuales et 5 novitios studiosos, pro quibus unus lector, nec non conventus Glintfeldensem, Bentlacensem, Montis Orientis et Vallis S. Antonii nullos sumptus pro studiis potuisse facere.

mortificatis (*a*) conventibus Dulkensi, Duisbergensi, Erenstein et Glintvelt, per residuos 16 conventus facit 160 imperiales; restant solvendi ducenti novem imperiales cum medio, qui deducti per capita 23 studiosorum et novitiorum praeterquam conventualium, scilicet trium ex S. Agathae, unius ex Mariae Pacis, quatuor ex Embricensi, 2 ex Venlonensi, 2 ex Pontis Coeli, 2 ex Ruraemundensi, unius ex Glintfelt, unius ex Altinemoris, 2 ex S. Helenae, unius ex Dulkensi, 2 ex Dusseldorpensi, unius ex Sylvaeducensi, unius ex Wickradiensi, conventibus et per singula capita 9 imperialibus annumeratis, persolvuntur, superantibus adhuc 3 schellingis. Et quandoquidem conventus Glintveldensis, omnibus suis bonis exutus, fratri suo in necessariis subvenire non potest, hinc 19 imperialibus in illius necessaria expensis per sedecim alios conventus divisis, adjectusque adhuc est singulis conventibus imperialis et quarta pars, et sic conventus Coloniensis tenebitur solvere 11 imperiales et quartam partem, Dusseldorpensis 29 imperiales et quadrantem, Domus Lapidea 11 et quadrantem, Mariae Pacis 20 imperiales et quadrantem, Bentlacensis 11 et quadrantem, Montis Orientis 11 et quadrantem, Embricensis 47 imperiales et quadrantem, S. Helenae 29 et quadrantem, conventus S. Agathae 38 et quadrantem, Venlonensis 29 et quadrantem, Ruraemundensis 29 et quadrantem, Pontis Coeli 29 et quadrantem, Altinemoris 21 et quadrantem, Wickradiensis 21 et quadrantem, Nigrae Paludis 11 et quadrantem, Sylvaeducensis 21 imper. et quadrantem, Dulkensis 9.

Fratres studiosi deinceps ad nativos conventus aut loca remotiora excurrendi [de] licentia Priores non molestent, sed in studio se contineant et exspectent, donec a Prioribus suis localibus postulentur, quod ultra bis in anno non fiat.

Caeterum ordinamus, ut F. Henricus Buegd Sanctensis in

(*a*) *Mortificatis* i. e. *immunibus* solutione contributionis ob summam inopiam.

conventu Dulkensi ad majus bonum de sua prompta voluntate profiteatur.

Frater Petrus Gesterius ad deservituram sacellaniae a reverendissimo nostro Generali admissus, expensas suas annuas apud D. Pastorem vel alios honestos emat.

Fr. Georgius Slins, Venlonensis, ut magis se exemplarem in moribus et choro exhibeat, stabit in conventu Dulkensi.

Fr. Aegidius Moris revocatur ad conventum nativum sub poenis inobedientiae.

Fr. Everhardus Caroli stabit in conventu suo nativo Embricensi.

Fr. Joannes Buecker transibit ad conventum Nigrae Paludis, ut fungatur officio cellarii.

Fr. Joannes Coquus, Beienburgensis remittitur ad conventum suum nativum Coloniensem.

Fr. Michael Coquus, Coloniensis mittitur ad conventum Biënburgensem pro coquo.

Item clarissimum virum Dominum Godefridum Paedtsy, schultetum Kuyckensem, in sacrum ordinem nostrum et singulariter domum Agathensem favorabilem et officiosum, suscipimus cum uxore et filio in participationem omnium meritorum et bonorum operum utriusque provinciae.

In quorum omnium fidem nomina nostra subscripsimus, qui supra.

Fr. Paullus Reineri,
circa partes Mosae Humilis Provincialis.

Fr. Henricus Waltheri Verheyen,
Prior (Provincialis ad Rhenum) conventus S. Agathae.

Fr. Arnoldus Jordens,
Prior Dusseldorpensis.

Fr. Leonardus a Ruweel,
Prior Nigrae Paludis.

Fr. Waltherus Letmate,
Prior Domus Lapideae.

Fr. Adolphus Offerhausen,
Prior Pontis Coeli.

N°. 241. 21 Julii. 1633.

Computus accepti et expensi conventus Aquisgranensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Carptim).

Computatione facta a R. P. Priore Joanne de Soye, de receptis et expensis coram nobis infrascriptis et aliis de conventu interesse habentibus, inventum est, ascendere recepta ad tria millia sexcentos et sexdecim fl. cum una marcka; exposita ad tria millia sexcentos et novemdecim fl. cum quinque marcis.

Haec computatio facta est coram Fr. Henrico Waltheri Priore S. Agathae, Fr. Leonardo Campio, Priore Altinemoris et Fr. Adolpho Offerhausen.

N°. 242. 11 Dec. 1633.

Acta visitationis conventus Dusseldorpensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Visitatores erant Fr. Goswinus Judenus, Prior Embricensis et Fr. Clamor Averkamp, Prior B. Mariae Pacis.

N°. 243. 22 Maii 1634.

Computus expensi in studium theologicum in Dusseldorpensi, philosophicum in Pontis Coeli et novitiatum in S. Agathae conventibus.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Ad taxam utriusque studii assignatio sequens facta est pro A° 1633, expirante in capitulo praeterito generali A° 1634.

In primis pro solutione eximii Domini lectoris theologiae

assignatur conventus S[tae] Agathae et conventus Embricensis; facit 40 imper. cum medio.

Pro solutione studii theologici apud Duysseldorpenses, assignati: conventus Coloniensis ad 10 imp.; Domus Lapideae ad 5 imp.; Montis S. Helenae ad 10 imp.; suusmet conventus ad 20 cum 4[ta] parte imp.; Duysborgensis ad 4 imp.; Mariae Pacis conventus ad 20 imp. cum 4[ta] parte ejusdem; Silvaeducensis ad 10 imp. Facit in toto 79 imp. cum medio.

Restat illi igitur 1 imperialis accipiendus a P. Priore S. Agathae, qui solvit eumdem. Nota ex hisce nominatis domibus debent P. Priori Coloniensi cedere in solutionem pro rato temporis, quo studium hactenus Coloniae fuit, 20 imp., ad quorum solutionem ipse conventus Coloniensis et Montis S. Helenae poni poterunt et deputari, de reliquis ipse Duysseldorpensis exigat.

Item pro solutione expensarum studii philosophiae in conventu Pontis Coeli assignati: Ruraemundensis conventus ad viginti cum quarta parte imper.; Venlonensis ad 20 imp. cum 4[ta] parte ejusdem; Vallis S. Mathiae ad 10 imper.; Altinemoris ad 15 imp. cum 4[ta] parte; Wycradiensis ad 10 imp.; Dulkensis ad 4 imp.; item suusmet conventus ad 20 imper. cum 4[ta] parte ejusdem. Faciunt in toto 100 imperiales.

Acta sunt haec in conventu nostro Pontis Coeli, 22 Maii A° 1634, praesentibus R[do] admodum Patre Vicario Generali Rhenanae Provinciae, Leonardo Campio, Priore conventus nostri Altinemoris cum R[dis] Patribus Prioribus Duysseldorpensi et Pontis Coeli. Ut testor manu propria.

Fr. Henricus Waltheri,
Prior conventus Sanctae Agathae.

Et attenta S. Ordinis necessitate et inopia, remitto ipsi S. Ordini praetensa justa sumptuum hujus elapsi anni de novitiatu, qui facile ad 80 imperiales ascendent, ut vicissim

S. Ordo dictae domui in corpore et membris pro necessitate, quae evenire illi posset, gratus existat. Ita dabam qui supra.

F. H. W. P. (*a*).

N°. 244. Circa an. 1685.

Acta visitationis conventus Mariae Pacis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Carptim).

Visitatorum nomina non exprimuntur, Fr. Henricus Walteri tamen unus ex iis fuit.

Nullus nisi de licentia propter studium, idque non ultra nonam horam, ad lumen in cubiculo vigilet.

Semel etiam in hebdomada gaudeant fratres ludendi licentia, non tamen detur communis potandi licentia.

(*a*) Exstat in tabulario conventus S. Agathae expensi in studia computus, factus in conventu Pontis Coeli, die 15 Maii 1635, praesente Provinciali, Henrico Waltheri, ex quo patet, anno elapso Coloniae studuisse novitios 14 theologiae et in Pontis Coeli canonia 14 philosophiae. Studium theologicum anni 1634 non tamen Coloniae absolutum est, quod »P. Prior Coloniensis mordicus studium theologiae a se suoque conventu abdicaret et in magnum Ordinis scandalum (licet prius a se petitum et jussu Rmi Patris a me ibidem institutum) dissolverit, ut proinde [studiosos] nostros et alios plerosque praedicto tempore reducere debuerim." Quemadmodum patet ex nota Prioris Walteri Verheyen. In epistola, quam die 18 Martii 1634 dedit Fr. Clamor Avercamp, Prior B. Mariae Pacis, ad Provincialem Fr. H. Verheyen, haec de Priore Coloniensi minus grata memorat. »Successum visitationis Coloniensis intellexi, prout et alia quae circa utrumque studium a Ria vestra provisa sunt et ordinata. De novello Suppriore Coloniensi Fratre Gerardo Lent gratulor domui Coloniensi et S. Ordini, et confido fore ut reformatio istius domus magnum ab illo praesidium sit acceptura; metuens nihilominus, ne forte ex infirmo capite sanitatis parum in reliquum corpus sit defluxurum, unde et periculosum video emendationis experimentum eoque amplius, quo plus ipsi creditum video, spem scilicet posteritatis nostrae in studio ibidem collocatam." B. 18.

N°. 245. Circa an. 1635.

Acta visitationis conventus Wycradiensis, visitatore Fr. Henrico Walteri, Priore S. Agathae.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Etsi ad directionem religiosam abunde nobis regula et statuta sufficiant, quaedam nihilominus in charta vobis relinquenda duximus, in quibus ab iisdem vos defecisse invenimus.

Licet propter defectum personarum non detur cantum semper persolvere, saltem tamen clare et cum pausa legendo pie et reverenter peragatis.

Conciones et catechisticas instructiones cum fervore faciatis, maxime dum cura pastoralis vobis annexa est, et quoniam P. Prior et Pastor vel propter debilitatem et occupationes semper per se non potest curam ejusdem gerere, tamen utique per profectiores et aptiores fratres eamdem administret, non indeferenter per omnes.

Ut sacra castitas integra et immaculata sit, feminas a dormitorio et claustro arcendas stricte mandamus, etiam conversationes externas particulares, eumque in finem cubicula in dormitorio elocata renuntientur, cistaeque inde amoveantur.

Nullus frater sine licentia exeat, emissusque quam mature redeat.

Fervorem et decorem religiosae disciplinae totaliter pene periisse hic dolenter videmus.

Ad gerendum debitam suae familiae curam, prius P. Priorem suos composuisse mores, secundum evangelicam et apostolicam institutionem patrumque decreta decet, quo alios eo efficacius ducat, uti et de ipso confidimus. Nihilominus et nostram desuper inspectionem promittimus et Priori Altinemoris viciniori singulariter hoc commendamus, et ut Reverendissimum Patrem et nos desuper informet, rogamus.

N°. 246. 22 Junii 1635.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Apographum authen. in tabulario conventus S. Agathae).

In nomine Domini. Amen.

Augustinus Neerius totius S. Ordinis Stae Crucis, Dei patientia, Magister Generalis, omnibus et singulis conventus nostri S. Agathae filiis et fratribus in Jesu crucifixo salutem.

Etsi sub actu visitationis nostrae omnia in satis bono statu, Deo laus, et ordine, in vestro conventu invenerimus, et nihil singulari aut notabili reprehensione aut monitione dignum judicemus: verum cum non sit qui sine crimine vivat, et in religione non proficere sit deficere, omnibus dicti conventus S. Agathae fratribus ad majorem Dei gloriam et monasticam disciplinam, haec sequentia puncta mandanda duximus, quae etiam ab omnibus inviolabiliter observari volumus.

Imprimis divinum officium, tractim et devote cum pausa ab omnibus persolvatur, a quo neminem, nisi legitima de causa et Patris Prioris licentia, exemptum volumus.

Singulis diebus sabbathinis, in honorem Dei et divae Virg. Mariae, singularis patronae nostrae, cantabunt fratres *Te Dei Matrem laudamus* cum versu, et collecta in fine de *Dominica*: quod si tamen festum aliquod divae Virginis in aliquo alio hebdomadae die celebrandum occurrerit, illa die cantari poterit dictum *Te Dei Matrem laudamus*.

Silentium in choro, claustro, dormitorio, et refectorio diligenter ab omnibus observetur.

Pro prandio horam undecimam, pro coena et collatione horam sextam assignamus.

Fratres a Patre Priore pro negotiis emissi, vel alias de ipsius licentia exeuntes, tempore et hora sibi assignatis, sub poena

sessionis ad terram, aut graviori secundum demeritum, aut notabilem excessum, ad conventum revertantur et statim reversi Patrem Priorem humiliter salutabunt.

Nemo ad portam aut culinam, exceptis tamen officiatis, aut ad alia loca illicita vel extraordinaria, absque expressa licentia, accedere presumat.

Et quandoquidem Pater noster Augustinus neminem velit aliquid alimentorum extra horam prandii sumere: hinc omnibus inhibemus, ne quis aliquid cibi, aut potus in cellis reservet, vel asportet.

Fratres etiam omnes monemus, ut statim ad signum datum pro sacra meditatione ad ecclesiam conveniant, et negligentiores ad discretionem Patris Prioris puniantur.

In absentia Patris Prioris, fratres non sint tam faciles ad licentiam petendam exeundi, nisi necessitate aut utilitate aliqua exigente, seu urgente.

Qui in camera hospitum mensae praeest stando, finita refectione, Domino Deo gratias reddet vel reddi curabit, quibus finitis potus nulli amplius propinetur.

Ceterum omnes et singulos in domino hortamur et monemus, ut professionis suae memores existant, Domino Deo, cui sese devoverint, in spiritus alacritate et fervore fideliter serviant, [et] Patri Priori debitam obedientiam et reverentiam, eum in omnibus et per omnia in vera charitate adjuvantes et supportantes, exhibeant. Datum sub chyrographo nostro, et sigilli nostri generalatus impressione, hac 22 Junii a° 1635.

Fr. Augustinus Neerius.
Generalis.

N°. 247. 30 Julii 1635.

Dominus Franciscus de Moncada, vicecomes d'Aytona et militibus Regiis praefectus, in Majestatis Hispanae protectionem suscipit conventum et conventuales S. Agathae, domesticos, juvenes ibi causa studii commorantes, nec non res mobiles et immobiles dicti conventus. In cujus fidem arma Regis portis et muris affigere possunt.

(Apographum authen. in tabulario conventus S. Agathae).

Fait a Stevenswert.

N°. 248. 19 Aug. 1635.

Ferdinandus Hispaniae infans, gubernator Belgii, conventum S. Agathae suscipit in suam protectionem, sex mensium spatio.

(Apographum authen. in tabulario conventus S. Agathae).

Faict a Goch soubs nostre nom et cachet secret de sa Majesté.

N°. 249. 25 Sept. 1635.

Ferdinandus, qui supra, eamdem protectionem conventui S. Agathae promittit.

(Apographum authen. in tabulario conventus S. Agathae).

Faict a Bruxelles.

N°. 250. 15 Martii 1638.

Georgius Wilhelmus, Marchio Brandenburgensis, comes Marchiae etc. confert pastoratum in Gennep cum omnibus juribus Henrico Wolteri Priori S. Agathae.

(Apographum authen. in tabulario conventus S. Agathae).

Geben Embrich, den 15 Martii 1638.

N°. 251. 8 Junii 1639.

Franciscus van Gestel, Episcopatus Buscoducensis Archidiaconus, approbat collationem beneficii in capella B. M. V. de Uden, a collatrice, matrona Catharina, filia quondam Joannis a Ravenstein, factam Rumoldo Cuypers (mortuo rectore hujus beneficii, R^mo Everardo a Ravenstein) ut illud per se vel per alium administrare possit (a).

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

N°. 252. 19 Julii 1639.

Acta visitationis conventus Ruraemundensis

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Visitator Fr. Augustinus Neaerius, Magister Generalis.

Et ut res domestica, quae ad statum declivem jam devoluta est, relevari possit, judicamus necessario procuratorem, de consilio P. P. seniorum idoneum, eligendum esse, qui negocium suscipiens, fructuose perficere et redintegrare et quantum Deus donaverit, augere possit.

Mandamus etiam P. Procuratori, quatenus singulis quindenis coram R. P. Priore, et interesse habentibus, suas computationes faciat, omnia communicet, ac de eorum consilio agat, et disponat quae agenda et disponenda fuerint, nec quidquam saltem notabile, sine praefatorum scitu, consilio et consensu agere praesumat, sub poena privationis officii aut poenae arbitrariae.

Mandamus P. Priori, et in ejus absentia P. Suppriori, ne de facili permittat discursus fratrum per civitatem sine gravi necessitate.

(a) Hoc beneficium fundatum est in capella, cui inserviunt Fr. Cruciferi Udenses.

Ad prandia quoque per civitatem fratres ire non permittantur sine gravi occasione, nunquam ad coenam, multo minus ad convivia nuptialia et similia, quae omnino prohibemus, sicut et compotationes forinsecas.

Ut in incessu quoque uniformitas servetur, fratres incedent cum cappa ordinaria, et etiam itinerantes caputium non deponent.

Verum quia nullo statutorum tenore conceditur, quod fratres laici cum nigra tunica caputium et scapulare Patrum sacerdotum gerant, nullumque a nobis desuper hactenus habitum fuerit consilium aut consensus, hinc dictum caputium et scapulare ab ipsis deponi volumus.

Quia vero fratres laici in nigra tunica ab Augustinianis non discernuntur, et per milites quidam inquietati fuerint hac ratione, ne deinceps ordo noster cum dictis Augustinianis confundatur in habitu, permittimus dictis Fratribus laicis itinerantibus praedictum scapulare gerere in via, sic tamen quod tenor statutorum servetur, scilicet ut sint retro rotunda, et ante acuta, ut a Patrum sacerdotum vestibus discernantur.

Similiter Pater Cellarius studebit sine murmure servire fratribus suis, et abstinebit a subitaneis motibus, verbis iracundis et indiscretis animositatibus, ac sataget cum omni diligentia res sibi commissas servare et utensilia nitida ad usum mensae et fratrum semper habere, et providebit, quod fratres suis horis et temporibus ordinaria sua parata habeant. Super quo monemus etiam fratrem coquum, ut ita rem suam peragat, ut officio divino peracto, fratres mensae necessaria non expectent, sed ita parata inveniant, ut citius ad laudes divinas revertantur.

Inhibemus etiam Patri Cellario, ne fratribus, minus secularibus, propinare audeat sine scitu, et licentia P. Prioris aut praesidentis, idque sub poena arbitraria.

Similiter discursus inutiles per domum omnino interdicimus, nec extra claustrum fratres exibunt, nisi diebus licentiae et horis

constitutis et concessis per superiorem, in quibus fratres colloqui, et se recreare poterunt, stricte aliis horis et in locis disciplinae silentium servantes.

Ne quoque votum castitatis infringendi causa ministretur, feminas a conventus introitu, maxime claustri arceri volumus, sicut a locis disciplimae et nimia familiaritate.

N°. 253. 19 Aprilis 1640.

Acta capituli utriusque Rhenanae et Mosanae Provinciae Coloniae Agrippinae habiti.

(Apographa tria in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

In nomine Domini. Amen.

Ad notitiam veritatis, quae in congregatione utriusque Rhenanae et Mosanae Provinciae, sub 19 Aprilis, pro reformatione regularis observantiae, juxta decreta nuperi capituli generalis, inter Vicarios et Priores Comprovinciales Coloniae proposita, et communi calculo constitutionibus conformia visa fuerunt, in sequentes articulos digessimus et subscripsimus.

Meminerint P. Priores, ut in usu lanearum camisiarum declaratio generalis capituli anni 1537 (*a*) stricte sine excusatione observetur, qua disponitur, ut nulli sine evidenti necessitate et licentia Rdissimi Patris Generalis aut visitatorum lineae camisiae subministrentur.

In civitatibus, ubi conventus habuerimus, sine pleno habitu non exeatur.

Pro decore quoque silentii monemus Patres Priores, ne ultra horam ordinarie in dies licentia loquendi fratribus indulgeatur, semel quoque tantum in hebdomeda juxta P. Prioris discretionem, licentia ludendi in hebdomada.

(*a*) Conf. supra, pag. 25.

Quoniam vero in studio juxta statuta assidui esse jubemur, ut ad ea juventutem nostram religiosam melius aliquando praeparatam haberemus, duo loca communia illi deputamus, ac quidem conventum Dusseldorpensem pro studio philosophico. In studii hujus lectorem et regentem instituimus V. P. Joannem Spyck, in nomine etc. Pro studio quoque theologico in universitate Coloniensi confirmamus conventum nostrum ibidem.

Impensas vero studii, quia unius corporis membra sumus et mutuis indigemus auxiliis, communiter portandas censemus: pro unoquoque igitur studioso una cum lectore, ad viginti imperiales censo, requiritur summa 420 imperialium.

Ad hanc summam levandam, juxta triplicem conventuum divisionem, in tres tertias censi, contribuent primae classis conventus, Coloniensis, Agathensis, Dusseldorpensis, Altinemoris, Bentlacensis, Mariae Pacis, singuli 31 $^{1}/_{2}$ imperiales.

2ae Classis, in duas tertias censi, conventus Venlonensis, Ruraemundensis, Wickradiensis, Nigrae Paludis, Pontis Coeli, Glintfeld, Erenstein, Embricensis, Sylvaeducensis, singuli 20 imperiales et tres quartas.

3ae Classis, in unam tertiam censi, conventus contribuent, scilicet Domus Lapideae, Dulckensis, Montis Orientis, Duisburgensis, singuli 10 $^{1}/_{2}$ imperiales. S. Helenae pro tempore vacat.

Ex supra dictis conventibus contingens suum conventui Coloniensi solvent, conventus Dusseldorpensis, S. Agathae, Mariae Pacis, Pontis Coeli, Glindtfelt, Nigrae Paludis, Domus Lapideae.

Conventui Dusseldorpensi assignantur conventus Coloniensis, Altinemoris, Bentlacensis, Venlonensis, Ruraemundensis, Wickradt, Erenstein, Embricensis, Sylvaeducensis, Montis Orientis, Duisburgensis, Dulckensis.

Utrumque studium inchoetur circa principium Junii proxime, et solutio dimidiatim per simestrem probe fiat, sub poena dupli, proxima congregatione in tergiversantes decernenda: studiosi etiam ex studio a Prioribus suis non revocentur sine scitu et

consensu Vicarii suae Provinciae. Et ut bona fama ac fructus sacro ordini per studia accrescant, quo studia nostra tendere debent, mandamus Patribus Prioribus, ut fratres ad conciones publicas vel privatas serio applicentur, et ferventer exerceri curent.

Fratres nostri pastores ecclesiarum incorporatarum secundum intentionem incorporationis, recepti et expensi conventibus suis rationes reddant, quoties requisiti fuerint, ne domus incorporationis debita sibi utilitate priventur, alioquin subrogato ad deservituram alio, ipsi ad conventus revocentur, nec praesumant sine speciali licentia extra parochiam pernoctare, nec intrent vel exeant conventus sine scitu Prioris vel illius vicem agentis.

Fratrem Herck sacerdotem Coloniensem in studium reformationis domus Maseikensis destinamus.

N°. 254. 9 Junii 1641.

Fredericus Henricus Auriacus princeps conventum S. Agathae cum omnibus bonis recipit in suam protectionem, ita ut possint conventuales et eorum villici et famuli libere ibi habitare, agrosque pacifice incolere, monetque omnes, ne illos molestia vel injuria afficiant (a).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 255. 16 Sept. 1643.

Magister Generalis Fr. Provinciali Henrico Walteri committit, ut scholis Venlonensibus idoneos praeceptores praeponat.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Fr. Augustinus Neerius Ordinis S. Crucis, conventus Huensis Prior, ac totius S. Ordinis, Dei providentia, Magister Genera-

(a) Ejusmodi salvus-conductus ab eodem principe datus est die 8 Junii, nescio quare duo intra duos dies.

lis, R^do^ admodum Patri, P. Henrico Walteri, conventus nostri S. Agathae Priori, ac Provinciae Mosanae Provinciali, salutem in Domino sempiternam, cum infrascriptorum notitia.

Quamvis curam Mosanae Provinciae Reverentiae vestrae cum decreto capituli generalis commiserimus, ut nostro nomine ibidem, quae sunt agenda agas, quem admodum et fecisti huc usque ad nostrum beneplacitum, non parcens tibi ipsi, ut ordini bene sit, pro quo mercedem a Deo indubitatam sperabis aeternam. Verum cum V^lis^ Prior Venlonensis conventui suo, ac honori ordinis optime consultum volens, gymnasiumque ordinis ibidem non nihil injuria bellorum aliisque temporum incommodis, a primo flore deficiens, serio restitutum volens, ad nos venerit, petens a nobis bonam suam intentionem promoveri, illius honestae petitioni pro amore studiorum annuimus. Quapropter R^dae^ vestrae paternitati mandamus ex commissione speciali et paterne requirimus, ut personas idoneas, etiam si necesse foret, ex Renanis Provinciis, cum scitu tamen vicariorum, ad hoc destines, quibuscumque excusationibus non admissis; communia enim privatis anteferenda sunt, maxime in quibus honor situs est ordinis, aliosque in locum evocatorum, ubi necesse fuerit, immittas. Patrem de Vreese scholarum praefectum cum plena authoritate in magistros circa scholarum disciplinam et moderationem constituas, Patrem Voelmerhousen ad alium conventum per obedientiam emittas, et si videbitur expedire, ad Altinemoris vel Wicradiensis, aliumque bonum concionatorem, si quem habes vel habere possis, substituas ad sublevamen Prioris loci et populi Venlonensis aedificationem. De Fratre Gregorio similiter disponas. Insuper novitium Venlonae susceptum, an satis in litteris instructus, ordini et conventui praedicto proficuus futurus, examines et cum consilio V^lis^ Patris Prioris loci illius disponas. Demum singula agas authoritate nostra plenaria, quae agenda videris expedire, quod tuae fidei, prudentiae et discretioni committimus. Quem diu bene valere optamus. Datum

in monasterio nostro primario Huensi, anno Domini xvi^c quadragesimo tertio, mensis 7bis die decima sexta.

Fr. Augustinus Neaerius,
Generalis.

No. 256. 1 Sept. 1644.

Acta capituli Provinciae Rhenanae et Mosanae Coloniae habiti.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Nos infrascripti Rhenanae et Mosanae Provinciarum Vicarii, arbitrati domos nobis commissas ex bellorum injuria et inde impeditis aut non satis efficacibus visitationibus, in religionis disciplina variis in [rebus] languescere et in temporalibus accidi: hinc utrique incommodo cum consilio, quantum in nobis est, intime cupientes et volentes progressum, capitulum provinciale utriusque provinciae anno superiore propter pericula intermissum, Coloniam in primum diem Septembris, conscripsimus et in eo sequentes articulos pro disciplina religionis, rei temporalis conservatione, aliaque necessaria domorum [et] scholarum provisione concepimus et conclusimus.

Novitii nostri ante professionem per octiduum in exercitio spirituali sequestrentur.

Clericalis et laicalis habitus antiqua distinctio et simplicitas teneatur; unde donatis non dentur scapularia aut caputia clericorum.

De studiis philosophico et Coloniae de theologico ad ordinis utilitatem et splendorem tractabunt R. P. utriusque provinciae Vicarii. Monemus vero R. P. Priores, ne juvenes ad ordinem suscipiant, qui cum zelo religionis animam ad studia et decentem qualificationem non habeant.

R^dum P. Aegidium de Vresen deputamus in commissarium sollicitationibus pro recuperando conventu nostro Montis Orien-

tis et aliis, quoad tempus permiserit, assignando ei pro residentia ordinaria et alimentatione, dum residet, conventum Bentlacensem.

Fr. Joannes Fabeus et Godefridus Hilden clerici conventus Coloniensis stabunt in conventu Venlonensi ad opus scholae; Fr. Joannes Schmitz clericus conventus Coloniensis stabit in conventu Maseikensi ad opus scholae.

R. P. Priores Dusseldorpensis et Domus Lapideae visitabunt conventum S. Helenae.

N°. 257. 1 Sept. 1646.

Catalogus Priorum Provinciarum Rhenanae et Mosanae, qui Coloniae Agrippinae in capitulo congregati erant.

(P. Aeg. de Vreese, Aegis Aegidio-Vresana, pag. 179—198) (*a*).

A^dm R. P. D. Henricus Gualtherius a Verheiden, conventus S. Agathae ad Mosam in territorio Cuickensi fundati anno 1371, Prior ac restaurator, studiosae juventutis moderator, ad tractum Mosae Provincialis.

A^dm R. P. D. Clamor Avercamp, conventus Ordinis S. Crucis Coloniae Agrippinae fundati 1307, Prior et ad tractum Rheni Provincialis.

A^dm. R P. D. Leonardus a Ruwel d. Ingen-huis, conventus D. Nicolai apud Venlonenses fundati anno 1399, Prior Ordinis Definitor, gymnasii S. Crucis moderator.

(*a*) Codici Diplomatico inserendum putavi hunc catalogum, quia historiae ordinis aliquantum lucis afferet. Versus tamen, quos P. de Vreese singulo Patri cecinit, non refert denuo in lucem dare, qui praeterquam in *Aegide*, etiam seorsum typis Henrici Krafft, Coloniae sub hoc titulo editi sunt: *Corona religiosae congregationis S. ac Canonici Ordinis Salvificae Crucis ex Rhenanae ac Mosanae Provinciarum P. P. Praelatis, Prioribus, ac Fratribus Coloniae Agrippinae coadunatis, tanquam vivis margaritis et floribus contexta. Anno salutis* MDCXLVI, *mense Septembri.* 4°, 16 pag. B. 19.

A[dm] R. P. D. Gerhardus a Leudt, Pomoerii B. M. V. in honorem S. Crucis Embricae plantati anno 1483, Prior ac Ordinis Definitor.

A[dm] R. P. F. Adolphus Offerhausen, conventus P. P. Cruciferorum Dusseldorpensis fundati 1438, Prior Provinciae Visitator.

R. P. F. Everhardus Brunhart, conventus Vallis B. M. V. in Glintfelt, in Angaria prope Medenbach, fundati 1501, Prior, Decanus Christianitatis ibidem.

R. P. F. Henricus Anthonii, Domus S. Gertrudis in Bentlagen diaec. Monast., prope Rheinam ad Amasin fundatae 1437, Prior.

R. P. F. Andreas Bolsterus, conventus B. Mariae Pacis, Ducatus Cliviae prope Wesaliam diaeces. Monaster., fundati anno 1435, Prior.

R. P. F. Henricus Holthausen, conventus Montis S. S. Valentini et Helenae ad Hospitale prope Treviros fundati 1488, Prior.

R. P. F. Cornelius Rutten, Domus Lapideae, primae in Germania Ordinis S. Crucis, Ducatus Montensis prope Lennep, fundatae 1298, Prior ac Pastor.

R. P. F. Tilmannus Greven, conventus Vallis B. M. V. in Ehrnstein, diaeces. Coloniensis prope Alden-Wiedt, fundati anno 1487, Prior ac Pastor.

R. P. F. Antonius Offerhausen, Domus Vallis S. Petri Duisburgi Cliviae, fundatae 1499, Prior.

(Conventus Montis Orientis in comitatu Tecklenburg diaecesis Osnabrugensis fundatus 1422. Magnis vicissitudinibus et calamitatibus a saeculo et amplius pressus, ante annos aliquot haereticis favore Imperatoris et Principis Episcopi Osnabrugensis opera ereptus, nuper denuo a Suecis praereptus.

Vallis S. Anthonii in Hoenscheidt in comitatu Waldeck, diaecesis Mogunt., fundata 1468, ejusdem sortis cum praecedenti).

R. P. F. Paulus Gielenus, conventus Altinemoris in Hombosch, Ducatus Juliae prope Erckliniam fundati anno 1302, Prior.

R. P. F. Waltherus Deckerius, conventus Nigrae Paludis in Schwarzenbruch prope Marcodurum in honorem D. Matthiae Apost., ipso jubente miraculose fundati per Dynastam Merodianum 1340, Prior.

R. P. F. Martinus Effers, conventus Wickradiensis Ducatus Juliacensis fundati 1490, Prior ac Pastor ibidem.

R. P. F. Antonius ab Oel, conventus S. Cornelii Ruraemundae fundati 1422, Prior.

R. P. F. Wilhelmus Beeckius, conventus Pontis Coeli in Bruggen, Ducatus Juliae, fundati 1484, Prior ac Pastor.

R. P. F. Joannes Arsen, conventus Sylvaeducensis fundati 1468, Prior exul, cum suis in Oeion (*a*) Dominii Ravenstein degens.

R. P. F. Johannes Spyckius, conventus Dulckensis, Ducatus Juliacensis, fundati 1480, Prior (*b*).

R. P. F. Gerhardus Goltzius, conventus D. Jacobi Maseicae, fundati 1476, huic Provinciae nuper juncti, Prior, gymnasii moderator.

R. P. F. Paulus Sibenius, Novae Plantationis in Weghberg, Ducatus Juliae, in confinio Geldriae Rector, Pastor ibidem.

N°. 258. 27 Febr. 1647.

Magister Generalis confirmat electionem Fr. Gerardi Goldt in Priorem conventus S. Agathae.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Universis ac singulis praesentes visuris, lecturis, seu legi

(*a*) *Oeion*, lege *Uden.*

(*b*) Exemplari, quo usus sum, adscriptum est: *Dein Prior B. Mariae Pacis, S. Theol. lector.*

audituris, Fr. Augustinus Neerius, ordinis Stae Crucis conventus Huensis, Leodiensis dioecesis, Prior, nec non et totius S. Ordinis Dei providentia Magister Generalis, Salutem in Domino sempiternam.

Cum destituta nuper domus nostra in Sta Agatha per obitum R^{di} Patris Henrici Waltheri, quondam ibidem Prioris ac Provincialis, suo Priore, Rectore atque administratore, successore egeret, nobisque clare constet; venerabilem Patrem P. Gerardum Goldt dicti conventus sacerdotem religiosum professum per legitimam electionem fuisse a majori parte eligentium postulatum, nos pro ratione officii nostri volentes pro majori bono concurrere, eundem Patrem Gerardum ab officio Prioratus Maesekensis absolvimus, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. Atque in Priorem conventus Sanctae Agathae rite et legitime servatisque servandis in electione canonica, postulatum, confirmamus et nostra authoritate corroboramus praesentium vigore. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. Committentes eidem curam in gubernationem atque administrationem rerum, bonorumque ante dictae domus Sanctae Agathae, mobilium pariter et immobilium, tam in temporalibus, quam spiritualibus, easdem res seu bona memorati conventus omnia et singula libere, ut apprehendat, levet et exigat: debita, si quae sint, solvat, diruta reparet, et instauret, oppignorata, alienata, ac quoquo modo perdita, recuperet, redimat, atque viriliter agat pro eorundem recuperatione, etiam jurisdictionem, si opus fuerit, dantes; praeterea eidem Patri Gerardo authoritatem puniendi, corrigendi et instituendi fratres religiose in observantia regularis disciplinae, in Dei timore et amore et secundum regulam et statuta Ordinis Stae Crucis, praecipientes similiter omnibus et singulis patribus et fratribus dicti conventus, praesentibus et futuris in virtute Stae Obedientiae, quatenus praedicto Patri Gerardo, rite electo et sic per nos confirmato in omnibus obediant, et pareant juxta tenorem

statutorum, illique reverentiam et honorem debitum exhibeant tanquam vero et legitimo suo Priori. In quorum omnium vim et robur praesentes manu propria subsignavimus, ac sigillo nostro communiri fecimus. Datum in conventu nostro primario Clari Loci prope Huyum. Anno Domini xvi[c] quadragesimo septimo, mensis Februarii die vigesima septima.

Fr. Augustinus Neaerius,
Generalis.

N°. 259. Julii 1647.

Salvus conductus a Guilielmo principe Auriaco datus conventui S. Agathae.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 260. 14 Oct. 1647.

Testimonium scabinorum civitatis Noviomagensis, quod conventus S. Agathae habeat salvum conductum (sauvegarde) a principe Auriaco, datum Jacobo van Ravestein, monasterii procuratori, iter facturo Silvamducis, in Hollandiam et alio.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 261. 1648—1654.

Acta duorum capitulorum generalium, praeside Petro Blavier, Magistro Generali.

(Acta anni 1648).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec sunt definita et ordinata per nos Fratres Petrum Blavier, Generalem; Clamorem Avercamp, Coloniensis; Adolphum Offerhausen, Dusseldorpiensis; Andream Bolsterum, B. M. Pacis,

Reinerum Badsoni, Leodiensis conventuum Priores, Diffinitores capituli generalis a° 1648, 10 mensis Maii et duobus diebus immediate sequentibus, in primaria Sacri Ordinis S. Crucis domo apud Hoyum celebrati.

Imprimis in praecedenti capitulo approbata confirmamus.

Correctionem Breviarii nostri ad formam Romani P. P. Diffinitores discretis Patribus committent, pluriumque praeterea judiciis examinatum futuro capitulo generali praesentabunt, ut deinceps approbatum a sede apostolica praelo mandetur.

Resignent omnes in commune, si quas habent, pensiones aut alia quaecumque undelibet venientia, sub poena suspensionis a divinis aliisque statutariis poenis.

Novitiatus et studii communis loca in provinciis pro conformi novitiorum instructione, tam in disciplina quam scientia, habeantur. Pro novitiatu deputamus primarium conventum Hoyensem, in Provinciis Germaniae Embricensem, aliumque, si necessarium fuerit, designandum.

Pro studiis in Provincia Rhenana Coloniensi et Dulseldorpensi.

Novitios nulli suscipiant, nisi in domo probationis aut alia disciplinata, ad dispositionem Suppriorum per continuum annum alere possunt, nec ad professionem admittantur, nisi ibidem approbentur.

Pastores singulis annis ad minimum semel sistant se suis Prioribus cum rerum suarum rationibus, nec deinceps ad pastoratum ullus dimittatur, nisi ex obligatione juris naturalis sufficienter probati, aut alia gravi ex causa in jure fundata, per R^mum P. mature examinanda et admittenda.

Ad evitandas in futuris electionibus Magistri Generalis dissensiones, notificamus coram nobis productam esse in pergameno copiam concordiae inter conventum Hoyensem et Diffinitores, initam A° 1659 (*a*), 24 Aprilis, utrorumque manibus subscriptam,

(*a*) Legendum puto 1538. Conf. consultatio de hac re pag. 30.

qua disponitur, penes Suppriorem Hoyensem esse, obitum P. Generalis Patribus quantocius secundum statuta intimare [et] a Diffinitoribus quoque capituli posterioris, juxta formam a Suppriore accipiendam, Diffinitores antiquos citandos esse. Cum vero in controversiam adductum fuerit, an Fratres Huii professi, in aliis vero conventibus vocem habentes, ad electionem Generalis admittendi, de eo perrequisitis hinc inde Doctorum judiciis, desuper in futuro capitulo poterit determinari.

R^mus^ Pr. visitabit vel per se vel per alium totum ordinem et continuamus P. Priorem Coloniensem in Provincialem Rhenanum et substituimus in locum Prioris S. Agathae jam defuncti, P. Priorem Dusseldorpensem in Provincialem Mosanae Provinciae, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Et quia de pecunia Falckenhagensi multum diuque in ordine fuit disceptatum: hinc P. P. Diffinitores hujus et praecedentis capituli cum R^mo^ Patre nostro Generali pacem, charitatem in S. Ordine temporalibus rebus judicantes praeferendam, de summa quinque millium quadringentorum florenorum Leodiensis monetae, sive mille ducentorum septuaginta imperialium et quinque plus minus solidorum capitalis ita convenerunt et determinarunt, ut ad sublevamen pontificalium aliorumque aliquot annorum pensiones cedant, ipsa vero praetacta summa ad perpetuum usum studiorum pro medietate, quae facit sexcentos triginta quinque imperiales duos cum medio solidos, Provinciis Germaniae cedant, quam nunc vigore hujus ipsos recepisse et ad reddendas de annua pensione in capitulis generalibus rationes, obligatos esse testatum facimus et decernimus, aliam medietatem conventus Huyensis cum simili obligatione et fine retinebit.

Quandoquidem experientia didicimus provisionem sororii Venradiensis, conventui Agathensi cohaerentem, Sacro Ordini gravem esse, hinc eandem ad manus ordinarii remittimus.

Mandamus R^do^ P. Pastori in Weckbergh, ut quoad fieri poterit, arbitris R. P. P. Diffinitoribus Coloniensi et Dusseldor-

pensi, processum cum generosa Domicella de Nesselraedt et haeredibus ejus amicabiliter componat et erectionem conventus maturet.

Licentiam P. Joannis Volmerhausen ad serviendum militibus revocamus et continuamus in conventu Venlonensi.

Nomina defunctorum.

R[mus] P. Augustinus Neerius, Generalis Magister Ordinis Sanctae Crucis.

A[dm] R. P. Henricus Waltheri, Provincialis et Prior Sanctae Agathae.

A[dm] R. P. Paulus Reineri, quondam Provincialis et Prior.

A[dm] R. P. Ludovicus Carpenterius, Definitor et Prior Leodiensis.

R. P. Petrus Streel, Prior Namurcensis.

R. P. Martinus Pauli, Prior Trajectensis.

R. P. Martinus Effertz, Prior Wickradiensis.

R. P. Daniel Waliancx, quondam Prior Ruraemundensis.

R. P. Carolus Geftier, Prior Alnetensis.

R. P. Jacobus Le Ricke, Prior Alnetensis.

(Acta anni 1652).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec sunt definita et ordinata per nos Fratres Petrum Blavier, Generalem; Nicolaum de Hannef, Tornacensis; Gerhardum a Lendt, Embricensis; Augustinum Jamaer, Dionantensis; Wilhelmum Beeck, Pontis Coeli conventuum Priores, Definitores capituli generalis A°. 1652, 28 Aprilis et duobus diebus immediate sequentibus, in primaria Sacri Ordinis S. Crucis domo apud Hoyum celebrati.

Praeterea ordinamus, ut communibus ordinis expensis statuta, quam cito fieri poterit, imprimantur et S. Ordinis privilegia renoventur.

Breviarium, a Patre Jordano de Raedt Embricensi ad normam Romani formatum, examinandum committimus P. P. Prioribus Bruggensi, Dulkensi, Wycradiensi, ita ut medio post anno cum suis censuris idem R^mo^ Patri transmittant, examinandum a P. P. Prioribus Dionantensi et Namurcensi.

Et quia passim intelligimus secreta capituli et infirmitates conventuum revelari, similiterque superiorum suorum mores et actiones ab aliquibus nimis temerarie censurari, quibus etiam rebelles se praestant, volumus tales poenis statutariis irremissibiliter subjici, et ad judices saeculares et extraneos recurrentes, gravissimis poenis, utpote carceris et censurae, coerceri.

Receptionem novitiorum juxta statuta volumus fieri et ubique in laneis probari, convivia sumptuosa in ipsorum investitionibus, professionibus et primitiis interdicimus, declaramusque Fratres debere esse contentos pitantia honesta in prandio et coena. Recreationes vero illae ultra diem unum non prolongabuntur, nisi superior altera die ex causis rationabilibus aliquid gratiae fratribus et amicis in prandio judicaverit impertiendum, quas quidem recreationes volumus in refectorio inter paucissimos amicos fieri.

Studium theologicum in conventu Coloniensi instituimus, cujus modum et formam R. R. P. P. Definitoribus Embricensi et Pontis Coeli committimus; et quidquid cum R. Patre Priore Coloniensi statuendum duxerint, inviolabiliter observandum volumus, denominantes in Patrem Lectorem, Patrem Wilhelmum Xneumont, cui locum immediate post Suppriorem ordinamus, sicut et caeteris lectoribus theologiae, qui annis quatuor theologiam laudabiliter professi fuerint, quo quidem privilegio solum gaudebunt eo tempore quo docent.

Studium vero philosophicum in conventu Ruraemundensi in-

stituimus et in lectorem deputamus Fatrem Joannem Beitelium taxamusque pro quolibet studioso triginta imperiales.

Contributiones singulis annis a quocumque conventu volumus solvi juxta taxam anni 1618 a R^{mo} Generali Hasio et Definitoribus pactam, cujus taxae solutio infra trimestre fiet ad manus Provincialium in suis provinciis et Prioris Namurcensis a conventibus primario adjacentibus; si quae autem circa praedictam taxam mutanda fuerint, in proxima congregatione P. P. Definitorum determinabuntur.

Congregationem vero P. P. Definitorum singulis annis resumendam duximus ipsa Dominica *cantate*, conformiter ad ordinationem factam in capitulo generali A° 1634, exinde praesertim quod plurimae difficultates intermedio tempore oriantur, quae in capitulum generale differri, vel illud expectare non possunt.

Reverendissimus Pater hoc anno visitabit totum ordinem.

In Provinciales Rhenanae et Mosanae Provinciarum R R. P. P. Clamorem Avercamp, Coloniensis et Adolphum Offerhausen, Dusseldorpensis conventuum Priores sine praejudicio perpetuitatis continuamus.

Nomina defunctorum.

A^{dm} R^{dus} P. Anthonius Texerius, Prior Parisiensis et Provincialis Franciae ac quondam Prior Cadomensis.

R. P. Jacobus Ragenau, Prior Parisiensis ac quondam Viridariensis et Provincialis ac Prior Calniacensis.

R. P. Gabriel Tanget, quondam Prior Calniacensis ac Supprior Parisiensis.

R. P. Ludovicus de le Haye, Prior Calniacensis.

R. P. Joannes Veihart, Procurator Parisiensis.

R. P. Nicolaus Turet, Cadomensis, Prior S. Gregorii in Britannia.

R. P. Gedeon Bourne, conventus Viridariensis ac quondam Prior Varennensis.

R. P. Petrus Gloron, conventus Cadomensis quondam Procurator ac Prior Sancti Ursini.

R. P. Laurentius Desceubleau, dictus de Haurdis, Parisiensis, [conventus] S. Crucis de Lania ad Nemus prope Tecas.

R. P. Guilhelmus Calair, conventus Cadomensis Procurator Viridariensis.

R. P. Servatius Dans, Prior Vertonensis.

R. P. Aegidius de Vriese, Prior Montis Orientis.

R. P. Melchior du Chesne, Supprior Dionantensis.

R. P. Jacobus Dardaeus, sacerdos Huyensis.

N°. 262. 7 Junii 1648.

Guilielmus II, princeps Auriacus, fisco suo destinat omnes conventus S. Agathae possessiones.

(Apographum auth. ex idiomate Belgio translatum in tabulario conventus S. Agathae).

Guillaume par la grace de Dieu Prince d'Orange.

Savoir faisons, parce que suivant le traité de la paix conclu le 30 Janvier dernierement passé entre le Roi d'Espagne et cet estat, a nous sont devolus le cloistre et maison de Dieu de Ste Agathe [en] nostre pays de Cuyck, comm' aussi le cloistre de Mariegraff dans nostre ville de Grave; item les cures et autres biens et benefices ecclesiastiques situés et fondés dans nostre ville de Grave et pays de Cuyck avec tous les revenus et biens y appartenans par tout ou ils sont situés. Nous commandons et authorisons en vertu d'icelle nostre Receveur de domaines et bien ecclesiastiques de la ville de Grave et pays de Cuyck Cornele Verbolt de demander aus Chanoines et Possesseurs d'iceus tous les certifications, fondations et titres, aveo leurs manuels, contes et autres muniments, rien excepté et consequemment d'apprehender ces biens et qui en dependent, ou

qui les doivent suivre et d'en prendre legitime possession. Estant tenu lui receveur a telle fin d'exiger a tous les fermiers, censiers et autres, qui doivent aus susdicts cloistres, cures et autres ecclésiastiques, leur contracts de louage et quitances ou d'icelles copie authentique, nous faisant de tout pertinant rapport avec tradition de son verbal par escrit. Faict à la Haye le 7 Juin l'an mil six cents quarante et huict.

Et estait signé.

G. D'ORANGE.

N°. 263. 12 April. 1649.

Acta capituli Provinciae Rhenanae et Mosanae Dusseldorpi habiti.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

In nomine Domini. Amen.

Nos infrascripti utriusque Provinciae Rhenanae et Mosanae Provinciales et Priores, 12 Aprilis A° 1649 citati et convenientes Dusseldorpium, ob urgentissimas causas capitulum Provinciale celebrantes, pro notitia veritatis, quae ad conventuum utilitatem facere perspeximus, scripto mandare voluimus.

wendiger vorfallender occupationibus nicht verrichtet werden könte, dasz alsdan sie folgenden tags in der Woche selbige zu verrichten schuldig und gehalten seyn sollen, worfür und zu welchem ende gedachte juffraw de Grignet wollg. herrn Prioren und Conventualen die summam von 115 Rthlr. in speciebus einmahl baar erlegt und gut gemacht und darbeneben pro ornamentis unius altaris 25 dergl. Rthlr., welche gedachte herr Prior und Conventualen vorbemelten Klosters zu den Kreuzbroderen würklich bekanten empfangen zu haben, und hingegen angerechte 115 Rthlr. auff ein sicher und gewisses unterpfand in illum finem anzulegen und von den jährlichen Abkumpsten oder Renthen den Gottesdienste zu verrichten vastiglich versprochen haben. Alles ohne einigen bedrog, gefehrd und argelist, und dessen zu wahrer urkundt und stettiger Vasthaltung haben partheyen beider seites gegenwurdigen contract hierüber auffrichten und beschrieben lassen, und zu mehrer bekräfftigung mitt aigenen händen beneben des Klosters hierunden auffgetrukten gewonlichen siegell oder pittschafft underschrieben. Also geschehen binnen Aach auff Tag und datum wie oben stehet in gegenwart und beysehins der ehrsamer und frommer Matheiszen Hermans und Thomaszen Horts, als hierzu beruffenen absonderlich glaubhaftigen gezeugen.

Fr. Paschasius de Collon,
Prior.

Fr. Adolphus Petri.

Fr. Mathias de Prealle.

In quorum praemissorum fidem ac testimonium

Caspar Beckers,
Nots. sub.

N°. 272. 1660.

Constitutiones Sacri et Canonici Ordinis S. Crucis auctae.

(Typis Petri Metternich Coloniae Agrippinae editae in 4°, pagg. 120 (a).

CONSTITUTIONUM CANONICI ORDINIS SANCTAE CRUCIS

Prologus.

1. *Lectio* 1. Quoniam ex praecepto Regulae jubemur habere cor unum et animam unam in Domino, justum est, ut qui sub una Regula et unius professionis voto vivimus, uniformes in observantiis canonicae Religionis inveniamur; quatenus unitatem, quae interius servanda est in cordibus, foveat et repraesentet uniformitas, exterius servata in moribus. Quod profecto competentius et plenius poterit observari, si ea, quae agenda sunt scripto fuerint commendata: si omnibus, qualiter vivendum sit scriptura teste innotescat: si mutare quidquam nulli propria voluntate liceat, ne si minima negligimus, paulatim defluamus.

2. *Lectio* 2. Ad haec tamen in conventu suo praelatus cum fratribus suis dispensandi habeat potestatem, cum sibi aliquando viderit expedire. Priores utantur dispensatione sicut et alii fratres.

3. Ut igitur unitati et paci totius Ordinis provideamus, volumus ac declaramus, quod constitutiones nostrae non obligent nos ad culpam, sed ad poenam; nisi propter praeceptum vel contemptum.

(a) In prolegomenis hujus editionis occurrunt S. Augustini regula, Fr. Nic. de Hanneffe epistola dedicatoria ad Patres et Fratres Ordinis et approbationes Fr. Jac. Vianden, Ord. Praed. S. Theol. Prof. Coloniae, Theod. Elmpt S. S. Theol. Prof. in univ. Colon., Fr. Nic. Hanstadt Ord. Praed. Prof. in eadem univers., Adr. de Walenburch librorum censoris Coloniae: in hisce tamen nihil notatu dignum invenio.

4. *Lectio* 3. Et ut multitudo constitutionum vitetur, prohibemus, ne de caetero quid statuatur, nisi per duo capitula fuerit approbatum, et tunc in tertio immediate sequente capitulo poterit confirmari vel deleri per Priorem Huyensem et per Definitores in capitulo Huyensi.

5. Interpretationes autem regulae et constitutionum, factae a capitulo generali, non habeant vim constitutionis, nisi per tria capitula generalia continua approbentur.

6. Librum autem istum, quem librum constitutionum appellamus, diligenter conscripsimus, in quo duas distinctiones annotavimus.

DISTINCTIONIS I

DISTINCTIONIS II

DISTINCTIO I.

CAPUT PRIMUM.

De officio Ecclesiae.

1. *Lectio* 1. Matutinas et Missam et omnes Horas simul audiant fratres nostri; nisi cum aliquibus Praelatus dispensare in ecclesia voluerit (*a*).

2. Horae omnes tractim et cum devotione dicantur, ita ut in medio versus metrum cum pausa servetur, protrahendo vocem in pausa et in fine versus. Hoc tamen magis et minus servetur pro tempore (*b*).

3. *Lectio* 2. Tempore, quo bis reficiuntur fratres, legatur lectio ante completorium in capitulo, qua absoluta intrent fratres sub silentio chorum et facta confessione dictoque completorio, det, qui praeest, Benedictionem et Hebdomadarius aspergat aquam benedictam. Postea dicatur: *Pater noster* etc. *Credo in Deum.* Quod etiam fieri debet ante Matutinas et ante Primam.

4. *Lectio* 3. Totum officium tam diurnum quam nocturnum confirmamus et volumus ab omnibus uniformiter observari, ita ut nulli liceat de caetero aliquid innovare. Omnes ecclesias nostras in honorem Sanctae Crucis volumus consecrari (*c*).

5. *Lectio* 4. Post completorium et ante Primam, animi recollectioni et piae meditationi, ad minus quadrantem horae, insistant omnes (*d*).

6. Pro divini cultus decore officians utatur superpelliceo et stola in completorio, quo finito diebus singulis pro ecclesiae

(*a*) Extra de celeb. Missae cap. 9.

(*b*) Distinct. 92. Cantantes. Clem. de celebr. Missae cap. gravi.

(*c*) Joannes 22 in Bulla distinct 12 cap. Placuit de conf. distinct. 5 cap. convenit.

(*d*) Clem. 8 cum ad regularem. — Def. anni 1614.

et Sacri Ordinis necessitatibus cantentur aut legantur Litaniae Beatae Mariae Virginis cum Collectis de Beata Virgine, Sancto Joseph et tertia ad libitum (*a*).

7. *Lectio* 5. Insuper quotidie post Sacrum flexis genibus devote cantetur: *Hoc est praeclarum vas* cum versu: *In omni tribulatione et angustia nostra*, et Collecta: *Clementissime Pater*, vel, *Interveniat pro nobis quaesumus Domine Jesu Christe etc.*

8. Horae B. Virginis Mariae devote legantur in Choro ante alias Horas, dempto Completorio, post quod legetur Completorium de Beata Virgine, exceptis diebus in Breviario expressis (*b*).

9. *Lectio* 6. Reverendissimus Pater Generalis faciet officium in summa Missa et omnibus Horis in festis Patronorum Ordinis et habentibus octavas solemnes. Sicut et tribus diebus ante Pascha in summis Missis. Priores vero reliqui in festis eisdem et totis duplicibus in foro celebribus, in reliquis totis duplicibus Suppriores, in caeteris Hebdomadarius. Quando autem Prior facit officium, seniores fratres Lectiones in Matutinis legant, et in summa Missa ministrent (*c*).

10. *Lectio* 7. In primitiis novi Sacerdotis ante Missae exordium devote invocetur gratia Spiritus Sancti per Antiphonam: *Veni Sancte etc.* cum versu: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur etc.* et Collecta: *Deus qui corda fidelium etc.* Conforment autem se omnes et singuli in Missarum celebrationibus Ordinario Romano (*d*).

11. De caetero nulli Priorum liceat conventus suos quovis modo obligare perpetuis Missis, aut aliis quibuscunque servitiis seu obligationibus intus vel extra, sine speciali licentia capituli generalis vel Reverendissimi Patris Generalis (*e*).

12. *Lectio.* 8. Fratres dimittendi ad Pastoratus, non nisi cognita prius et admissa causa a Reverendissimo Patre Gene-

(*a*) 1627. (*b*) 1424. (*c*) 1648. (*d*) 1488. (*e*) 1419.

rali et Definitoribus in capitulo generali, licentiam habeant (*a*). Qui vero ex ejusmodi licentia et legitima causa curatis beneficiis deserviunt, habitum Ordinis non dimittant (*b*) religiosaeque conversationis testimonium ac rerum suarum rationes Prioribus suis, quoties fuerint requisiti, reddant: secus data licentia ipso facto sint privati et ad conventus suos redire compellantur (*c*).

CAPUT SECUNDUM.

De Inclinationibus.

1. *Lectio* 1. Audito primo signo surgant fratres et praeparent se, ut cum tempus fuerit, ad ecclesiam venire non tardent. Cum autem in Chorum venerint, inclinent ante summum Altare aut genuflectant, si in eo Tebernaculum Ven. Sacramenti fuerit: et cum ad sedes suas venerint, facto signo a Praelato flexis genibus vel inclinati profunde pro tempore dicant: *Pater noster* et *Credo in Deum.* Iterum facto signo a Praelato surgant.

2. *Lectio* 2. Hora itaque devote incepta, versi ad Altare muniant se signo Crucis, et ad *Gloria Patri* etc. inclinet Chorus contra chorum profunde, vel prosternat se pro tempore, usque ad: *Sicut erat* etc. Postquam vero iterum ad *Gloria Patri* etc. post *venite exultemus* etc. inclinaverint, stet chorus contra chorum. Deinde ad primum psalmum sedeat unus chorus, et ad secundum similiter stet et alius sedeat et sic alternent usque ad *Laudate Dominum de Coelis* etc. Atque ita faciant ad omnes Horas.

3. *Lectio* 3. Inclinent omnes vel se prosternant, quoties *Pater Noster* et *Credo in Deum* etc. dicuntur; nisi in Missa et ante Lectiones, et in gratiarum actione: item ad primam collectam

(*a*) Trid. sess. 25 cap. 4 et 16 q i. c. Monach.

(*b*) Cap. 2 ne Clerici vel Monachi in 6.

(*c*) Decret. lib. 1, titulo XXXI de Offic. Iud. Ord. cap. quanto. — 1603, 1631.

in Missa et ad collectam post communionem et ad Orationem pro ecclesia et ad *Gloria Patri* etc. quoties in inchoatione Horae dicitur. Ad omnia autem alia *Gloria Patri* etc. ad extremos versus Hymnorum et ad penultimum versum cantici *Benedicite* etc. inclinamus usque ad genua: similiter quando cantatur: *Gloria in excelsis* etc. ad *Adoramus te* et *suscipe deprecationem nostram:* in benedictionibus etiam ante lectiones. In capitulo ad Orationem: *Sancta Maria* etc. ad nomen *Jesus, Sanguinis Christi*, et ad nomen Virginis *Mariae* devote inclinamus.

4. *Lectio* 4. Porro ad antiphonam *Veni Sancte Spiritus* usque *reple tuorum*, ad primum versum Hymni: *Veni creator Spiritus* et dum cantatur in *Credo* idque tractius et devotius: *Et Homo factus est*, item in Annunciatione Dominica in antiphona: *Haec est dies* ad *Deus homo factus est* et ad *Te ergo quaesumus* in Cantico *Te Deum* et in Hymno *Vexilla Regis prodeunt*, ad *O Crux ave spes unica*, prosternant se. In inchoatione quoque antiphonarum: *Salve Regina, Ave Regina* et *Regina Caeli*, chorus contra chorum flectat genua. Postea stent fratres erecti extra stallos suos, quemadmodum fit, dum cantatur *Magnificat, nunc dimittis* et *Benedictus*, stent autem fratres ad praedicta cantica et antiphonas post completorium detectis capitibus, sicut et in summo sacro et quoties Venerabile Sacramentum est expositum.

5. *Lectio* 5. Ferialibus quoque diebus jacemus prostrati a *Sanctus* usque ad *Agnus Dei*. In festis vero simplicibus et supra, ab elevatione Corporis Domini usque ad *Pater noster*.

6. In Quadragesima etiam a Sabbatho primae Dominicae in profestis Festorum semiduplicium et supra, fiant prostrationes ad Nonam usque ad Pascha, similiter tempore Paschali diebus ferialibus a *Sanctus* usque ad *Agnus Dei* flectant fratres genua, nisi de Sancto vel Sanctis Missa fuerit (*a*).

7. *Lectio* 6. Inclinatio vel prostratio pro tempore ad collec-

(*a*) 1425.

tam fiat usque dum dicitur: *Qui tecum vivit*, quod cum dicitur in prima collecta Missae et post Communionem, et quandocunque chorus vacat, stent fratres versis vultibus ad Altare *(a)*.

8. In inclinationibus conformemur moribus eorum, ad quos quandoque declinamus. Porro prosterni est genuflectere super pavimentum, brachiis super formas vel sedes positis *(b)*.

9. *Lectio* 7. Quando Prior injunxerit communem aliquam orationem, inclinent omnes; similiter omnes faciant, quibus aliquid facere vel dicere iniunxerit. Si autem alicui obedientiam, officium vel ministerium iniunxerit, humiliter prosternat se, et quod iniunctum fuerit ei, suscipiat *(c)*.

10. Qui vero iniunctum a Priore officium vel munus temere recusaverit, sive conventualis sit, sive non, praecipitur ei in virtute S. Obedientiae, ut mandatum sui superioris executioni mandet *(d)*.

11. Quando etiam fratribus quippiam vestimenti tribuitur, profunde inclinantes dicant *Benedictus Deus in donis suis* *(e)*.

CAPUT TERTIUM.

De Suffragiis Mortuorum.

1. *Lectio* 1. A festo S. Dionysii usque ad Adventum Domini pro anniversario Fratrum Clericus Psalterium, sacerdos tres Missas, Laici quingenta *Pater noster* dicant. Idem faciat quilibet fratrum pro defuncto fratre sui conventus. Idem fiat per totum ordinem pro Magistro Generali. Idem pro Definitoribus, si aliquem eorum in via mori contigerit. Idem pro Visitatore a Domibus, quas visitare debet.

2. *Lectio* 2. Per totum Ordinem pro uno quoque fratre defuncto quilibet sacerdos celebret unam Missam, et quilibet conventus unam in communi et unusquisque Clericorum sep-

(*a*) 1417. (*b*) 1417. (*c*) 7 q. I. c. quia frater.
(*d*) Extra. de maj. et obed. c. 10. (*e*) 1593.

tem psalmos poenitentiales et conversi centum *Pater noster* etc. dicant.

3. Anniversarium Patrum et Matrum tertia die post Purificationem B. Mariae V., Anniversarium familiarium et benefactorum tertia die a Nativitate ejusdem, Anniversarium vero Fratrum Ordinis nostri sequente die post festum S. Dionysii est faciendum. Missae vero et vigiliae praedictorum trium Anniversariorum per omnes Ordinis nostri conventus cantentur (*a*).

4. *Lectio* 3. Ut autem fratribus nostris quantocius subveniatur, permittimus, ut per quodcunque officium Missae privatae et conventualis non fundatae ipsis satisfiat (*b*).

5. Sacerdos notatus ad Missam pro defuncto fratre post eam diebus triginta sepulchrum illius visitabit altera exequiarum ejusdem die incipiendo, legendo psalmos *Miserere et De profundis, Pater noster, A porta inferi* cum collecta propria et communi *fidelium*, concludendo per *Requiescant in pace* cum aspersione aquae benedictae (*c*).

CAPUT QUARTUM.

De Jejuniis.

1. *Lectio* 1. A pascha usque ad festum Exaltationis S. Crucis reficiantur bis fratres, exceptis diebus Rogationum et sextis feriis, vigilia Penthecostes, Jejuniis Quatuor temporum, vigilia S. Joannis Baptistae, S.S. Petri et Pauli, Jacobi, Laurentii, Assumptionis B. Mariae V. et Bartholomaei. Similiter etiam in profesto Venerabilis Sacramenti, propter indulgentias Sedis Apostolicae (*d*).

2. *Lectio* 2. A festo autem Exaltationis S. Crucis usque ad Pascha continuum tenebimus jejunium et Nona dicta comedemus, exceptis diebus Dominicis.

(*a*) 1509. (*b*) 1476. (*c*) 1510. (*d*) De consecrat. dist. 3 cap. rogationes. Urbanus 4. — 1462.

3. Quod si Priori visum fuerit expedire, bina duntaxat vice in hebdomada cum fratribus suis in communi refectorio dispensare poterit, et non amplius absque legitima causa. Si vero quis ampliore gratia indiguerit, humiliter petere poterit, super quo Praelatorum et fratrum conscientias oneramus. Non facile vero dispensent in jejunio Feriis sextis cum toto conventu (*a*).

4. *Lectio* 3. In Quadragesima, Jejuniis quatuor Temporum, vigilia Ascensionis, Pentecostes, Assumptionis Beatae Mariae, vigilia S. Matthaei, Simonis et Judae, Omnium Sanctorum, Andreae, Nativitatis Domini, quadragesimali utamur cibo; nisi cum aliquo propter laborem dispensetur, vel in locis, ubi aliter comederetur (*b*).

5. Feria secunda et tertia post Quinquagesimam, tam intus, quam extra, quadragesimali utamur cibo.

6. *Lectio* 4. In festo S. Marci cantabuntur Litaniae et servabitur abstinentia; nisi venerit infra Octavas Paschae et tunc quilibet conventus conformabit se matrici suae ecclesiae (*c*).

7. Profesti dies B. Mariae V. juxta non solum religiosorum, sed piorum saecularium morem et introductam laudabilem consuetudinem nostram in jejunio serventur (*d*).

8. *Lectio* 5. Dies Natalis Domini non censetur dies jejunii, neque abstinentiae ab esu carnium, nisi in sextam feriam inciderit (*e*).

9. In jejuniis Ordinis, dum dispensatur et datur gratia, surgentibus fratribus et in ordine stantibus, dicat Hebdomadarius: *Sit nomen Domini Benedictum; Retribuere dignare: Benedicamus Domino.* Deinde, qui praeest et dicere consuevit, dicat: *Fidelium animae.* Dictoque *Pater noster* cum inclinatione subjungat: *Adjutorium nostrum* etc. (*f*).

(*a*) De cons. distinct. 3 cap. jejunia. 1643. (*b*) Dist. 41 c. clericus. (*c*) 1469. (*d*) 1648. (*e*) Extra de obs. jejunii c. explicari. (*f*) 1517.

CAPUT QUINTUM.

De Cibo.

1. *Lectio* 1. Hora competente ante prandium vel coenam a Sacrista campana pulsetur, ut fratres ad refectionem venire non tardent. Postmodum pulsetur cymbalum, si cibus est paratus. Ablutis vero manibus Prior nolam refectorii pulset et conventus prosequatur Benedictionem.

2. In absentia vero Prioris, Supprior vel Custos conventus, id est, qui praeest, nolam refectorii ad mensam pulset et semper signum in Refectorio, Choro et in omnibus Horis, ubicunque Prior facere consuevit, faciat, et non Hebdomadarius (*a*).

3. Dicant autem Fratres Benedictionem et Gratias in conventu stando cum psalmo: *Miserere* etc. exceptis infirmis (*b*).

4. *Lectio* 2. Nullus fratrum praesentium a prima mensa remaneat praeter servitores et custodes, nisi de licentia. Quotquot autem remanserint, comedant in secunda mensa, ita ut tertiam facere non oporteat (*c*).

5. Comedant autem in secunda mensa cum Lectore sub silentio: et silentium ibi non servantes et alii quicunque in mensa silentium frangentes poenitentiam agant, sedendo in terra et aquam bibendo (*d*).

6. *Lectio* 3. Nulla fiat pitantia servitoribus vel ministris, quae non fit conventui, nisi sint infirmi vel minuti. Frater non mittat fratri pitantiam excepto Priore, sed sibi datam potest dare a dextris et a sinistris (*e*).

7. Infirmarii et hospitum receptores aliique fratres in refectorio comedant et cibariis conventus sint contenti; nisi cum

(*a*) 1461. (*b*) 1496.

(*c*) De cons. dist. 5 c. in omnibus extra de Vit. et hon. Cleric. c, quoniam. (*d*) 1535.

(*e*) Ext. de stat. mon. c. cum ad monasterium.

aliquibus Prior dispensaverit ob aliquam causam, ut aliquando extra conventum comedant (*a*).

8. *Lectio* 4. In Feriis quartis ac toto Adventu fratres in conventu carnes non comedant.

9. Fratribus tamen nostris ne sint hominibus onerosi, quicquid eis apponitur, comedere licebit extra claustrum.

10. Fratres nostri tam Priores quam alii in locis, ubi conventum habuerimus, nisi cum Episcopo vel in domibus Religiosorum, extra claustrum comedere non praesumant.

11. Sin autem aliquando emergens necessitas aut honestas per Priores mature examinanda aliud postulaverit, tempestive sicut Religiosos decet, se expediant. Caeterum convivia nuptialia, baptismalia et coenas frequentare nemini liceat (*b*).

12. *Lectio* 5. In singulis diebus, si fieri potest, duo cocta pulmenta habeant: poterit autem Prior superaddere, prout opus esse judicaverit et facultas permiserit (*c*).

13. Si quis juxta se sedenti viderit aliquid deesse de communi, requirat a Cellario vel ministro.

14. Si quis de servitoribus vel comedentibus serviendo vel comedendo offenderit, surgentibus fratribus veniam petat, et facto signo a Praelato redeat ad locum suum.

15. *Lectio* 6. Tempore pulsus meridiani, quando contingit fratres esse in mensa, in memoriam Dominicae Passionis Lector alta voce pronunciet versum: *Qui passus es pro nobis, miserere nostri* cum Collecta: *Respice quaesumus Domine.* Deinde dicto sub silentio *Pater noster* et *Ave Maria,* concludat qui praeest, per *fidelium animae* etc. (*d*).

16. Lectio refectorii semper terminetur per *Tu autem Domine,* etiamsi in prophetis legatur.

(*a*) Extra. de stat. mon. c. cum ad.

(*b*) Dist. 34 c. presbyteri. Conc. Antisiodor. c. 14. — 1531.

(*c*) De cons. dist. 5 cap. ne tales. (*d*) 1530.

CAPUT SEXTUM.

De Collatione.

1. *Lectio* 1. Tempore jejunii hora competente Sacrista ad collationem signum faciat: postea nolam refectorii pulset. Deinde fratribus venientibus in refectorium, legat lector lectionem praemisso, *Jube Domine benedicere* et sequatur Benedictio: *Noctem quietam* etc. (*a*).

2. Infra lectionem vero bibere poterunt, facto signo a Praelato et dicto: *Benedicite*, dataque Benedictione ab Hebdomadario: *Largitor omnium bonorum benedicat potum servorum suorum.* Finita lectione dicat qui praeest: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, et tunc fratres sub silentio intrent Chorum (*b*).

3. Quicunque bibere voluerit extra horam, licentiam petat a Praelato.

CAPUT SEPTIMUM.

De Infirmis.

1. *Lectio* 1. Circa infirmos caveat ne sit negligens Praelatus: sic enim procurandi sunt infirmi, ut citius releventur, sicut dicit S. Pater noster Augustinus. Si quis talem infirmitatem habuerit, quae nec multum eum debilitet, nec comedendi turbet appetitum, talis nec super plumas jaceat, nec jejunia consueta frangat, nec cibos refectorii mutet (*c*).

2. In domibus nostris non sint nisi duo loca, in quibus comedant infirmi vel debiles; nisi sit evidens necessitas vel urgens infirmitas. Similiter nec alii fratres comedant, nisi in communi refectorio, vel domo hospitum. Si autem Priores infirmari contigerit, ubi commodius fieri potest, procurentur.

(*a*) De cons. dist. 5 c. in omnibus.
(*b*) Dist. 44 cap. pro reverentia.
(*c*) Extra. de statu monach. cap. cum ad.

CAPUT OCTAVUM.

De Minutione.

1. *Lectio.* 1. Minutio quater fiat in anno: Prima in mense Septembri, secunda post Natale, tertia post Pascha, quarta circa festum S. Joannis Baptistae. Praeter has minutiones nullus audeat sibi minuere, nisi discretio Prioris propter causam aliquam judicaverit aliter alicui faciendum.

2. Minuti extra refectorium comedant, ubi commode poterit observari, et secundum quod facultas domus permiserit, procurentur (*a*).

3. Extranei hospites diebus minutionum et alias ad mensam conventus rarius admittantur, nisi forte specialibus amicis ea gratia subinde concedatur (*b*).

4. *Lectio* 2. Tempore minutionis, vel alias causa recreationis, fratres extra conventum omnes simul exire non permittantur; sed honestis recreationibus, ut religiosos decet, in conventu, studiis non omissis et celebratis divinis, utantur (*c*).

CAPUT NONUM.

De Lectis.

1. *Lectio* 1. Super stramina et culcitras de floccis et saccones de plumis usque ad humeros descendentes dormire licebit. Qui autem culcitras de plumis petierint, jejunent una die in pane et aqua. Extra domum jacere poterunt, sicut fuerit eis stratum, ne hospites molestentur.

2. Cum tunica et braccis dormiant, nullus, qui in communi tolerari possit, habeat specialem locum ad jacendum; nisi propter rerum custodiam (*d*).

(*a*) Extra. de stat. mon. c. cum ad monaster. (*b*) 1470. (*c*) 1498.
(*d*) Extra. de vit. et hon. cler. c. quoniam de cons. d. 5, c. in omnibus.

CAPUT DECIMUM.

De Vestitu.

1. *Lectio* 1. Vestes laneas non attonsas, ubi hoc servari poterit, deferant fratres nostri, ubi vero servari non poterit, utantur vilibus et potius vilitas in cappis observetur (*a*).

2. Nullus habeat plures tunicas quam tres cum pelliceo in hyeme, vel quatuor sine pelliceo. Tunicae circa cavillam pedum sufficit ut descendant.

3. *Lectio* 2. Scapularia et cappae sint nigri coloris, et sint tam scapularia quam cappae breviora tunicis. Statuimus autem ut tam in scapularibus signum Crucis assuatur, cujus brachium vadens in longum de panno rubeo sit, brachium vero transversum de panno albo fiat. Propter uniformitatem vero in Ordine servandam praecipitur, ne aliquis materiam scapularium panni lanei immutet in quamvis aliam materiam (*b*).

4. *Lectio* 3. Nullus praeterea abusus aut notabilitas aliqua in vestibus fratrum appareat; sed singuli honeste et humiliter incedere, et sese per omnia pristinae et antiquae a Patribus nostris acceptae formae et observatae consuetudini accommodare studeant ac teneantur (*c*).

5. Caligas et soccos habebimus, ut necesse fuerit et facultas permiserit. Botae extra septa monasterii non portentur.

6. *Lectio* 4. Insuper cum ex tenore originalium statutorum adstringamur portare vestes laneas, declaramus, quod omnes fratres nostri uti debeant et teneantur camiseis laneis et non lineis; nisi in evidente necessitate et de licentia Reverendissimi Patris Generalis aut visitatorum (*d*).

7. *Lectio* 5. Priores in suis conventibus cubiculum aliquod instruant, unde certum aliquem fratrem vestiarium fratribus ne-

(*a*) Clement. de statu monach. cap. ne in agro. (*b*) 1529.
(*c*) Dist. 14, c. clericus. — 1614, 1617, 1620, 1624, 1648.
(*d*) Extra. de statu monach. cap. cum ad monasterium. — 1537.

cessaria vestimenta statis temporibus dispensentur, ipsique Priores frequentius fratrum cubicula visitent et si quae superflua invenerint, tollant ac necessaria subministrent (*a*).

CAPUT UNDECIMUM.

De Rasura.

1. *Lectio* 1. Rasura sit superius non modica, ut religiosos decet, sic ut inter ipsam et aures non sint plus quam tres digiti; tonsura vero fiat super aures. A Pascha usque ad festum Exaltationis S. Crucis quindecim dies habeamus in rasura; a festo vero Sanctae Crucis usque ad Pascha tres hebdomades. Si autem aliquod festum praecipuum intervenerit, poterit praeveniri vel tardari (*b*).

CAPUT DUODECIMUM.

De Silentio.

1. *Lectio* 1. Attendentes quod post tria substantialia vota nihil adeo necessarium sit religiosis, sicut silentium, sine quo teste Scriptura Sacra vana est omnis religio, ideo fratres nostri silentium teneant in claustro, dormitorio, cellis, refectorio et in oratorio Fratrum; nisi forte silenter aliqnid loquantur, non tamen oratione perfecta: alibi vero loqui poterunt de licentia speciali (*c*).

2. *Lectio*. 2. Omnes fratres nostri in mensa conventus silentium teneant, tam Priores quam alii.

3. Fratres nostri de silentii fractione accusent se in capitulo, sicut de aliis culpis, et Prioris arbitrio puniantur.

4. In quolibet conventu per Priorem ordinetur circator conventus, qui completorio finito diligenter perlustret officinas

(*a*) 1631. (*b*) Dist. 23, cap. probibete. c. non liceat. 12, q. I, c. duo sunt. — Et extra de vit. et hon. clericor. c. 15. (*c*) 1441.

et loca conventus et quos invenerit circumeuntes vel fabulantes sine licentia Superioris, sequenti die Priori significet aut proclamet, ut secundum demerita sua corrigantur (*a*).

5. *Lectio.* 4. Nullus sine expressa licentia externis adventantibus, specialiter autem faeminis loqui praesumat. Atque ut hoc commode observari possit, curabunt Priores, ut de adventantibus ante alios a Portariis admoneantur, qui examinata adventantinm causa, fratribus pro sua discretione loquendi cum illis potestatem faciant vel negent (*b*).

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Recipiendis.

1. *Lectio* 1. In quolibet conventu tres idonei fratres eligantur de communi consilio capituli, qui recipiendos in moribus et scientia diligenter examinent et examinationem Priori et capitulo referant, eorum judicio, an recipi debeant, relinquentes.

2. Qui dum adducti fuerint in capitulum, prosternant se in medio. Interrogati vero a Praelato, quid quaerant, respondeant: *Misericordiam Dei et vestram.* Quibus ad jussum Praelati erectis exponat austeritatem Ordinis et voluntatem eorum requirat. Qui si respondeant, se velle cuncta servare, dicat post caetera: *Dominus qui coepit ipse perficiat.* Et conventus respondeat: *Amen.* Tunc depositis vestibus saecularibus et religiosis induti, in nostram societatem recipiautur.

3. *Lectio* 2. Veruntamen, antequam obedientiam Praelato et successoribus ejus faciant, tempus probationis assignetur. Annum vero probationis assignamus, ut et ipsi austeritatem Ordinis et fratres eorum mores experiantur (*c*).

(*a*) 1494.
(*b*) Dist. 32, c. Hospitiolum et dist. 81, c. clericus solus. — 1631.
(*c*) Ext. de regul. c. ad Apostolicum in 6, c. non solum et Trid. ss. 25, c. 15.

4. Nullus recipiatur, nisi requisitus, an sit conjugatus, an servus, an ratiociniis obligatus, an alterius professionis, vel occultam habeat infirmitatem (*a*).

5. *Lectio* 3. Nullus Prior recipiat aliquem in canonicum vel conversum nisi de licentia Prioris Huyensis vel sui visitatoris. Habita licentia nullus recipiatur, nisi requisito consensu totius vel majoris partis capituli et obtento. Nullus recipiatur infra quindecim annos (*b*).

6. Prohibemus autem, ne aliquis aliquam mulierem tondeat vel induat, vel ad professionem recipiat.

7. *Lectio* 4. Nullus recipiatur in Clericum, nisi de legitimo thoro procreatus, absque dispensatione et licentia capituli generalis (*c*).

8. Inutiles minusque qualificati ob munera et amicorum aut patriae favorem non recipiantur (*d*).

9. Priores et fratres difficiles se praebentes in recipiendo idoneos et necessarios ad Ordinem, cessante legitima causa, hos privatione vocis activae et passivae, illos absolutione ab Officiis suis puniendos censemus (*e*).

10. *Lectio*. 5. Si quis aliquem ad Ordinem receperit absque speciali licentia Reverendissimi Patris Generalis petita et obtenta, si Prior est, privationem sui Officii, si alius, amissionem vocis suae noverit se ipso facto incurrisse (*f*).

11. Nullus Praebendarius prece aut pretio acceptetur; nisi habita licentia a Reverendissimo Patre aut ejus Visitatore. Licentia autem impetrata, pecunia numerata ad perpetuos census

(*a*) 27 q. 2 c. Agathosa. dist. 54, c. generalis c. nullus, Joannes 22 in bulla, item dist. 53 c. legem.

(*b*) Innocent. in Bulla ext. de his quae fiunt, c. ea noscitur Trid. sess. 25 c. 15. (*c*) 1428.

(*d*) Extra. de stat. mon. c. monachi de Simonia c. 25 et 40 et i. q. 2 c. nullus Abbas. — 1593.

(*e*) Extra. de vita et hon. cleric. c. quoniam. — 1598. (*f*) 1593.

emendos, vel redimendos applicetur; nisi major domus necessitas aliter faciendum urserit, idque semper de praetacta licentia (*a*).

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Novitiis et eorum instructione.

1. *Lectio.* 1. Prior Novitiis Magistrum diligentem in instructione eorum praeponat, qui eos in Ordine doceat, in Ecclesia excitet, et ubicunque negligenter se habuerint, verbo vel signo, quantum poterit, eos studeat emendare (*b*).

2. Necessaria, prout potest, debet eis procurare.

3. De apertis negligentiis, cum ante eum veniam petierint, poterit poenitentiam dare, vel eos in suo capitulo proclamare (*c*).

4. Humilitatem cordis et corporis doceat illos habere juxta illud: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (d).*

5. *Lectio* 2. Frequenter, pure et discrete doceat eos confiteri *(e).*

6. Sine proprio vivere.

7. Voluntatem propriam deserere, pro sui voluntate Praelati obedientiam in omnibus voluntariam observare.

8. Quomodo ubique et in omnibus sese habere debeant, ipsos debet instruere, et quod locum, ubi positi fuerint, ubique teneant.

9. Quomodo danti sibi vel auferenti aliquid, maledicenti vel benedicenti inclinare debeant.

10. *Lectio* 3. Qualiter ad cameras se contineant, et oculos sublimes non habeant.

(*a*) Ext. de statu monach. c. ea quae. — 1419. — 1593.
(*b*) Clement. de Stat. mo. c. Novitiis 12, q. 1 c. omnis et c. necessaria.
(*c*) 23 q. 4 cap. ipsa pietas.
(*d*) Matth. XI.
(*e*) Ext. de regul. c. Joannes et de statu monach. c. 6.

11. Quomodo et quid orent et quam silenter, ut aliis rugitum non faciant *(a)*.

12. Quomodo venia in capitulo et ubicunque reprehensi fuerint a Praelato, sit facienda.

13. Si quis autem fratrem suum scandalizaverit, tam diu ante pedes ejus jaceat, quousque placatus erigat eum *(b)*.

14. *Lectio* 4. Instruendi etiam sunt, ut cum nemine contendere praesumant.

15. In omnibus Magistro suo obediant.

16. In processione socium sibi collateralem attendant.

17. Non loquantur locis et temporibus interdictis.

18. Neminem penitus judicent; sed si quae ab ullo fieri videant, licet mala videantur, bona suspicentur, vel bona intentione facta: saepe enim humanum fallitur judicium.

19. *Lectio* 5. Non loquantur de absentibus, nisi quae bona sunt.

20. Disciplinas frequenter suscipiant.

21. Duabus manibus bibant et sedendo.

22. Diligenter libros, vestes et alias res monasterii custodiant.

23. Si quid petitum fuerit ab uno Priore, non petatur ab alio; nisi exposita causa, sed nec, si a majore petierint, vadant ad minorem.

24. *Lectio* 6. Confessiones Novitiorum ante Professionem recipiantur et diligenter de modo confessionis et aliis instruantur *(c)*.

25. Novitii ante Professionem de debitis se expediant et omnia ad pedes Prioris ponant, ut se ex toto absolvant *(d)*.

26. Similiter omnes fratres singulis annis semel omnia sibi commissa Prioribus suis exponant pariter et exhibeant, eorum dispositioni illa relinquendo.

(*a*) Dist. 92 c. cantantes.

(*b*) Dist. 90, c. si quis contristatus et c. perlatum.

(*c*) Clemens 8 cum ad relat. (*d*) Trid. sess. 25 cap. 16.

27. *Lectio* 7. Novitii intra tempus probationis suae, in Psalmodia et Officio divino studeant diligenter (*a*).

28. Infra annum ad longinquas partes, nisi ob causam necessariam, non mittantur, nec in officio aliquo occupentur (*b*).

29. Vestes Novitiorum ante Professionem non alienentur, nec ipsi ante Professionem ordinentur.

30. *Lectio* 8. Non intersint capitulo, nec in dormitorio cum aliis fratribus jaccant, ubi hoc commode poterit observari, sed Magister eorum extra capitulum culpas eorum audiat et ipsos diligenter, quantum potest, in moribus instruat ac charitative corripiat.

31. Non loquantur saecularibus, nisi in praesentia Magistri sui aut Prioris, aut alterius fratris, cui Prior injunxerit (*c*).

32. Familiaritatem cum sacerdotibus non habeant: et si constat sacerdotes dare causam familiaritatis, poena arbitraria cum Novitiis puniantur (*d*).

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Professione.

1. *Lectio* 1. Modus faciendi professionem talis est: *Ego Frater N. facio professionem et promitto Obedientiam Deo et B. Mariae et tibi N. Priori S. Crucis Huyensi et successoribus tuis secundum Regulam Sancti Augustini et Institutiones Fratrum Sanctae Crucis, quod ero obediens Tibi tuisque successoribus usque ad mortem.*

2. Cum autem alteri Priori cuicunque fit, sic facienda est: *Ego Frater N. facio Professionem, et promitto Obedientiam Deo et Beatae Mariae Virgini et Tibi N. Priori talis loci N. vice N. Prioris Sanctae Crucis Huyensis, et successorum ejus, secundum Re-*

(*a*) Ext. de vita et hon. cap. clerici.
(*b*) Trid. ss. 25; c. 16. (*c*) 1529. (*d*) 1598..

gulam Sancti Augustini et Institutiones Fratrum Sanctae Crucis, quod ero obediens sibi suisque successoribus usque ad mortem (*a*).

3. *Lectio* 2. Novitiorum vestes benedicantur hoc modo: *Ostende nobis Domine etc. Dominus vobiscum. Oremus. Domine Jesu Christe, qui tegumen nostrae mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensae pietatis tuae abundantiam, ut hoc genus vestimentorum, quod Sancti Patres ad innocentiae et Sanctitatis indicium ferre sanxerunt, ita benedicere digneris, ut qui hoc usus fuerit, te induere mereatur, Jesu Christe Salvator mundi, qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.* Quae postmodum aspergantur aqua benedicta.

4. *Lectio* 3. Ad professionem non admittantur, qui in Novitiatu commiserunt crimen gravioris culpae (*b*).

5. Nullus Clericorum vel Laicorum ad Professionem admittatur, nisi prius omnibus bonis temporalibus renuntiaverit (*c*).

6. In investitionibus, Professionibus et Primitiis novi Sacerdotis sumptuosa convivia non instituantur; sed modesta et religiosa convivia tantum ad Parentes et proximiores paucos consanguineos vel amicos extendi permittimus (*d*).

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Levi Culpa.

1. *Lectio* 1. Levis culpa est: si quis mox ut signum datum fuerit, non relictis omnibus cum matura festinatione differat se praeparare, ut ad Ecclesiam ordinate et composite, quando debuerit, veniat *(e)*.

2. Si quis ad *Gloria Patri* primi Psalmi non adfuerit et ad gradus Altaris non satisfecerit.

(*a*) Ext. de regul. c. statuimus.
(*b*) Trid. ss. 25, c. 16. — 1518. (*c*) 1578.
(*d*) Dist. 23, c. his igitur dist. 44, c. comessationes. — 1609.
(*e*) Dist. 19, c. Eleutherius dist. 92, c. si quis Presbyter.

3. Si quis in Choro male legendo vel cantando offendens non statim se coram omnibus humiliaverit.

4. Si quis divino Officio non intentus vagis oculis et motu irreligioso levitatem mentis ostenderit (*a*).

5. Si quis in Dormitorio vel in Cellis aliquid inquietudinis fecerit.

6. Si quis Lectionem statuto tempore non praeviderit.

7. Si quis aliud cantare vel legere praesumpserit, quam quod communis consensus probat (*b*).

8. Item levis culpa est: Si quis ad praedicationem vadens otiosa locutus fuerit vel egerit, vel si dissolute ridens cachinnis vel ludis, dictis vel factis alios ad ridendum concitaverit (*c*).

9. Si oculos vagos per plateas aut villas eundo ad vanitates frequenter duxerit (*d*).

10. Si quis in vigilia Annuntiationis et Nativitatis Domini in principio capituli non adfuerit per negligentiam, ut pronuntiatis Redemptionis nostrae exordiis, corde et corpore gratias agat Redemptori.

11. Si quis de via veniens eadem hora, si fieri potest, benedictionem accipere neglexerit, vel absque ea plus una nocte moraturus exierit.

12. Si quis ad Lectiones dormierit.

13. Si quis temporibus statutis cum aliis lectionem auditurus non adfuerit.

14. Si quis libros per statuta tantum interdictos legerit.

15. *Lectio* 3. Item levis culpa est: si quis Ecclesiae vel Altaris ornamenta negligenter tractaverit.

16. Si quis vestes aut libros suos statuto loco honeste non deposuerit vel negligenter tractaverit.

17. Si indumenta vel alia data fratri vel concessa sine ipsius licentia per se aliquis acceperit.

(*a*) Dist. 24, c. oratorium. (*b*) Reg. S. Augustini.
(*c*) Conc. Carthag 3, c. 3. (*d*) Dist. 23 c. his igitur.

18. Si aliquid utensilium fregerit vel perdiderit.

19. Si quid cibi vel potus effuderit.

20. Si liber, in quo legendum est, cujusquam neglectu defuerit.

21. Si quis dixerit aut egerit aliquid, unde offendantur fratres.

22. *Lectio.* 4. Item levis culpa est: si quis cibum aut potum absque benedictione sumpserit (*a*).

23. Si quis in conventum hora, qua debet, venire distulerit.

24. Si quis ad capitulum vel collationem non venerit, vel communi refectioni non interfuerit.

25. Si quis commune mandatum dimiserit.

26. Si quis eum, a quo proclamatus fuerit, eodem die, quasi se vindicando, proclamare praesumpserit.

27. Si quis in proclamatione sua jurgium fecerit.

28. *Lectio* 5. Item levis culpa est: si quis cum juramento, ut in loquendo fieri solet, aliquid negaverit vel affirmaverit (*b*).

29. Si quis turpem sermonem vel vaniloquium dixerit, aut quod gravius est, in usu habuerit.

30. Si quis eorum, qui in officiis sunt deputati, in aliquo negligens repertus fuerit: ut sunt Priores in conventu custodiendo: Doctores in docendo: studentes in studendo: scriptores in scribendo: Cantores in cantando: procuratores in exterioribus procurandis: vestiarii in vestibus providendis, custodiendis et reficiendis: infirmorum custos in infirmis custodiendis et procurandis, ac mortuis necessaria ministrando et caeteri in officiis suis, ut injunctum est eis.

31. *Lectio* 6. Clamatis de supra dictis et veniam petentibus injungatur unus Psalmus vel duo, vel cum psalmo disciplina, vel amplius secundum quod Praelato videbitur expedire.

(*a*) Dist. 44, c. non liceat.

(*b*) Extra. de jure jurando c. etsi Christ. u. dist. 46 ca. clericum.

32. Declaramus quod *venia* sit geniculari super terram, faciendo crucem manu super terram et eandem osculando (*a*).

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Gravi Culpa.

1. *Lectio* 1. Gravi culpa est: si quis inhoneste in audientia secularium cum aliquo contenderit.

2. Si frater cum fratre intus vel foris lites habuerit (*b*).

3. Si quis alicui opprobrium dixerit.

4. Si quis mendacium de industria dixisse deprehensus fuerit.

5. Si quis silentium non tenere in consuetudinem duxerit.

6. Si quis culpam suam vel alterius defenderit.

7. Si quis in illum, a quo clamatus est, vel quemlibet alium maledicta seu verba inordinata vel irreligiosa malitiose invexisse deprehensus fuerit (*c*).

8. *Lectio* 2. Item gravis culpa est: si quis fratri culpam praeteritam, pro qua satisfecit, improperaverit.

9. Si quis mala de Patribus vel fratribus vel Domibus suis malitiose evomuerit, quae testimonio fratrum suorum probare nequiverit.

10. Si quis sine licentia et magna necessitate equitaverit.

11. Si quis procedens ubi foeminae sunt, oculum fixerit: si tamen hoc in usu habere voluerit (*d*).

12. Si quis cum foemina solus, nisi de confessionibus vel honestis locutus fuerit.

13. Si quis jejunia ab Ecclesia instituta sine causa et licentia, fregerit (*e*).

14. *Lectio* 3. Pro hujusmodi culpis et his similibus veniam

(*a*) 1427. (*b*) Dist. 90, c. discordantes c. Si quis monachus.

(*c*) Dist. 90, c. si quis monachus. Conc. Carthag. c. 57, 23, q. 4, c. si illic. (*d*) Reg. S. Augustini.

(*e*) De cons. di. 5, c. jejunia dist. 30, c. 8.

petentibus et non clamatis tres correctiones in capitulo dentur et tres dies in pane et aqua jejunent; clamatis vero una dies et una correctio superaddatur. Praeter haec autem psalmi et veniae, secundum quod discretioni Prioris visum fuerit, pro qualitate culparum injungantur.

15. *Lectio* 4. Eadem poena digni sunt, qui postquam missi fuerint, sine licentia reverti praesumpserint, vel ultra terminum assignatum moram fecerint, vel si pro victu vel vestitu vel qualibet alia re murmuraverint.

16. Fratres stantes in gravi culpa non exeant septa Monasterii absque evidenti ratione.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De graviore Culpa.

1. *Lectio*. 1. Gravior culpa est: si quis per contumaciam vel manifestam rebellionem intus vel foris Praelato suo inobediens extiterit vel cum eo proterve contendere ausus fuerit (*a*).

2. Si quis percussor fuerit.

3. Si quis crimen capitale commiserit (*b*).

4. Si quis procuraverit, ut ipse vel alius eximatur a potestate Praelati sui.

5. Si quis rem sibi collatam celaverit, quem B. Pater Augustinus dicit furti judicio condemnandum (*c*).

6. *Lectio* 2. Si proclamatus convictus fuerit, sponte surgat ac veniam petens sceleris sui immanitatem lamentabiliter proferat et denudatus, ut dignam accipiat demeritis suis sententiam, vapulet, quantum placuerit Praelato, et sit omnium novissimus in conventu, ut qui culpam perpetrando non erubuit

(*a*) Dist. 50, c. contumaces 23, q. 3, c. justum.

(*b*) Extra. de cler. percuss. c. Si quis dist. 50 c. Si Episcopus.

(*c*) Trid. ss. 25, c. 2.

membrum fieri diaboli, ad tempus, ut resipiscat, sequestretur a consortio ovium Christi (*a*).

7. *Lectio* 3. In refectorio quoque ad communem mensam cum aliis non sedebit; sed in medio refectorii super nudam terram comedet, et providebitur ei seorsum panis grossior et potus aquae; nisi Praelatus per misericordiam ei aliquid impendat.

8. Nec reliquiae prandii ejus cum aliis misceantur, ut cognoscat se ita sequestratum a consortio aliorum, quod privetur; nisi per poenitentiam redeat consortiis Angelorum.

9. Ad Horas canonicas, et ad gratias post comestionem ante ostium Ecclesiae transeuntibus fratribus prostratus jaceat, dum intrant et exeunt.

10. Nullus audeat se illi conjungcre, vel aliquid mandare.

11. *Lectio* 4. Praelatus tamen ne in desperationem labi possit, mittat ad eum, qui in graviore culpa est, seniores, qui commoveant eum ad poenitentiam, provocent ad patientiam, foveant per compassionem, exhortentur ad satisfactionem, adjuvent per intercessionem, si viderint in eo humilitatem cordis, quibus etiam suffragetur totus conventus (*b*).

12. Nec renuat Praelatus cum eo facere misericordiam: et si videatur ei, denuo vapulet ad pedes singulorum, primo Praelati, deinde ad utriusque lateris sessorum (*c*).

13. *Lectio* 5. Talis, quamdiu erit in poenitentia, non communicet, nec veniat ad osculum pacis. Si praedicator est, officium praedicationis non exerceat, non notetur ad aliquod officium in Ecclesia, nec ulla committatur ei obedientia ante plenariam satisfactionem. Si fuerit sacerdos vel Diaconus, his officiis non fungatur, nisi postmodum religiose conversatus fuerit (*d*).

(*a*) Dist. 45, c. et quid emendat. c. cum Beatus § Salomon.

(*b*) 26, q. 7, c. de bis c. alligant. — Extra. de poenitent. c. Deus qui Ecclesiam. (*c*) Ibidem et dist. I, de poenitent. c. in actionem.

(*d*) Dist. 50, c. si post. — Dist. 50, c. ponderet.

14. *Lectio* 6. Eodem modo poenitere debet, qui in peccatum carnis lapsus fuerit, quod insuper sex septimanali incarceratione in pane et aqua puniendum censemus. Si quis tale quid extra Monasterium commiserit, frater, qui cum eo est, studeat ejus excessum quantocius corrigendum Praelato intimare. Correctus autem ad locum, in quo tale quid commisit, ulterius non redeat, nisi ita religiose conversatus fuerit, ut capitulum Generale illuc ipsum censeat reversurum (*a*).

15. Si hujusmodi peccatum occultum fuerit, disquisitione secreta secundum tempus et personam condignam agat poenitentiam (*b*).

16. *Lectio* 7. Si qui per conspirationem vel conjurationem vel malitiosam concordiam adversus Praelatos vel Priores suos manifeste se erexerint, supradicto modo poeniteant et de caetero in omni vita sua extremum locum sui Ordinis teneant, et vocem in capitulo, nisi in sui accusatione, non habeant, neque aliqua eis injungatur obedientia (*c*).

17. Si qui tamen fratres non malitiose sed in veritate adversus Praelatum aliquid habuerint, quod tolerari non debeat nec deceat, prius eum inter se cum omni humilitate et charitate de sui correctione admoneant. Quod si frequenter admonitus se corrigere neglexerit aut contempserit, Priori Huyensi significetur, vel Visitatori, ut cum ad eandem domum venerit visitandam, causa manifeste indicetur, vel capitulo generali significetur. Aliter subditi Praelatos suos infamare non praesumant (*d*).

18. Percussores praeter poenam gravioris culpae privati sint

(*a*) Extra. de vita et ho. cleric. c. ut Clericorum. — Dist. 81, c. si qui sunt. 15 q. 8, c. hi qui altaris. — Dist. 81, c. valet.

(*b*) 2. q. 1, c. si peccaverit.

(*c*) 11 q. i. c. conjurationum, c. conspirationum.

(*d*) 2. q. 7. Si quis extra de sunt excom. c. contingit. c. sacra in 6. c. statuimus c. constitutionum.

voce activa et passiva, non nisi per capitulum Generale restituendi. Qui vero timore Dei postposito, manus violentas Praelatis suis inferre aut eos percutere praesumpserint, sint voce et loco privati, extremumque locum sui Ordinis per totam vitam suam teneant, et poenae gravioris culpae subiaceant tribus annis. Si quis autem enormiter percusserit Praelatum suum, perpetuo carceri mancipetur (*a*).

19. *Lectio* 9. Fratres Clerici, Conversi vel Donati, qui talia committunt crimina, pro quibus saeculares civili justitia poena mortis plectendi essent, perpetuis sunt mancipandi carceribus, nec quovis modo inde eripiendi; nisi de licentia et consensu capituli generalis (*b*).

20. Si quis frater suspectus de incauta familiaritate mulierum, monitus per Priorem et seniores aut Visitatores ab ea non abstinuerit, talis denuo in hoc deprehensus, licet non plene possit convinci, ob inobedientiam tamen et scandalum pro convicto habeatur et puniatur poena carceris (*c*).

21. *Lectio* 10. Quicunque pensiones vitales, aut peculium quodcunque intus vel foris in quibuscunque rebus aut literis acquisitum clam Superioribus receperint, celaverint vel ad jocalia quibuscunque danda expenderint, aut quomodocunque proprietatis lepra se contaminaverint, praeter poenam gravioris culpae biennali privatione vocis activae et passivae puniantur, nec interea ad Altare admittantur, et si (quod Deus avertat) in illa mori contingat, Ecclesiastica careant sepultura (*d*).

22. Pari modo vocis privationem incurrunt, qui alia etiam essentialia Religionis vota vel alterum illorum non servare legitime fuerint convicti, ad eam nisi generalis capituli consensu on restituendi (*e*).

(*a*) Extra. de cler. persus. c. si quis item de vita et hon. cler. c. quoniam. — 17. q. 4, c. si quis suadente. — 1528. (*b*) 1497. (*c*) 1590.

(*d*) Trid. ss. 25 c. 2. extra. de stat. mon. c. monach. et c. super quodam. — 1606, 1639. (*e*) 1425.

23. Nulli fratrum aliqua debita faciant absque scitu et licentia Prioris: nec pro aliquo vel aliquibus fidejubeant sub poena gravioris culpae. Si contrarium attentatum fuerit, volumus quod domus illorum ad hujusmodi debita aut fidejussionem non sint obligatae (*a*).

24. *Lectio* 12. Districte prohibemus in virtute sanctae obedientiae, ne qui sinistre interpretantes Regulam et statuta, conentur distinctionem facere inter literas et chartam, quasi liceat impune chartam non clausam praeter voluntatem suorum Priorum emittere aut recipere. Volumus itaque, ne tales emittant aut recipiant chartas aut literas cujuscunque argumenti sint, nisi de scitu et voluntate suorum Priorum.

25. Quilibet conventus carcerem firmum et satis munitum habeat pro criminosis fratribus arcendis et includendis, sub poena viginti florenorum Rhenensium, pro hujusmodi statuti contemptu ad generalem usum Ordinis applicandorum (*b*).

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Gravissima Culpa.

1. *Lectio* 1. Gravissima culpa est incorrigibilitas ejus, qui nec culpas timet admittere et poenas renuit ferre, de quo praeceptum est Patris nostri Augustini, ut, etiamsi ipse non abscesserit, de nostra societate projiciatur secundum Apostolum, qui haereticum hominem post correctionem adhibitam et incorrigibilitatem patefactam devitari jubet, tanquam peccantem peccatum ad mortem, quia subversus est, qui hujusmodi est (*c*).

2. Hic quidem habitu exutus et vestibus saecularibus indutus exire compellendus est, ut sicut Professionem a corde

(*a*) Can. Apost. 20, extra. de fidejuss. c. clericus. c. quod quibusdam. — 1413. (*b*) Extra. de sent. excom. c. ut famae. — 1446.
(*c*) Extra. de majo. et ob. c. cum in Ecclesia. — T. in 3, 16. q. i. c. in canonibus.

abjecit, sic et Professionis insignia deponere cogatur; si tamen usque ad illam horam sani capitis et integri sensus extiterit (*a*).

3. *Lectio* 2. Nemini vero aliter sub qualibet accasione danda erit licentia recedendi, ne Ordo et Disciplina Canonica veniant in contemptum, dum habitus Religionis ab indignis deportatur. Porro incorrigibilis censeatur, qui praeter praemissa, in carceribus unius anni spatio in jejunio et poenitentia probatus, non resipuerit; sed animo indurato in sua pervicacia permanserit (*b*).

CAPUT VIGESIMUM.

De Apostatis.

1. *Lectio* 1. Quicunque apostataverit, si infra quadraginta dies non redierit, excommunicabitur; si vero sui misertus redierit, in capitulum veniet et prostratus culpam suam dicet, et humiliatus veniam petet, et quamdiu Praelato placuerit, poenae gravioris culpae subjacebit, et in capitulo se praesentabit semel in singulis septimanis.

2. *Lectio* 2. Infra hoc tempus poenitentiae ubique in conventu omnium novissimus erit, et duobus diebus in qualibet hebdomada per annum jejunabit in pane et aqua. Peracta poenitentia nunquam ad priorem locum redeat nisi per Capitulum Generale fuerit cum eo dispensatum, ita tamen, ut anni, in quibus fuerit in Apostasia, non computentur ei quoad locum; sed sit sub omnibus illis, qui habent plures annos in Ordine, quam ipse habuit quando exivit. Quod si secundo fugerit, et iterum redierit, supradicto modo poeniteat, et priori anno secundus addatur: si tertio, tertius: si quarto, quartus (*c*).

3. *Lectio* 3. Omnibus fratribus pro hujusmodi poenitentibus

(*a*) 11. q. i. c. si quis Sacerdotum et 24, q. 3, c. resecandae. Extra. de judiciis c. cum non ab homine.

(*b*) Congreg. Card. 1624, 21 Sept.

(*c*) Extra. de poeni c. ea quae. — Extra. de poenit. c. Deus qui.

humiliter in capitulo deprecantibus, Praelatus cum eorum poenitentiam perspexerit, eis indulgere vel remittere poterit, secundum quod suae discretioni visum fuerit vel placitum.

4. Si quis in Apostasia ordinatus fuerit, vel post excommunicationem Divina celebrare praesumpserit in ea, executione officii sui perpetuo carebit; nisi forte postea ita religiose conversatus fuerit, ut cum eo authoritate Sedis Apostolicae dispensetur (*a*).

5. *Lectio* 4. Qui vero semel apostataverit, vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, de caetero non praedicet, nec confessiones audiat, nisi per generale capitulum fuerit restitutus (*b*).

6. Quicunque conventus vel Prior sciverit aliquos apostatas vel profugos, clericum, conversum vel donatum intra terminos suae correctionis vagantes, eosdem capiat et ad proprios conventus transmittat, aut eis significet, ut reducant: qui etiam quam primum facta insinuatione absque dilatione profugos suos ad conventus suos reducere curent. Quod quidem non solum ad praefatos profugos et apostatas; verum etiam ad omnes, qui falsas et subdolas sibi exemptiones procurant, extendi volumus, talesque capi et incarcerari praecipimus, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii saecularis (*c*).

7. *Lectio* 5. Non recipiantur profugi alicujus conventus ordinis nostri in alio conventu sine speciali licentia Rev. Patris Generalis (*d*).

8. Priores apostatis et Ordinis nostri desertoribus ad ipsorum vel quorumcunque instantiam dimissoria et probitatis testimonia in Ordinis ignominiam et animarum damnationem dare non praesumant.

9. Apostatae absolvendi non sunt absque licentia Reverendissimi Patris Generalis, aut visitatorum suorum (*e*).

(*a*) Extra. de Apost. c. consultationi et de clerico excom. minist. c. Si quis c. clerici. (*b*) Martinus IV, in bulla.

(*c*) 1497, 1532. — Extra. de crim. falsi, c. super eo. (*d*) 1480. (*e*) 1598.

DISTINCTIO II.

CAPUT PRIMUM.

De Domibus concedendis et construendis.

1. *Lectio* 1. Nulla domus construatur, nisi a Priore Hoyensi et Diffinitoribus capituli generalis fuerit postulata; nec concessa ponatur, nisi ubi praedicti viderint expedire.

2. Per nullum officialem aut Fratrem in absentia Prioris quicquam in aedificiis innovetur vel immutetur, nisi petita prius et obtenta licentia Prioris sub poena gravioris culpae, ipso facto usque ad relaxationem Reverendissimi Patris Generalis.

3. *Lectio* 2. Nulla vero notabilis structura vel immutatio aedificiorum fiat, nisi petita et obtenta licentia Reverendissimi Patris Generalis vel Provincialis: quem consensum non facile absentes concedant, sed si fieri possit sine conventus damno, usque ad ipsius conventus visitationem differant (*a*).

4. Prohibemus etiam omnibus et singulis Prioribus et conventuum Custodibus, ne mulieres in conventum intrare permittant (*b*).

5. Nulla grangia extra conventum situata colatur per Fratres Ordinis; nisi de consensu capituli generalis, vel Reverendissimi Patris aut Visitatoris (*c*).

6. *Lectio* 3. Fratres per capitulum generale aut Reverendissimum Magistrum Ordinis pro reformatione, erectione, vel quavis alia ex causa missi, ordinati aut definiti, si hujusmodi ordinationi contradixerint, vel sine licentia Reverendissimi Patris Generalis aut Patrum Visitatorum regressi fuerint ad proprium conventum, loco et voce sint ipso facto privati, nec promoveantur ad aliquod officium, donec per capitulum Generale reha-

(*a*) 1631. (*b*) Concil. Turon. c. 1, c. 12. Trid. (*c*) 1495.

bilitentur. Eadem poena digni sunt, qui hujusmodi fratres in hoc fovent et ad rebelliones incitant (*a*).

7. *Lectio* 4. Fratres per obedientiam ad alium conventum transeuntes, honesto duntaxat habitu vestiti abeant, nihil praeterea nisi manuscripta sua et honestum viaticum comportando, qui etiam, dum ad suos conventus aut alios remittuntur, prout venerunt, dimittantur (*b*).

8. Missi quoque pro reformatione alicujus conventus plenariam debent habere vocem in omnibus, sicut fratres conventuales, etiam in ipsius domus Prioris electione (*c*).

9. Qui inverecunde et importune laborant, ut ad alias Ordinis domus transferantur, alias minantes Ordinem exire, tales praesumptuosi ipso facto sint voce privati usque ad revocationem capituli generalis (*d*).

10. *Lectio* 5. Fratres Clerici emissi ante sacerdotium ad alios conventus non promoveantur ad Ordines sacros; nisi de consensu suorum Priorum, ubi professi sunt: authoritate tamen Reverendissimi Patris Generalis semper salva (*e*).

11. Nulli liceat a conventu suo recedere, etiam sub praetextu ad superiores suos accedendi; nisi ab iisdem missi aut vocati fuerint. Qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento, extra septa monasterii repertus fuerit, tanquam desertor sui instituti puniatur (*f*).

12. *Lectio* 6. Si aliquis frater alicujus domus, in qua communis vita in abdicatione et ministratione rerum et temporalium necessariorum non servatur, voluerit emendare vitam suam, potest talis libere transire in aliam domum, ubi communiter vivitur, petita prius licentia a Reverendissimo Patre aut visita-

(*a*) Dist. 20 c. contumaces et 20, q. 4, c. monachum. Extra. de regularib. c. Joannes. — 1486, 1539. (*b*) 1631. (*c*) 1418. (*d*) 1446.

(*e*) Clement. 1, de statut. mon. § ad ampliat. ext. de temp. ordin. c. ad aures 16, q. 1, c. monachi. c. cum pro utilitate. — 1425.

(*f*) Concil. Trid. ss. 25, c. 4. — 1482.

toribus et potest Prior et fratres, ad quos sic declinaverit, eum recipere, si eis facultas suppetit.

13. *Lectio* 7. Firmiter observari volumus ab omnibus Prioribus et conventibus, a quocunque vel quibuscunque impugnatis, in quantum vexatio vergit in detrimentum Ordinis nostri, quod ex tunc obligati manebunt ad resistendum et propugnandum Privilegia Ordinis nostri, quamdiu eis facultas suppetit. Quod si pauperes et extenuati fuerint et id efficere non possint, secundum discretionem et ordinationem capituli generalis dictos conventus Ordo relevabit (*a*).

CAPUT SECUNDUM.

De Electione Prioris Conventualis.

1. *Lectio* 1. Priores a suis conventibus secundum formam canonicam eligantur. Ille, in quem plures ultra medietatem eligentium concordaverint, pro Priore habeatur, et a Priore Huyensi vel suo Visitatore confirmetur (*b*).

2. Si autem infra mensem Priorem non elegerint, Prior Huyensis provideat eis de Priore.

3. Prior de consilio Seniorum instituat Suppriorem, cujus cura erit diligentiam circa conventum habere et delinquentes corripere (*c*).

4. Qui in Ordinibus sacris non sunt constituti, vocem in electione Prioris non habeant (*d*).

5. *Lectio* 2. Priores singulis annis ad minus semel computationem faciant de receptis et expositis per se coram suis conventibus.

(*a*) 25. q. 2, cap. privilegia et fere per totum et 23 q. 3 c. nos inferenda. — 1497.

(*b*) Innocent. 6, in Bulla. (*c*) Dist. 89, c. singula.

(*d*) Trid. ss 22, c. 4, et Clement. de aetate proficiend. c. Ut hi.

6. Nullus Prior usurpet sibi visitationem extraneorum conventuum, sororum monialium aut aliorum quorumcunque sine licentia capituli generalis (*a*).

7. Locus Prioris in Choro sit in fine transversarum sedium. Ejus vero locus in absentia ejusdem tam in Choro quam in refectorio vacet; nisi per alium Praelatum occupetur. Cum vero Reverendissimus Pater Generalis aut ejus visitator praesens fuerit; vacabit locus Prioris in Choro, refectorio et aliis locis in omnibus conventibus et servabitur Reverendissimo Patri Generali aut Visitatori, durante eorum praesentia, et non Praelato locali (*b*).

8. *Lectio*. 3. Nulla bona conventus et ecclesiae clenodia pretiosiora vendere, alienare aut permutare possint Priores, absque speciali licentia capituli generalis et consensu saltem majoris partis capituli conventus. Quod si contra factum fuerit, nullitatem attentatorum declaramus. Nec sufficiat licentiatorium generale ad praetacta agenda (*c*).

9. *Lectio* 4. Qui petunt literas cujuscunque contractus sigillari a Reverendissimo Patre Generali, prius transmittant easdem sigillatas et munitas sigillo conventuum suorum. Obtento vero consensu Reverendissimi Patris Generalis et majoris partis capituli domus de quacunque re facienda, impignoranda, alienanda etc., quicunque postea palam reclamaverit aut pertinaciter contradixerit, sit voce et officio, si quod habeat, ipso facto privatus, non restituendus, nisi de licentia et consensu capituli generalis (*d*).

10. *Lectio* 5. Cum ex concessione summorum Pontificum Rev. Patri et Visitatoribus aut ab iisdem deputatis potestas sit concessa dispensandi super certis Irregularitatibus; hinc

(*a*) 1411, 1463, 1500. (*b*) 1476, 1500.

(*c*) Extra. de rebus eccles. non alienand. c. nulli. c. cum Laicis. Clement. c. Monasteriorum. 12, q. 2, c. statuimus. c. diaconi c. Abbatibus. 17, q. 4, c. in venditionibus, Eugenius IV, in Bulla. — 1421, 1492, 1542.

(*d*) 1469, 1493.

Priores non dispensent super hujusmodi irregularitatibus, nisi alicui ex speciali commissione haec potestas sit data (*a*).

11. Mandatur omnibus Sacerdotibus, Clericis et laicis fratribus, in virtute Sanctae Obedientiae et sub poena privationis vocis, loci et beneficiorum Ordinis; quatenus omnem operam sibi possibilem, omni excusatione postposita, Priori et Suppriori in corrigendis fratrum excessibus, etiam ad poenam carceris, impendant, non restituendi, nisi per Reverendissimum Patrem Generalem (*b*).

12. *Lectio* 6. Priores per electionem capitulorum suorum canonice electi et instituti, non nisi ob manifestas causas mutari possunt et debent; videlicet, si fuerint dilapidatores, si vixerint incontinenter, aut tale quid egerint, pro quo merito videantur amovendi, aut etiam si pro necessitate majoris officii fuerint transferendi. Quicunque ergo perperam Priores suos diffamare, accusare et ad eorum depositionem contra Juris formam, et ordine infra scripto praetergresso, inverecunde et pervicaciter, vel absque monitione praeviâ, laborare praesumpserint, sint loco et voce privati et non obtemperantes poena gravioris culpae plectantur. Quod si in veritate constet fratres gravari, seniores et saniores, de partialitate non suspecti, controversiam componant; aut aliquem ex vicinioribus Prioribus advocent, qui matura deliberatione materiam expediant. Quod vel maxime observandum est circa juniores, qui ex levi vel nulla causa appellant a correctione suorum Priorum ad Reverendiss. Patrem Generalem. Considerantes ergo hujusmodi appellationem tantum esse audaciae fulcimentum et retinaculum, declaramus semel pro semper, eam esse nullius momenti, Prioresque procedere debere contra ejusmodi ad praetactas poenas (*c*).

13. *Lectio* 7. Nulli Priorum liceat ulla temeritate officium suum deserere conventum relinquendo, nisi prius reddita villi-

(*a*) Joēs 22, Eugenius 4, Innocent. 8, in Bull. (*b*) 1464, 1505.
(*c*) Bulla Benedicti 12. — 1521.

cationis suae ratione, et impetrata a Reverendissimo Patre Generali vel ejus Visitatoribus absolutione, sub poenis privationis vocis activae et passivae et suspensionis a Divinis, nisi forte periculum vitae immineat (*a*).

14. Priores electi in conventibus non suis, si contingat eos ab officio sine culpa sua supportari, possunt in iisdem conventibus remanere, si velint, tanquam seniores domus ad determinationem capituli generalis (*b*).

15. *Lectio* 8. Priores, qui decem annis honeste conversati fuerint in officio Prioratus, si ob senium, debilitatem vel suam aut aliorum instantiam supportantur, habeant locum ubique post Suppriorem, sintque supportati ab officio et oneribus chori et conventus: visitent autem chorum secundum suam valetudinem et capituli generalis ordinationem. Quicunque etiam proterve cum eis contendere praesumpserit, eandem incurrat poenam, ac si contra Praelatum se erexisset, gaudeantque procuratione in victu, vestitu aliisque necessariis, juxta discretionem et ordinationem Reverendissimi Patris Generalis cum officio potius cedant, quam ab eo amoveantur (*c*).

16. *Lectio* 9. Relicta Priorum localium, vita decedentium, conserventur et nullatenus distrahantur sub iisdem poenis, quae decretae sunt auferentibus vel distrahentibus, relicta Reverendissimi Patris Generalis, donec conventui de novo Priore fuerit provisum et ipse novus Prior electus et confirmatus personaliter, praesentibus Patribus Suppriore, Procuratore et senioribus, ea attigerit (*d*).

(*a*) 1558, 1578. — Extra. de renuntiatione c. admonet. 7, q. 1, c. quam periculosum c. si quis Presbyter, c. eos Sacerdotes, c. suggestum c. adversitas. (*b*) 1522. (*c*) 1503, 1528.

(*d*) In 6, de off. ord. c. praesenti in 6, de electione c. quia saepe 12, q. 2, c. non liceat. — 1408.

De Institutione Supprioris.

1. *Lectio* 10. Supprior instituatur de consilio, licet non de consensu seniorum a Priore: cujus cura erit diligentiam circa conventum habere et delinquentes corripere. Per hoc tamen non excluditur authoritas Reverendissimi Patris aut capituli generalis aut Visitatorum, quin evidente necessitate aut utilitate domus vel Ordinis exigente, desuper per ipsos conventui vel conventibus provideri possit (*a*).

2. Suppriores ob reverentiam Priorum, quorum vices gerere dignoscuntur, in absentia eorum dicant: *Confiteor*, *Fidelium animae*, *Adjutorium*, etc. et dabunt post Completorium Benedictionem hoc modo: *Benedictio Dei Omnipotentis Patris et Filii et Spiritus S. descendat super nos* etc (*b*).

3. *Lectio* 11. Supprior et alii fratres deputati ad audiendum fratrum confessiones, mittant eos in criminalibus, scilicet casibus reservatis, ad Priorem, etiamsi secreta peccata fuerint (*c*).

4. *Lectio* 12. Casus autem, qui a Praelatis reservari possunt, ac ubique reservati intelligi debent (relicta tamen capitulo generali pauciores, si velit, aut alios si judicaverit expedire, reservandi facultate) sunt hi: 1°. Veneficia, Incantationes, sortilegia. 2°. Apostasia a Religione sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa Monasterii seu conventus fiat egressus. 3°. Nocturna et furtiva e Monasterio seu conventu egressio, etiam animo non apostatandi facta. 4°. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. 5°. Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo. 6°. Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto. 7°. Falsificatio manus seu Sigilli Officialium conventus. 8°. Furtum de rebus Monasterii in ea quantitate, quae sit peccatum mortale. 9°. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10°. Occisio, Vulneratio seu

(*a*) 1495. (*b*) 1495. (*c*) In 6, de poenitentiis. c. Si Episcopus. — 1429.

gravis percussio cujuscunque personae. 11°. Malitiosum impedimentum aut retardatio aut apertio literarum a Superioribus ad inferiores aut ab inferioribus ad Superiores. Si quod aliud grave peccatum pro Religionis conservatione aut conscientiae puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis capituli in toto Ordine, aut Provincialis in provincia matura discussione et consensu *(a)*.

5. *Lectio* 13. Nullus audiat saecularium confessiones absque licentia Prioris et approbatione Ordinarii sub poena gravioris culpae et suspensione a Divinis *(b)*.

6. Modus absolutionis servetur iste: Audita Confessione et imposita poenitentia, dicatur: *Misereatur tui* etc. *Dominus noster Jesus Christus te absolvat et ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et indiges. Deinde te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen.* Si poenitens fuerit Laicus, omittitur verbum *suspensionis*. Sequitur. *Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. Mariae Virginis et omnium Sanctorum, quicquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.*

De Procuratore Conventus.

1. *Lectio* 14. Ubi copia est fratrum in aliqua domo, constituat Prior Procuratorem eo, quo Supprior instituitur modo, scilicet de consilio seniorum, licet non de consensu *(c)*.

2. Hic quotiescunque Priori et conventui placuerit, computationem de receptis et expensis aliisque coram Priore, Suppriore et aliis quatuor senioribus faciet *(d)*.

(*a*) Clemens 8. Anno 1593. — Clemens 2. Anno 1593.

(*b*) Concil. Tri. ss. 23, c. 15. Clement. c. dudum § ac deinde de sepulturis. — 1617, 1628.

(*c*) Dist. 89, c. quia et 9, q. 3, c. cum simus. — 1419, 1431. (*d*) 1412.

3. Non provideat sibi plus de necessariis, quam caeteris fratribus, nisi de scitu sui Prioris *(a)*.

4. Non exeat conventum, nisi de licentia Prioris, aut ejus vices gerentis et cum socio sibi assignato (*b*).

5. Non loquatur libere extra tempus fratribus Clericis aut Sacerdotibus, nisi de licentia Prioris (*c*).

6. *Lectio* 15. Difficilem se non praebeat in procurandis necessariis secundum dispositionem Prioris, ad evitanda murmura et gravia scandala, quae ex defectu procurationis oriuntur: nec ea fratres importune exigant, sed humiliter petant. Ad quod diligenter quoque advigilent Priores excusationibus ob temporis angustiam omissis: certo enim constat statum monasticae pietatis in vita regulari conservari non posse a teterrimo proprietatis scelere immunem, nec Priores libere posse increpare et punire delinquentes; nisi cuique in communi tribuantur necessaria, juxta doctrinam et exemplum Apostolorum, qui dividebant singulis, prout cuique opus erat (*d*).

7. *Lectio* 16. Quoniam vero omnibus Prioribus in confirmatione ipsorum datur plenaria potestas et administratio conventuum suorum in spiritualibus et temporalibus; hinc praecipimus omnibus Procuratoribus sub poenis inobedientiae et privationis suorum officiorum, ut omnia de consilio et assensu Priorum suorum faciant et disponant, attento quod ipsi Priorum suorum sint ministri et adjutores in temporalibus tantum, veluti Suppriores in spiritualibus (*e*).

8. Procuratores quoque et quicunque alii officiales et fratres ad exequenda negotia a suis missi superioribus, expeditis iis, directe ad conventum se recipiant, nullatenus sub tali praetextu alio declinantes. Qui contra fecerint, poena statutaria mulctentur.

(*a*) 1509, 1587. (*b*) 1509. (*c*) 1509. (*d*) 16. q. 7, c. quoniam. — 1576. — Trid. ss. 25, c. 2. Actorum. — 1583. (*e*) 18. q 2, c. nullam potestatem. — Dist. 89, c. quia 16, q. 7, c. quoniam dist. 19, c. ad hoc.

CAPUT TERTIUM.

De Electione Prioris Generalis.

1. *Lectio* 1. Statuimus, quod si ante Dominicam tertiam post Octavas Paschae Priorem Huyensem mori contigerit, Supprior ejusdem loci omnibus conventibus Ordinis cum festinatione obitum ejus denuntiet et ille conventus, cui primum denuntiatus fuerit, teneatur reliquis similiter nuntiare. Si autem post Dominicam praedictam Prior Huyensis decesserit, ejus obitus nihilominus nuntietur.

2. Mortuo igitur Priore Huyensi vel amoto, definitores capituli generalis in omnibus, quousque Prior Huyensis sit electus, plenariam ipsius potestatem obtineant, et omnes eis tanquam Priori Huyensi teneantur in omnibus obedire.

3. *Lectio* 2. Si autem definitores, qui cum conventu Huyensi majorem Priorem debent eligere, inter se medio tempore super aliquo discordaverint, obtineat sententia plurium. Quod si partes fuerint pares, assumant unum Priorem, et cui parti concordaverit, vigorem obtineat firmitatis. Quod si adhuc discordaverint, iterum alius eligatur, donec in altera parte possit major numerus inveniri.

4. *Lectio* 3. Definitores igitur praesentis et praeteriti capituli Generalis in domo Huyensi ad faciendam electionem majoris Prioris conveniant. Qui postquam fuerint congregati, a fratribus ejusdem loci, una cum conventualibus vocalibus ipsius domus, in uno conclavi firmiter concludantur, ita ut nullatenus egredi valeant, nec eis ullo modo aliqua alimenta subministrentur, quousque Prior Huyensis secundum formam canonicam sit electus. Hoc autem tam ab electoribus quam ab includentibus firmiter praecipimus observari. Quod si quis contraire praesumpserit, ipso facto sit excommunicatus, et poenam graviori culpae debitam sustineat.

5. *Lectio* 4. Forma autem electionis haec est: Electoribus supradicto modo inclusis, cum per disquisitionem vel scrutinium procedet electio, Definitores voluntates omnium Fratrum Huyensium in eadem domo disquirant et conscribant. Quod si Dei gratia inspirante in unum aliquem unanimiter concordaverint, ille Prior Huyensis habeatur. Si vero in partes inaequales se diviserint, ille, in quem plures medietate omnium eligentium consenserint, ex vi talis electionis et hujusmodi constitutionis sit major Prior.

6. Quod si aliquem vel aliquos de Electoribus contigerit non venire; nihilominus tamen per eos, qui advenerint, electio majoris Prioris celebretur. Hoc autem ita fiat, ut semper in Dominica tertia post octavas Paschae majorem Priorem habeat capitulum praesentem vel absentem, quia tunc incipit solenniter celebrari, ne Ordo acephalus judicetur.

7. *Lectio* 5. Haec omnia vero, quae circa electionem majoris Prioris statuta sunt, absque contradictione volumus et praecipimus firmiter observari. Quicunque autem ausus fuerit pertinaciter contradicere vel etiam rebellare, tanquam excommunicatus et schismaticus et destructor nostri Ordinis habeatur, et quousque satisfecerit a communione omnium sit penitus alienus, et poenae gravioris culpae subjaceat.

8. Praecipimus etiam in virtute Spiritus Sancti, ut nullus ante electionem Prioris Huyensis contra statum Ordinis audeat aliquid immutare (*a*).

9. *Lectio* 6. Quod si aliquem vel aliquos ex Definitoribus praedictis ad electionem vocatis non venire aut ab humanis discedere contingat, Definitores praedicti, qui tunc praesentes fuerint, possunt aliquem vel aliquos, Priorem vel Priores aliorum Ordinis conventuum, quem vel quos ad electionem praedictam idoneos et habiles esse cognoverint, secum assumere seu vocare (*b*).

(*a*) Ext. ne sede vacante. c. novit § attendentes. (*b*) Innoc. 7. in bul. — 1489.

10. Qui in ordinibus sacris non sunt constituti, vocem in electione non habeant (*a*).

11. *Lectio* 7. Cum contigerit Priorem Generalem cedere officio suo aut alias supportari, debet in loco speciali, quem elegerit, instar Praclati haberi et honorari, et statim post Priorem localem, etiam super alios Priores (nisi illo tempore Definitores aut Visitatores essent) in choro, refectorio et aliis locis locum tenere. Nec cogetur ad servandum ordinem, ut alii in legendo, serviendo ad mensam, in cantando seu legendo Missas et alia servitia et onera chori, conventus et capituli portando. In illis vero quae concernunt disciplinam regularem, debet se habere ad determinationem Prioris localis, juxta generalis capituli dictamen et suae valetudinis dispositionem. Pro ipso vero per mortem decedente fiant suffragia, ac si in Officio decessisset.

12. *Lectio* 8. Praecipimus sub poenis excommunicationis, privationis honoris et gravioris culpae, ne aliquis Prior vel frater, Reverendissimo Patre Generali defuncto, vel in periculo mortis constituto, in quocunque loco contingat eum infirmari vel decedere, praesumat exportare, auferre, occultare aut quovis ingenio aperire vel infringere, quaecunque deposita sunt penes eundem Reverendissimum Patrem, tam in camera, quam in aliis quibuscunque locis intus vel extra, quae concernant personam ejus vel Ordinem, nisi in praesentia Definitorum et electione celebrata (*b*).

13. Nomina singulorum Generalium a tempore reformationis defunctorum in libris Memoriarum scribantur (*c*).

(*a*) Clement. de aetate, praefix. c. ut hi. — 1603.

(*b*) 12. q. 2. c. non liceat. c. haec hujus et in 6, de offic. ordin. c. praesenti. Item in 6, de electione c. quia saepe. — 1507. (*c*) 1498.

CAPUT QUARTUM.

De Electione Definitorum Capituli Generalis.

1. *Lectio* 1. Statuimus quod in singulis capitulis generalibus quatuor Patres a conventuum Ordinis Patribus Prioribus et per commissionem qualificatis Procuratoribus praesentibus per schedas, in quibus eligentium nomina non adscribantur, eligantur, et in quibus plures concordaverint, pro Definitoribus habeantur. Si autem duo vel plures in votis fuerint aequales, quem Reverendissimus Pater voto suo decisivo nominaverit, pro Definitore a capitulo recipiatur (*a*).

2. *Lectio* 2. Quicunque Prior sine licentia aut legitima excusatione non venerit ad capitulum generale, sequenti anno seu capitulo non eligatur ab aliquo in Definitorem (*b*).

3. Definitores dicant culpas suas in generali capitulo sicut alii Priores etc. (*c*).

4. Dèfinitores generalis capituli usque ad capitulum proximum Generale erunt supra alios Priores Ordinis, in choro, mensa et alibi, exceptis Visitatoribus, dum in conventibus visitant, et Prioribus quibuslibet in conventibus suis (*d*).

CAPUT QUINTUM.

De Capitulo Quotidiano.

1. *Lectio* 1. Hora competente ante tertiam a Sacrista campana pulsetur, ut fratres ad capitulum venire non tardent. Ingresso conventu capitulum Lector pronuntiet Lunam et quae de Calendario pronuncianda sunt et sacerdos prosequatur: *Pretiosa* etc. deinde residentibus fratribus Lector pronuntiet lectionem de constitutionibus vel Evangelio pro tempore, praemisso: *Jube Domine benedicere* et Hebdomadarius subjungat: Benedic-

(*a*) Eugenius 4, Innocentius 8, in bulla, extra. de stat. mon. c. in singulis. (*b*) 1487. (*c*) 1431. (*d*) 1480.

tionem: *Regularibus disciplinis* etc. vel, *Divinum auxilium* pro tempore. Et facta absolutione pro defunctis dicat, qui tenet capitulum: *Benedicite.* Et responso *Dominus,* inclinent omnes. Deinde recitatis beneficiis et dicto a Priore: *Retribuere dignare* etc. Dictis etiam a conventu Psalmis: *Ad te levavi et De profundis: Kyrie eleison* cum *Pater noster:* subsecutis etiam tribus versibus: *oremus pro Domino Papa: salvos fac servos tuos: Requiescant in pace* ab Hebdomadario dicendis cum tribus collectis: *Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia: Praetende Domine famulis et famulabus: Fidelium Deus:* resideant fratres. Tunc Praelatus poterit dicere breviter, si quid ad correctionem et honestatem viderit expedire *(a).*

2. *Lectio* 2. Post haec egrediantur Novitii. Quibus egressis dicat, qui praeest: *Faciant venias qui se reos existimant.* Continuo, qui se reos intelligunt, prostrati veniam petant. Deinde surgentes humiliter dicant culpas suas. Et quorum culpa talis est, quae digna est correctione, praeparent se ad correctionem, quam Prior faciat vel ille, cui Prior injunxerit.

3. In capitulo vero nisi duabus de causis non loquantur, scilicet culpas suas vel aliorum dicendo simpliciter et Praelatis suis ad interrogata tantum respondendo. Uno etiam loquente alius non loquatur.

4. Nullus faciat proclamationem ex sola suspicione (*b*).

5. *Lectio* 3. Item nullus accuset de auditu, nisi dicat, a quo audierit, et ille sit praesens in domo (*c*).

6. Auditis vero culpis dicatur Psalmus: *Laudate Dominum omnes gentes,* cum versu: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam: Dominus vobiscum* et collecta: *Actiones nostras.* In fine dicat Prior: *Adjutorium nostrum:* et sic solvitur capitulum.

7. Capitulum culparum singulis quindenis ad minus, imo crebrius, si festi alicujus solennitas aut excessus fratris postu-

(a) Dist. 43, c. dispensatio. (*b*) 2. q. 1, c. primo semper.
(*c*) 3. q. 9, c. testes.

laverit, servetur. Quo in capitulo dicantur zelo disciplinae, amore hominum et odio vitiorum, quae ad correctionem monasticamque disciplinam spectant (*a*).

8. Si quis eo temeritatis devenerit, ut proterve ibidem loqui ausus fuerit, quantumvis acerbe pro correctione moneatur, juxta dictamen Prioris puniatur (*b*).

9. Nullus fratrum absque speciali consensu Reverendissimi Patris Generalis; nisi post primum annum Sacerdotii sui et nisi perfecte compleverit quatuor annos post Professionem, sit capitularis (*c*).

10. In rogationibus capitularibus, quae fiant in conventus commodum, sive de bonis permutandis aut alienandis, sive pro Novitiorum receptione et caet. cum nonnulli difficiles se praebeant, et praeter aequum morosos se exhibeant, ideo recusationis suae rationes dare teneantur: sin secus, ea vice voce carebunt (*d*).

11. Singuli quique conventus librum habeant in quo omnia, quae capitulari consensu conclusa fuerint, fideliter conscribantur, ad tollendas litium et cavillationum occasiones (*e*).

CAPUT SEXTUM.

De Capitulo Generali.

1. *Lectio* 1. Capitulum Generale in Domo Huyensi Ordinis S. Crucis celebretur. Nullus vero Prior ducat secum plures fratres, quam duos ad capitulum generale sine causa legitima. Quod si Priorem Huyensem abesse contigerit, nec vicem suam alteri commiserit, Supprior, ejusdem loci cum Definitoribus capituli in celebratione ejusdem procedat.

2. Praedicti igitur Definitores tractabunt omnia et definient cum Priore Huyensi. Quod si in suis definitionibus in partes

(*a*) Trid. ss. 12 c. 1. et dist. 45, c. licet c. disciplina c. sunt namque. — 1588. (*b*) 1588. (*c*) 1510. (*d*) 1572. (*e*) 15[illegible].

aequales se diviserint, illorum sententia praevalebit, in quorum partem Prior Huyensis concordaverit; sin vero partes sint inaequales, sententia plurium praevalebit (*a*).

3. *Lectio* 2. Isti etiam Definitores excessum Prioris Huyensis corrigant et emendent. Quod si praevaricator Ordinis fuerit aut contemptor, aut talis, quod Ordinis dissolutionem inducat, moneatur a Definitoribus, ut Prioratui cedat, et locum sibi specialem eligat; alioquin amovendi illum ab officio liberam habeant potestatem. Cessio autem Prioris Huyensis non admittatur a Definitoribus, nisi propter aliquod praedictorum (*b*).

4. *Lectio* 3. In virtute Spiritus Sancti et obedientiae praecipimus firmiter observari, ne quis causam depositionis Prioris Huyensis vel ejus excessum, vel correctionem, vel secretum capituli, sive dissensiones Definitorum vel fratrum, unde Ordo noster posset disturbari aut diffamari, audeat scienter extraneis publicare. Si quis autem ex deliberatione contrafecerit, tanquam excommunicatus et schismaticus et destructor Ordinis nostri habeatur, et quousque satisfecerit, a communione omnium fratrum sit penitus alienus (*c*).

5. Eadem districtione prohibemus, ne quis verbo vel facto ad divisionem Ordinis nostri, vel quod aliqua Domus a potestate Prioris Huyensis eximatur, audeat laborare. Quod si fecerit, poenae subiaceat supradictae, et per totum tempus vitae suae extremum locum sui Ordinis teneat, et vocem in capitulo non habeat, nisi in sui proclamatione.

6. *Lectio* 4. Statuimus autem in Virtute Spiritus Sancti et obedientiae, ac sub interminatione anathematis prohibemus districte, ne Priores Definitoribus, vel Definitores Prioribus per suas definitiones aliquod praejudicium audeant generare. Quod

(*a*) Extra. de stat. mon. c. in singulis.

(*b*) Eugenius 4. Innocentius 8, in bulla. Trid. ss. 25, c, 20, extra. de stat. mon. c. cum ad monasterium.

(*c*) Dist. 96, c. in scripturis 5, q. 5, c. qui ambulat.

si facere attentaverint, eadem districtione prohibemus, ne in hoc aliquis praesumat eis obedire.

7. Statuimus insuper, ut omnes Priores cum suis sociis ad capitulum veniant generale (*a*).

8. Priores cum suo conventu capitulo generali scribant debita domus suae et causas debitorum.

9. Nullus vero Religiosus alterius professionis vel Ordinis nullusque secularis, cujuscunque Ordinis vel Dignitatis vel professionis vel vitae, secretis capituli tractatibus aliquatenus admittatur.

10. *Lectio* 5. Cum autem fratres in capitulum venerint, primo omnium invocetur Spiritus Sanctus, a quo filii Dei aguntur et dicatur versus: *Emitte Spiritum tuum*, cum collecta de Spiritu Sancto. Deinde residentibus fratribus et loca sua tenentibus, ut verbo Dei coeli firmentur, verbum Dei in commune fiat. Sermoni autem interesse poterunt, qui ad aedificationem interesse voluerint.

11. Finito sermone, quia indigentibus quantocius subveniendum est, obitus fratrum nostrorum ab ultimo capitulo defunctorum in communi recitentur, et fiat eis communis absolutio, et dicatur pro eis Psalmus: *De profundis; Kyrie eleison; Pater noster*, cum versu: *A porta inferi*, et Oratione: *Absolve Domine.*

12. *Lectio* 6. Postmodum, si legendae sint literae, legantur et eis suo tempore cum consilio respondeatur. Et tunc omnes, qui non sunt de capitulo, egrediantur. Quibus egressis, qui missi sunt ad excusandum eos, qui non adsunt, ad quid venerint, loquantur. Deinde culpae audiantur. Ut autem in exeundo modus servetur, nullus exeat sine licentia et necessitate; egressus autem non discurrat, sed expleta necessitate citius revertatur.

13. Qui autem in praesenti anno visitare debuerant, et non sicut oportuit, fecerunt, culpam suam dicant et dignae vindictae

(*a*) Innocentius 6. Eugenius 4, in bulla.

subjaceant. Tunc etiam absentibus qui adesse debuerant, et iis qui peccaverunt et non satisfecerunt, poenitentia scripta mittatur *(a)*.

14. *Lectio* 7. Conventus vero, qui mittit accusationes ad capitulum generale, scribat numerum et nomina accusantium, et si accusant de visu vel auditu.

15. Qui autem habent quaestiones facere proprias sive communes ad Ordinem vel praedicationem pertinentes, proponant coram Patribus a Priore Huyensi et Definitoribus ad hoc statutis, ut suo loco et tempore solvantur et terminentur,

16. Si qua vero dissensio inter Fratres Ordinis nostri (quod absit) emerserit super aliquibus rebus, cum praeponenda sint spiritualia temporalibus, non inde agatur in capitulo; sed dicti Patres extra capitulum discussa veritate dissensiones dirimant et inter fratres pacem restituant.

17. *Lectio* 8. De solutione autem et terminatione quaestionum, de correctione fratrum et modo poenitentiarum et fratribus ad praedicandum et studendum et domos construendum, ad diversas partes mittendis, Praelatus major cum Definitoribus tractabit, et quicquid inde Spiritu Sancto donante ordinaverint, capitulum universaliter, unanimiter et devote suscipiat, nullus murmuret, nullus reclamet, nullus contradicat *(b)*.

18. In fine fiat communis confessio et absolutio: perseverantibus benedictio, apostatis et profugis maledictio.

19. *Lectio* 9. Generale statutum Ordinis (vel consuetudinem) diu obtentum et communiter in Ordine approbatum nec Prior Huyensis, nec Definitores aliquatenus valeant immutare, nisi per tria capitula fuerit approbatum.

20. Ea vero, quae de capitulo generali dicta sunt, Dominica tertia post octavas Paschae, scilicet *Cantate*, debent inchoari, in quam Dominicam capitulum ob majorem convenientiam duxi-

(*a*) Extra. de stat. mon. c. ea quae § sequentes.
(*b*) Ext. de statu Monachorum, c. in singulis.

mus transferendum, volentes, ut de caetero in dicta Dominica et duobus diebus immediate sequentibus singulis trienniis celebretur (*a*).

21. In qua Dominica unusquisque conventus cantare tenebitur Missam de Spiritu Sancto immediate post Primam cum collectis: *Praetende Domine famulis tuis, et Concede quaesumus omnipotens Deus, ut intercessio nos Sanctae Dei Genitricis* etc. Et omnes ad capitulum venire debentes sabbatho ante Dominicam *Cantate* adesse teneantur (*b*).

22. *Lectio* 10. Quando festum Inventionis Sanctae Crucis venerit sabbatho ante Dominicam *Cantate*, Priores adstricti erunt cum suis Procuratoribus feria sexta praecedente comparere, et sabbathum, videlicet dies Sanctae Crucis, erit prima dies capituli, et in die dicta Sanctae Crucis Missa de Spiritu Sancto post Primam solenniter cantetur (*c*).

23. Quando vero festum Sanctae Crucis feria quarta post Dominicam *Cantate* evenerit, adstricti erunt singuli Priores cum suis Procuratoribus ipsa Dominica *Cantate* comparere, et feria secunda sequens erit prima dies capituli (*d*).

24. *Lectio* 11. Pro Patribus proficiscentibus ad capitulum preces dicantur flexis genibus, a Feria secunda post octavas Paschae usque ad Dominicam *Cantate*, omni die post Nonam vel Officium Defunctorum: nempe Psalmus: *Ad te levavi oculos meos*, cum antiphona *Veni Sancte Spiritus, reple* etc. *Kyrie eleison, Pater noster*, cum versibus: *Emitte Spiritum tuum et salvos fac servos tuos. Dominus vobiscum*, et collectis: *Deus qui corda fidelium, Adesto supplicationibus nostris et viam famulorum* etc. (*e*).

25. Pro redeuntibus a capitulo dicatur a Feria quarta post capitulum usque ad Ascensionem Domini exclusive suffragium, sicut ante capitulum; sed omittantur Antiphona, versus et collecta de Spiritu Sancto (*f*).

(*a*) 1414. (*b*) 1434, 1487. (*c*) 1488. (*d*) 1558, 1589.
(*e*) 1461. — In Ordinario. (*f*) 1517.

26. *Lectio* 12. Rectores quoque Domorum nostrarum novarum et antiquarum ad capitulum generale sicut Priores, tempestive venire sint adstricti et culpas suas dicant (*a*).

27. Quicunque non comparuerint in capitulo generali, nec absentiae suae causas per literas significaverint, a Visitatoribus facta desuper inquisitione, puniantur (*b*).

28. Quod si Prior legitime impeditus venire non possit, mittat pro se Suppriorem suum vel Procuratorem vel alium quemvis (*c*).

29. Etsi vero Prior vel conventus aliquis licentiam non veniendi ad capitulum generale obtinuerit, obligatus tamen maneat transmittere ad capitulum contributionem cum designatione status conventus per Procuratorem legitimum sub poena privationis beneficiorum et privilegiorum Ordinis, donec transmiserit et cum effectu satisfecerit (*d*).

30. *Lectio* 13. Cum statutum sit, ne quis verbo vel facto ad divisionem Ordinis nostri et quod aliqua Domus a potestate Prioris Huyensis eximatur, audeat laborare, definiendo interpretamur, quod hoc non tantum de Domibus, verum etiam de singulis personis Reverendissimo nostro Patri et capitulo generali subjectis, sub praedictis poenis sit intelligendum. Hoc quoque praecipitur in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis Ordinem nostrum professis, ne in suis negotiis, causis, controversiis, etc. quas habent aut habere possunt ad invicem ad ullum Episcopum vel Magistratum refugiant; sed ad Reverendissimum Patrem Generalem, vel Visitatores, vel capitulum generale sub poenis excommunicationis et privationis omnium beneficiorum Ordinis in vita pariter et in morte; cum authoritatem et jurisdictionem in Religiosos Reverendissimis Magis-

(*a*) 1446.

(*b*) Extra. de major. et obed. c. quod super dist. 17 c. non placuit. c. Si quis. — 1518.

(*c*) 1576. (*d*) 1481, 1499.

tris et capitulis generalibus subjectos nullam habeant, ut constat etiam ex Tridentina (*a*).

31. *Lectio* 14. Quilibet Prior assumat semper et ducat secum socium Procuratorem et non faciens sine legitima causa, voce in electione Definitorum ea vice careat (*b*).

32. Ipse vero Procurator ad capitulum iturus, portabit secum literas testimoniales, sigillo sui conventus sigillatas et manibus fratrum capitularium subscriptas, in quibus continebitur authoritas per conventum sibi data consentiendi seu concludendi in causis et casibus Ordinem concernentibus; in quibus etiam scribantur debita et causae debitorum; alioquin contrarium facientes vocem ea vice in capitulo generali non habebunt (*c*).

33. *Lectio* 15. Quod si Prior aliquem socium assumpserit, conventui ex rationabili causa suspectum, cui fratres capitulares negotia sua committere non auderent nec confiderent, eo casu iidem fratres possint adjungere tertium, de quo confidant, cui agenda sunt committant, quia secundum statuta licet Priori venire cum duobus sociis ad capitulum generale (*d*).

34. *Lectio* 16. Forma autem Procuratorii talis est: *Reverendissimo et admodum Reverendis Patribus Magistro Generali et Definitoribus capituli generalis Ordinis S. Crucis anni hujus N. N. humiles Filii Fratres Conventus N. Ordinis ejusdem sincerae Obedientiae obsequium cum reverentiali honore.*

Reverendissime Pater et admodum Reverendi in Christo Patres. Praesentium exhibitorem P. Fratrem N. N. unanimi consensu et deliberatione capitulari omnibus melioribus modo et forma, quibus efficacius potuimus et debuimus, in nostri praedicti conventus Procuratorem hac vice duximus constituendum et constituimus, dantes eidem Procuratori nostro speciale et generale mandatum vice nostra in causis et casibus Ordinis emergentibus consentiendi et concludendi et omnia alia et singula faciendi, quae nos personaliter facere possemus, si praesentes existeremus: promittentes etiam ra-

(*a*) 1497, 1578. — Innocentius 6, in bulla. (*b*) 1425. (*c*) 1452. (*d*) 1442.

tum, gratum et firmum nos habituros, quicquid per praenominatum nostrum Procuratorem actum, dictum seu gestum fuerit in praetactis. Insuper de debitis et causis debitorum nostri conventus praenominati Reverendissimae et admodum Reverendis vestris Paternitatibus notificamus, quod teneamur in etc. ex causa N. N. In quorum omnium fidem et testimonium majoris nostri conventus sigilli subimpressione et propriarum manuum subscriptione praesens Procuratorium communivimus. Datum anno N. die N. mensis N. (a).

35. *Lectio* 17. Declaramus quod articulus ille: *Ne quis revelet secretum capituli aut dissensiones fratrum*, non tantum de secreto aut dissensione Fratrum Capituli Generalis, sed etiam Conventualis Capituli sub iisdem poenis intelligendus sit *(b)*.

36. Porro ad communem necessitatem et utilitatem Ordinis singuli conventus per universum Ordinem singulis capitulis Generalibus contribuant et mittant, quantum Reverendissimo Patri Generali ac Patribus Definitoribus videbitur, ad certum et securum locum deponendum.

37. Ad cujus pecuniae custodiam fieri et conservari debet cista bene serata et firmata in Domo Huyensi, cum tribus distinctis seris et clavibus collocanda, cujus claves Priori Huyensi et duobus Definitoribus cujuslibet capituli, vel aliis ad dispositionem ejusdem capituli generalis dabuntur tenendae et conservandae (*c*).

CAPUT SEPTIMUM.

De Visitatoribus.

1. *Lectio* 1. Statuimus quod Prior Huyensis semel in triennio totum Ordinem per se vel per alium visitet.

2. Similiter Provinciales vel Visitatores deputati a capitulo generali conventus sibi commissos quolibet anno visitent *(d)*.

3. Visitatio vero tribus diebus continuis terminetur. Si quae

(*a*) 1453. (*b*) 1448, 1491. (*c*) 1416.
(*d*) Eugenius 4. Innocentius 3, in bullis.

vero gravia et periculosa invenerint, licet correcta fuerint, nihilominus cum testimonio majoris partis capituli ejusdem domus generali capitulo studeant nunciare.

4. Visitatores autem praesentes verbo, absentes scripto referre debent capitulo generali de his, quos visitaverunt, fratribus: si in pace constituti, si in studio assidui, in praedicatione ferventes: quae de eis fama, quis fructus: si in victu et vestitu et aliis secundum tenorem Institutionum ordo servetur.

5. *Lectio* 2. Cum etiam Priores et conventus juxta tenorem constitutionum sint adstricti reddere rationem de suo statu tempore Visitationis et capituli generalis; hinc mandamus omnibus et singulis Prioribus et Fratribus nostris in virtute Sanctae Obedientiae, quatenus de cunctis levatis et levandis, creditis et debitis, receptis et expensis, tum in redditibus et pensionibus perpetuis seu vitalibus, tum in pecuniis seu donariis cum caeteris proventibus et emolumentis Visitatoribus suis, sicut et cuilibet generali capitulo statum conventus sui rite, legitime et absque fuco et tergiversatione aliqua plane declarent (*a*).

6. *Lectio* 3. Depositiones seu accusationes quorumvis fratrum adversus Praelatum vel alium quemcunque non recipiantur; nisi prius deponens seu accusans ad poenam talionis se adstringat, ut si in legitima probatione juxta tenorem juris canonici defecerit, juridice luat (*b*).

7. Si qui fratrum, quod semel dixerint aut deposuerint de Priore aut fratribus suis, quod iteratum non fuerit, coram iisdem vel aliis Visitatoribus in sequenti visitatione reproduxerint, sint voce privati et inferiorem locum in suo gradu teneant usque ad revocationem Visitatorum (*c*).

8. *Lectio* 4. Habeant autem Visitatores accuratam rationem regulae et statutorum, et praecipue trium votorum essentialium, et vel maxime extirpationi turpissimae et diabolicae proprieta-

(*a*) Ext. de stat. Monach. c. ea quae. — 1452, 1500.
(*b*) 1488. (*c*) 1490.

tis intendant; et e contra ad caelestis et angelicae communitatis in omnes conventus restitutionem aut conservationem sedulo invigilent atque omnia eo conducentia media praescribant. Castitatis quoque munimenta per strictissimam clausurae observantiam aliarumque religiosarum virtutum cultum disponant. Quos ergo domorum, quas visitant, Praelatos negligentiores in praedictis repererint, authoritate sibi data ab officiis eximere curent (*a*).

9. Tempore visitationis, cum Prior capitulatur, stent fratres erecti ob reverentiam sui Prioris.

10. In qualibet visitatione relinquatur conventibus relictum a Visitatoribus, quod sequentibus Visitatoribus ostendatur (*b*).

11. *Lectio* 5. Donati ad scrutinium accusationemque fratrum non admittantur tempore Visitationis. Si quid vero tempore Visitationis depositione dignum sciverint, aut deponere voluerint pro utilitate domus et regularis disciplinae conservatione, hoc Suppriori aut Procuratori significent, ut illi Reverendissimo Patri aut Visitatoribus id ipsum exponant. Nihilominus tamen laici ipsi in capitulo Visitationis, per Reverendissimum Patrem Generalem aut Visitatores servato, adstricti erunt comparere, et condignam de suis excessibus poenitentiam subire.

12. *Lectio* 6. Memores sint Visitatores in suis Visitationibus Concilii Tridentini et caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam sint onerosi, et ne quicquam per se aut per suos procurationis causa pro Visitatione petant, nec munus, nec pecuniam sive ultronee aut qualitercunque oblatum recipiant, non obstante quacunque consuetudine etiam immemorabili, exceptis tantum viatico et victualibus, quae a Visitatis frugaliter moderateque Visitatoribus erunt ministranda (*c*).

(*a*) Trid. ss. 25, c. 1. — Extra. de stat. mon. c. cum ea, § Si vero. Eugenius 4. Innocentius 8, in bullis. — 1464, 1624. (*b*) 1488.

(*c*) Trid. ss. 24, c. 3 et 10, q. 3, o. cavendum c. inter caetera et in 6 de censib. c. Romana § caveat. — 1631.

13. *Lectio* 7. Insuper volumus, quod conventus, quem Reverendissimus Pater Generalis visitaverit, quia pro sui status et honoris conservatione aliunde pluribus indiget, ultra stipendium sit adstrictus, personam Reverendissimi Patris cum suis comitibus ad proximiorem conventum Ordinis suis expensis ad ejusdem Reverendissimi Patris Generalis discretionem deducere (*a*).

14. Si vero causis emergentitibus aliqua domus medio tempore saepius visitari indiguerit, ordinet et disponat cum suis Visitatoribus necessaria ipsis in exitu et reditu procurando et ministrando (*b*).

CAPUT OCTAVUM.

De Cellis.

1. *Lectio* 1. Unusquisque Fratrum Clericorum cellam suam habeat, si fieri potest, in qua cistam habeat ad custodiendum libros suos et res alias sibi concessas (*c*).

2. In libris Gentilium et Philosophorum non studeant: et si ad horam inspiciant, saeculares scientias non addiscant, neque artes, quas vocant, liberales, nisi circa aliquos Prior Huyensis vel generale capitulum voluerit aliter dispensare; sed tantum libros Theologicos tam juvenes quam alii legant.

3. Ipsi vero studio taliter sint intenti, ut de die, de nocte, in domo vel itinere legant aliquid vel meditentur, et quicquid poterunt, cordetenus retinere nitantur (*d*).

4. In cellis vero scribere, orare, legere et de nocte aliquando ad lumen vigilare possunt de licentia propter studium.

5. *Lectio* 2. Nullus hora illa, qua debet esse in cella, per domum vagabundus discurrat; discurrens vero in capitulo proclametur, et ei condigna poenitentia injungatur.

6. Si quis autem in studio inveniatur infructuosus, cella

(*a*) 1495. (*b*) 1422. (*c*) Concil. Turon. 2, c. 10.
(*d*) Dist. 5 de cons. c. nunquam, dist. 38, c. 1, et seqq.

ejus detur alteri, et ipse in aliis officiis occupetur. Dominicis diebus et festis praecipuis a quaternionibus scribendis se contineant (*a*).

7. Nullus fratrum nostrorum in psalmis vel Prophetis legat alium sensum literalen, nisi quem Sancti approbant et confirmant.

8. Omnes fratres pro pietatis et studiorum exercitio alternative tam Dominicis quam festivis diebus in capitulo vel refectorio sermonem habeant; nisi certis de causis aliud Prioribus visum fuerit, quod illorum discretioni committimus (*b*).

9. *Lectio* 3. Nullus fratrum clausuram habeat cistae aut cujuslibet custodiae, de qua Prior non habuerit clavem (*c*).

10. Quicunque autem clausuras vel seras in cameris, januis, cistis fabricari aut affigi procuraverint, quarum Prior non habeat claves, condigna poena mulctentur (*d*).

11. Prior saepius fratrum cellas visitet et teneantur fratres vi statutorum singula, quae ad usum habent, ei exhibere, ut secundum suam discretionem superflua tollat et de necessariis provideat. Arma quoque in cellis fratrum non tolerentur sub poena gravioris culpae (*e*).

CAPUT NONUM.

De Itinerantibus.

1. *Lectio* 1. Fratres nostri, euntes ad praedicationis officium exercendum, aut alias itinerantes, aurum, argentum, pecuniam et munera non portabunt, excepto necessario viatico et aliis necessariis indumentis et libris, nisi de licentia speciali.

2. Fratres etiam non recipiant a mulieribus munuscula, nec dent, et maxime confessarii: nisi super hoc a Priore sui con-

(*a*) De cons. di. c. nunquam. (*b*) 1614, 1617. (*c*) 1487. (*d*) 1562.
(*e*) Trid. ss. 25, c. 2 et 12, q. 1, c. res ecclesiae et q. 2, aurum. — 1562, 1617, 1627.

ventus vel Visitatore ob aliquam causam licentiam impetraverint specialem.

3. *Lectio* 2. Fratres non sint dispensatores rerum alienarum vel pecuniarum: depositarii tamen esse possunt. Quod tam de officialibus, quam fratribus extra officia constitutis intelligi volumus. Nec ulli liceat quodcunque depositum recipere inscio Praelato suo: quinimo illud reponi debet in cista conventus vel alio tuto loco, ne exinde qualecunque conventui obveniat dispendium: nec debet alienari vel exponi quacunque occasione sine scitu et licentia deponentis (*a*).

4. *Lectio* 3. Itinerantes cum in via existunt, officium suum dicant, prout sciunt et possunt, et sint contenti officio ecclesiarum, ad quas quandoque declinant.

5. Fratres etiam Viatores literas testimoniales secum ferant, et in conventibus, ad quos declinaverint, de excessibus suis corrigantur. In quibuscunque partibus itinerantes deliquerint, Prior Conventualis, in cujus terminis inventi fuerint, ipsos sicut fratres suos corrigendi habeat potestatem (*b*).

6. *Lectio* 4. Senior in Ordine sit senior in via, nisi forte Praedicatori adjungatur, vel cum egrediuntur, Prior aliter cum ipsis ordinaverit (*c*).

7. Fratres hospites venientes ad aliquem conventum Ordinis nostri petere debent licentiam a Prioribus conventuum, ad quos declinant, exeundi, tractandi et agendi singula negotia sibi commissa (*d*).

8. Nec sine socio nec ad tabernas vadant nec vagabunde discurrant, nec serius extra horam emaneant, qua portae conventuum claudi solent sub poena arbitraria (*e*).

(*a*) 1487. — Extra. de deposito c. gravis.
(*b*) 20. q. 4, c. monachum. Trid. sess. 25, cap. 4.
(*c*) Extra. de maj. et obed. c. cum certum. (*d*) 1461, 1624.
(*e*) Dist. 44, c. non oportet. c. clerici. extra de vit. et hon. cler. c. clerici. — 1617.

9. Demum itinerantes cum habitu honesto et sociis sibi deputatis religiose ambulent et incedant, evitentque discursus inutiles.

CAPUT DECIMUM.

De Conversis.

1. *Lectio* 1. Eodem tempore surgant conversi, quo et alii Fratres et eodem modo inclinent. Cum surrexerint ad Matutinas, dicant: *Pater noster et Credo in Deum,* quod faciendum etiam est ante Primam et post Completorium. In matutinis dicto *Pater noster et Credo,* erigant se dicendo: *Domine labia mea aperies et Deus in adjutorium meum intende:* et pro Matutinis in profestis diebus viginti octo *Pater noster,* et in fine omnium dicant: *Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson, Pater noster,* quo dicto addant: *Per Dominum nostrum Jesum* etc. deinde *Benedicamus Domino,* in Vesperis vero quatuordecim, in aliis autem Horis septem *Pater noster* dicant. In festis autem novem Lectionum pro Matutinis quadraginta *Pater noster* dicant, et hoc sub silentio in ecclesia, vel ubicunque fuerint. Loco *Pretiosa* dicant tria *Pater noster.* Pro benedictione mensae *Pater noster, Gloria Patri* etc.; post mensam pro gratiis tria *Pater noster, Gloria Patri* etc. vel *Miserere* qui sciunt.

2. *Lectio* 2. Conversi indumenta tot habeant, quot et caeteri fratres: scapularia vero eorum retro sint rotunda et ante acuta, in quibus sicut et nostris Crux assuatur.

3. De jejuniis, cibis, abstinentiis, culpis et aliis omnibus sic se habeant, sicut Clerici, excepto, quod in capitulo cum Clericis non sint; sed Magister eorum extra capitulum culpas eorum audiat et emendet; nisi forte aliquod grave delictum inveniat, quod discretioni Prioris relinqui debeat.

4. In labore poterit Praelatus cum eis dispensare.

5. Soli non vadant, sed cum socio Clerico vel Converso.

6. Psalterium non habeant, nec in literis studeant.

CAPUT UNDECIMUM.

De Donatis.

1. *Lectio* 1. Statuimus et ordinamus, ut fratres in Donatos recipiendi, ante receptionem diligenter per annum vel circiter probentur de vita, moribus et conversatione. Probati vero interrogentur, an sint conjugati, an liberi, an alterius professionis, an ratiociniis obligati, an occultam habeant infirmitatem. Nullus recipiatur in Donatum, nisi requisito consensu totius vel saltem majoris partis capituli et obtento.

2. *Lectio* 2. Post competentem vero probationem praemoneantur a Praelato, qualiter omnino, si et quamdiu nobiscum esse voluerint, caste et sine proprio vivere eos oporteat. Et postquam de debitis se expedierint, omnia alia ante pedes Prioris ponant. Deinde obedientiam voveant hoc modo: *Ego N. promitto Deo omnipotenti, B. Mariae Virgini, B. Augustino et Tibi N. Priori hujus Domus N., quod ero obediens Tibi tuisque successoribus, generali capitulo et Visitatoribus secundum Institutionem Donatorum Ordinis Sanctae Crucis, eroque fidelis huic Domui usque ad mortem.*

3. *Lectio* 3. Habitum humilem deferant et decentem secundum morem Donatorum Carthusiensium, ita ut superior vestis sit unicolor, grisea vel nigra, genua operiens.

4. Diebus ferialibus, dum eis vacaverit, Dominicis vero et festivis semper Missam audire studeant. Horis etiam Canonicis, dum commode possunt, intersint. Singulis quindenis semel confiteantur, et quinquies in anno corpus Domini communicent, aut etiam saepius, si devotio eorum exegerit, et discretioni Prioris visum fuerit expedire.

5. In capitulo suo conformes sint conversis per omnia.

6. *Lectio* 4. Jejunia, abstinentias et vigilias, similiter Orationes pro Horis quotidianis, pro benedictione Mensae et gratiarum actione singuli Priores in suis conventibus Donatis mo-

gerentur et determinent, habito respectu ad labores eorum quotidianos. Si vero Presbyteri fuerint, in Missis, Horis Canonicis aliisque Officiis divinis dicendis se fratribus Presbyteris conforment, et per hoc satisfaciant.

7. *Lectio* 5. Privilegiis Ordinis libertate Ecclesiastica, Orationibus, suffragiis tam vivorum quam defunctorum gaudeant, ut conversi. In omnibus vero aliis discretioni sui Prioris et ordinationi capituli generalis et Visitatorum Ordinis studeant obedire.

8. Quod si inobedientes, rebelles, profugi, aut etiam incontinentes, vel propria furtive habere reperti fuerint, juxta exigentiam culpae condignae subjaceant poenae, mitiori tamen, quam conversi. Si vero culpa exegerit, a suo Priore capi, ligari et in carcere detineri poterunt et debent juxta modum statutorum Ordinis nostri, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, sine omni periculo inhabilitatis, excommunicationis aut alterius censurae Ecclesiasticae cujuscunque.

9. *Lectio* 6. Quilibet vero Prior in conventu suo poterit super praemissis, sicut et super statutis Ordinis nostri cum iisdem Donatis dispensare; salva semper capituli nostri generalis potestate addendi, minuendi, mutandi, corrigendi circa praesens institutum, si forte videbitur expedire. Hucusque Bulla confirmationis Donatorum (*a*).

10. Pro conformitate servanda in communione Fratrum Donatorum, ordinamus, quod in festis infra scriptis, ad minus, se disponant ad communionem: videlicet in festo Nativitatis Domini, Purificationis B. Mariae, Paschae, Penthecostes, Visitationis B. Mariae, Assumptionis ejusdem, Michaëlis et omnium Sanctorum, quodque in profestis dictorum Festorum jejunent, et a carnibus abstineant et sabbatho praecedenti jejunent, si profestum Dominica sit: communicabunt quoque in medio Qua-

(*a*) 1433. Haec bulla vid. T. I, pag. 238—240.

dragesimae die convenientiori. Communicaturi vero nec caputium nec cingulum deponant (*a*).

11. *Lectio* 7. Comam Donati non nutriant; sed ad ordinationem Priorum suorum radantur. In refectorio etiam cum fratribus Clericis non comedant; sed seorsim et provideantur ut decet. Per Adventum tribus diebus in hebdomade jejunent, et feriis secunda et tertia post: *Esto mihi*, tam intus quam extra a carnibus abstineant (*b*).

12. Et quia gaudent privilegiis et suffragiis vivorum et defunctorum, legant et ipsi pro fratribus et benefactoribus defunctis: *Pater noster*, sicut conversi (*c*).

13. *Lectio* 8. Declaramus clausulam statutorum supradictorum, qua dicitur, quod Donati post competentem probationem praemoneantur a Praelato, qualiter omnino, si et quamdiu nobiscum esse voluerint, caste et sine proprio vivere eos oporteat etc. intelligendam esse: quamdiu arctioris professionis Religionem non assumpserint, alia qualibet sinistra interpretatione seclusa (*d*).

14. Prohibemus Donatos in majori numero ad Professionem recipi quam sit numerus Clericorum.

N°. 273. 20 April. 1662.

Acta capituli provinciae Rhenanae et Mosanae Coloniae habiti.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Cum utriusque Provinciae Patres ad capitulum Provinciale citati majore ex parte sub diversis praetextibus se excusaverint, visum fuit Provincialibus et Prioribus praesentibus ea, quae institutionibus aut definitionibus sunt confirmata, neque tamen in diversis locis adhuc practicari inveniuntur, in sequentes ar-

(*a*) 1446, 1453. (*b*) 1441, 1446, 1482. (*c*) 1438. (*d*) 1523.

iculos pro communi conformitate redigere et omnibus inculcare.

Statuta noviter impressa deinceps ubique in *Pretiosa* legantur.

Deinceps novitii accuratius in moribus non solum et scientia examinentur et idonei inveniantur, sed insuper habeant honestae familiae educationis et conversationis testimonium bonum, accedatque secundum statuta ad eorumdem receptionem vel professionem Rdissimi Patris aut visitatorum consensus, sub poena aliter recipientibus in institutionibus specificata, nec vestiantur religioso habitu, nisi de ipsorum moribus, indole ac caeteris canonicis requisitis, sex septimanarum acceptum fuerit experimentum, in habitu saeculari, juxta definitionem capituli generalis.

Ad vestitionem non permittantur novitii quicquam conferre praeter habitum et portionem moderatam juxta definitiones capituli generalis: si quid ultra contulerint in eventuali regressu ad saeculum illis restituatur secundum concil. Trident.; cujus concilii Tridentini decreto conformiter moneantur novitii, intra duos menses ante professionem suam de substantia sua temporali, si illius dominium assecuti sunt, libere disponere aut certe libere Prioribus suis vel officialibus conventus pro se loquendi et agendi dent permissionem in scriptis ac ex toto sese expediant, nec ulla uspiam proprietas in ullo toleretur fratre, atque ut hoc observetur perfectius, Priores de necessariis suis provideant.

Novitii deinceps ex conventibus minoribus, ubi nocturnum et diurnum officium cum solemnibus suis ritibus servari non potest, quamdiu communis novitiatus non habetur, ad solemniores mittantur pretio vel commutatione.

Novitiis secundum statuta diligens Magister praeponatur, cujus curae et directioni nulli sacerdotes, minus alii interveniant, aut cum illis familiaritatem habeant sub poena arbitraria se-

cundum statuta; constat enim experientia plurimum novitios ejusmodi familiaritate depravari.

Monentur tam Philosophiae quam Sacrae Theologiae lectores, ut diligentius ad suos discipulos, tam in disciplina quam studio formandos, attendant.

Pastores ecclesiarum parochialium taxam suam juxta ordinationem Rdissimi Patris solvant, aut provincialibus in scriptis causas dent, quare id nolint vel non possint, ut auctoritati Rdissimi Patris et ordinationi hujus detur effectus et rationabilis executio.

Pro subsidio charitativo dabunt Patres Provinciae Rhenanae conventui Dusburgensi unam taxam, sicut et Patres Provinciae Mosanae conventui Dulckensi unam taxam in duobus terminis, mediam scil. ante Martini et aliam medietatem circa Pascha.

His in fidem et rc'·ur subscripsimus, 20 Aprilis 1662.

Fr. Clamor Averkamp,
Provincialis ad Rhenum et Prior Coloniensis.

Fr. Wilhelmus Beeck,
Provincialis ad Mosam et Prior in Bruggen.

N°. 274. 11 Aug. 1663.

Alexander VII, P. M. confraternitati sub invocatione S. Odiliae, in ecclesia S. Mathiae domus Fratrum Ordinis Cruciferorum civitatis Leodiensis, canonice institutae, indulgentias largitur.

(Hist. de la translation de S. Odile, pag. 108).

ALEXANDER PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus, in ecclesia Sancti Mathiae domus Fratrum Ordinis Cruciferorum civitatis Leodiensis, una pia et de-

vota utriusque sexus Christi fidelium confraternitas, sub invocatione Sanctae Odiliae... canonice instituta, seu instituenda existat: Nos, ut confraternitas praefata majora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam nunc descriptis, quam pro tempore describendis in dicta confraternitate confratribus et consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo... et plenariam; nec non eisdem nunc et pro tempore existentibus confratribus et consororibus vere poenitentibus et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui confraternitatis praedictae ecclesiam, seu capellam, vel oratorium die festo ejusdem Sanctae Odiliae, a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi... pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.... Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris... Datum Romae, apud Sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die XI Augusti MDCLXIII, Pontificatus nostri anno nono.

Placet: erigatur et publicetur ad majorem Dei gloriam animarum salutem. Datum Leodii, hac quinta Septembris 1663.

Signatum: J. Ernest. de Surlet,
Vicarius Generalis Leodiensis.

N°. 275. 5 April. 1666.

Ab Hispaniae Legato Hagae-comitis commendatur Fr. Gerardus Golt, conventus S. Agathae Prior.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Don Estevan de Gamarra y Contreras, Cav^ro del avito de Santiago, del consexo de Su Mag^d en los supremos de Guerra y Flandes cerca su Real Persona maesse de Campo General, castellano de Ganle, Embaxador a los Estados Generales de las Provincias Unidas del Pais Baxo etc.

Por quanto el Padre Gerardo Golt mi Domestico vá desta villa a'algunas circum Vecinas, Por tanto pido a todos los SS^os Ministros, Gente de Guerra, y magistrados de la jurisdiccion de Su Mag^d y a los que no lo son amigablemente Ruego (en virtud de la seguridad publica que está concedida á los que tienen tales pasaportes como los mios) que al dichs Padre Gerardo Golt con el bagaje que nevare le dexen pasar y repasar libremente tanto por agua, como por tierra sin ponerle estoruo, ny impedimiento alguno en su Viaxe, antes bien le den todo el favor, y asistencia que para ello huviere menester, Para lo qual hé mandado vespacsar el presente pasaporte firmado de mi mano, sellado con el sello de mis armas y repcndado del infraescrito Vec^rio de Su Mag^d y desta Embax^a. Haya 5 de Abril 1666.

W. D. Estevan de Gamarra,
y Contreras.

Por mandado de Su Ex^a.
Vicente Richard.

N°. 276. 5—7 Maii 1670.

Acta Definitorum Ord. S. Crucis in Definitorio promulgata.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec nos infrascripti in definitorio nostro generali anno 1670, 5, 6, 7 Maii celebrato, declaravimus et declarata promulgamus.

Adm. RR. PP. Provinciales sollicite videant, num in Provinciis suis domus Altinemoris seu Nigrae Paludis in una, domus Lapidea vel Ehrensteniana in altera Provincia magis novitiatui conveniat, tum de instructore provideant. Neque a Rdissimo Patre ad professionem admittantur, nisi in deputatis seu deputandis domibus per annum probati, cum satisfactione pro victu 30 videlicet imperialium praestita.

Contraventionem ordinis capituli generalis ultimi, cum divulgatione et scandalo per ordinem, ratione praecedentiae PP. Suppriorum Coloniae, proh dolor! in Theopheria factam, in primo authore seu seniore R. P. Benedicto sic punimus, ut infra annum integrum voce activa et passiva ipso facto privatus, et post alteram contraventionem per totam vitam cum privatione cunctorum beneficiorum ordinis in vita et in morte maneat, quae poena ad quoscumque manifestos transgressores ordinationum capituli generalis extenditur.

Sic actum sub dato et loco supra.

F. N. de Hanneffe, Generalis.

F. Aegidius Wasscul, Dionantensis Prior et Definitor.

F. Arnoldus Hertsworm, Nigrae Paludis Prior et Definitor.

F. Wilhelmus Xheuenmonts, in locum defuncti citatus.

F. Gerardus Glaes, in locum absentis citatus.

N°. 277. 10 Martii 1671.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Incipientes statum conventus hujus, judicamus Rdum Patrem et Priorem et reliquos Patres ac Fratres in sequentibus monendos.

R. Prior diligenter curet suam valetudinem, eamque per Dei gratiam recuperatam servare studeat.

Disponat P. Prior de ordine et ministerio sacrorum, ne inde rixae et impertinentiae oriantur, similiter etiam de concionum ordine.

Provideat Pater Prior, ut Patres aut Fratres laici laceris vestibus non incedant, sed vel per suum, vel alterum sartorem curet confici et refici, ne necessum habeant suasmet vestes resarcire.

Attendatur ut sub mensa aliquis adsit portae, ne honesti hospites aliquando offendantur nimia mora.

Pater Procurator in emonitionibus se discretum, et benignum exhibeat, in elocationibus, venditionibus, pecuniarum expositionibus Patrem Priorem consulat, et regulet se secundum statuta.

Similiter Pater Prior et Procurator curent juniores sacerdotes, quantum necesse et capaces sunt, ut de statu conventus instruantur.

Si hypocaustum mane non calefactum [est], liceat fratribus in calefactorio pro necessitate ignem facere.

In punitionibus discolorum omnes assistant Patri Priori sub poena in statutis expressa.

De caetero adhortamur ad observantiam regulae et statutorum.

Actum a° Domini 1671, Martii 10.

Cum subsignatione:

Fr. Wilhelmus Beeck.

Fr. Gerardus Glaes.

N°. 278. 15 Junii 1671.

Leopoldus I, S. R. Imp. imperator approbat privilegia, an. 1456 *a Frederico III, et an.* 1547 *a Carolo V, data.*

(Apographum in folio impressum, constans 15 pagg. in tabulario conventus Udensis.

Leopoldus Divina favente Clementia, Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Schlavoniae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae etc. Marchio Moraviae, Dux Lucemburgiae, ac Superioris et Inferioris Silesiae, Wirtembergae et Teckae, Princeps Sueviae, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi et Goritiae, Landgravius Alsatiae, Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviae, ac superioris et inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae Sclavonicae Portus Naonis et Salinarum etc.

Agnoscimus et notum facimus tenore praesentium universis; quod cum nobis honorabiles, devoti nostri et Sacri Imperii fideles, dilecti Nicolaus de Haneffe, Cruciferorum Ordinis S. Augustini Magister Generalis, et Theodorus Deghens ejusdem Ordinis Prior Coloniae Agrippinae, suo ac totius Ordinis nomine humiliter exposuerint, fuisse sibi a divis quondam imperatoribus Friderico et Carolo, ejus nominis quinto, felicissimae recordationis, privilegia sua, libertates, immunitates, gratias, jura, litteras et bullas, quas et quae a Romanorum summis pontificibus saltem in temporalibus obtinuerint, una cum indultis, concessionibus, donationibus, favoribus, censibus, fructibus, redditibus, decimis, proventibus, obventionibus, dominiis, territoriis, praediis, feudis, churmodis, emphiteusibus, villis, vineis, curiis, bannis et terminis, jurisdictionibus, judiciorum constitutionibus, officiorum advocatis et quibuscunque aliorum liberis concessionibus et revocationibus, fori praescriptionibus,

appellationibus, jurium, sententiarum et rerum judicatarum executionibus, contractibus, transactionibus, moribus, usibus et consuetudinibus, possessionibus seu quasi, ac aliis quibuscunque juribus personalibus, realibus et mixtis ad ipsos eorumque respective Domum Originariam in Claro Loco prope Hujum Leodiensis Dioecesis, ac monasterium seu conventum suum, in civitate nostra Imperiali Colonia spectantibus confirmata, innovata et convalidata de superque confirmatorias simul et conservatorias litteras concessas tenoris sequentis:

Fridericus etc. [Hoc diploma occurrit tom. I, pag. 284].

Carolus etc. [Hoc diploma impressum est tom. II, pag. 47].

Porroque supramemorati Magister Generalis ac Prior totius Ordinis nomine suppliciter rogarint, ut et nos laudabili Praedecessorum nostrorum instituto atque exemplo, vestigiisque dictorum divorum Friderici et Caroli Romanorum Imperatorum gloriosissimorum insistentes supramemorata sui ordinis privilegia, immunitates et jura innovando, approbando et confirmando, sc, suasque domos seu conventus indeque dependentia loca, et bona in imperialem nostram protectionem, defensionem et salvamguardiam recipere, simulque omnium et singulorum eorum conservationem idoneis ac benevisis Imperii Sacri Electoribus, principibus ac statibus committere clementer dignaremur. Nos sane pro eo ac justa petentium vota libenter exaudimus, praesertim eorum, qui suis precibus vota quoque nostra pro Imperii salute apud Deum Optimum Maximum adjuvare student, dicti ordinis precibus ac honestis postulatis benigne annuentes, attenta, tum ipsius in nos et Sacrum Romanum Imperium syncera devotione, tum verae pietatis affectu, religionis observantia, ac laudabilis vitae conservatione, qua se probare non intermittunt, et ut divino cultui, qui in ipsius monasteriis diu noctuque peragitur eo ferventius, sepositis terrenarum rerum curis, invigilare valeat, animo deliberato, ex certa scientia, sano principum ac procerum nostrorum accedente consilio, ac de

nostrae Imperialis Potestatis plenitudine, praedictis Magistro Generali ac Priori, totique Ordini Cruciferorum Ordinis S. Augustini, praetacta omnia et singula jura, litteras, bullas et privilegia, quas et quae a Romanorum summis Pontificibus saltem in temporalibus, aut ab aliis quibusvis, cujuscunque status, gradus vel praeeminentiae existant, etiamsi aliqua regali, Archi-Episcopali vel Episcopali praefulgeant dignitate, rite obtinuerunt, in quantum de jure processerunt; itemque omnia et singula indulta, immunitates, exemptiones, libertates, concessiones, donationes, gratias, favores, census, fructus, redditus, proventus, obventiones, dominia, territoria, praedia, feuda, churmoda, emphyteuses, villas, vineas, curias, bannos et terminos, jurisdictiones, judiciorum constitutiones, officiorum advocatos et quarumcunque aliarum personarum et rerum liberas concessiones, contractus, transactiones, rite et legitime sine dolo ac fraude factas: mores, usus et consuetudines laudabiles, possessiones seu quasi et alia quaecunque jura quocunque nomine censeantur, realia, personalia et mixta, eidem Cruciferorum Ordini in supra nominato Claro Loco prope Hujum et Monasterio Coloniae Agrippinae, a Divis Praedecessoribus nostris Romanorum imperatoribus et regibus augustae memoriae, et aliis quibuscunque principibus et Christi fidelibus rite data et concessa, aut alias tam de jure communi quam speciali concessione, privilegio, aut alio quovis justo titulo competentes, et competentia, in quorum possessione vel quasi fuerint et sunt, aut de jure esse deberent, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis et verborum expressionibus, approbavimus, confirmavimus, ratificavimus, et innovavimus ac tenore praesentium approbamus, confirmamus, ratificamus, innovamus et imperialis auctoritatis et decreti nostri robore munimus; decernentes ac volentes ea omnia perpetuum robur et firmitatem, tam praesentibus quam futuris perpetuis temporibus, intra et extra judicium habere et obtinere. Ita quod dicti Magister Ge-

neralis, Priores et eorum successores in hisce conventibus, illis omnibus libere et quiete absque aliqua contradictione et impedimento uti, frui et potiri possint et valeant; quemadmodum ipsi et eorum praedecessores illis hactenus usi sunt, seu uti de jure debuissent ac deberent: non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunque, et praesertim non obstante, quod si praemissa, vel eorum aliqua quocunque tempore occupata seu invasa fuerint, per quoscunque alienata, rapta per vim aut quolibet ausu vel potentia, dolo vel fraude, injuste, in laesionem enormem rerum et jurium distracta, et extra eorum potestatem posita, contra solemnitatem juris essent. Nos enim tales et quascunque alias violentas occupationes, invasiones, rapinas et distractiones et inde sequuta, cassas et irritas, cassaque et irrita decernimus, dictosque Priores, conventus et monasteria adversus ea et eorum quodlibet, ex certa scientia et imperiali auctoritate nostra et de plenitudine potestatis in integrum restituimus: praesentium tenore, supplentes omnes et quoscunque defectus juris et facti, si qui quovis modo praemissis intervenissent, aut dici vel allegari possent. Mandantes propterea universis et singulis electoribus aliisque principibus, tam ecclesiasticis quam saecularibus, praelatis, nobilibus, militibus, clientibus, capitaneis, vicedominis, praefectis, castellanis, locumtenentibus, officialibus, scultetis, burgimagistris, judicibus, consulibus, civibus, communitatibus et aliis quibuscunque nostris ac Sacri Romani Imperii subditis et fidelibus dilectis, cujuscunque praeeminentiae, dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, ut praefatum Cruciferorum Ordinem seu Priores et conventus in Claro Loco prope Hujum Leodiensis Dioecesis et Coloniae Agrippinae, memoratis suis privilegiis, bonis, rebus, possessionibus, juribus, jurisdictionibus, territoriis, dominiis, bannis et terminis, et hac nostra confirmatione, innovatione, cassatione et restitutione libere uti et frui permittant, nec ipsum Ordinem dictaque eorum monasteria in eis aut aliquo eo-

rum impediant, perturbent, gravent, molestent, nec ab aliis perturbari, gravari, molestari, aut inquiestari sinant, quovis colore seu praetextu sub poenis infra exprimendis.

Caeterum quia difficile foret ipsis vel ipsorum cuilibet pro executione et conservatione jurium et privilegiorum suorum, et hujus confirmationis et restitutionis nostrae, in omnibus casibus, controversiis, querelis et gravaminibus nostrae imperialis majestatis praesentiam adire, et semper ad nos habere recursum: idcirco animo, scientia et auctoritate praefatis, Reverendissimos et Serenissimos NN. Coloniensem et Trevirensem Archi-Episcopos Sacri Romani Imperii per Italiam, Galliam et Regnum Arclatense Archi-Cancellarios, et NN. Comitem Palatinum Rheni, Archithesaurarium ac Duces Juliae, Cliviae et Montium, electores, principes et consanguineos nostros charissimos, nec non generosos, nobiles, honorabiles, doctos, devotos ac nostros et Imperii Sacri fideles dilectos NN. Judices et Assessores Judicii Camerae nostrae Imperialis, ac locum tenentem, seu Gubernatorem Ducatus nostri Geldriensis et Comitatus Zutphaniae, ac honorabiles, devotos, et nostros ac Imperii Sacri fideles N.N. Decanum et Capitulum ecclesiae Metropolitanae, ac Proconsules, Consules, et Scabinos Regiae Sedis et Imperialis Civitatis nostrae Aquisgrani et Coloniae Agrippinae, nec non officialem ac Procuratorem Fiscalem Coloniensis Curiae, qui pro tempore fuerint, eorumque omnium successores, conjunctim et divisim, et quemlibet eorum in solidum, praedictorum privilegiorum, libertatum, rerum, bonorum, possessionum, jurisdictionum, et jurium quorumcunque, tam personalium quam realium et mixtorum, supranominatorum Priorum, monasteriorum et conventuum eorumque successorum ac hujus nostrae confirmationis, ratificationis, innovationis, cassationis, restitutionis, et decreti conservatores et executores, in solidum, nostro nomine et vice, ad beneplacitum et revocationem nostram et successorum nostrorum in imperio duximus eligendos et deputandos, ac tenore

praesentium eligimus et deputamus, eisdem et cuilibet eorum serio et sub nostrae ac Sacri Imperii gratiae obtentu praecipientes et mandantes, quatenus ipsi et eorum quilibet, qui super hujusmodi privilegiorum, libertatum, jurium, personarum et rerum protectione, tuitione et defensione per eosdem Priores et conventus, aut eorum successores, conjunctim et divisim requisitus vel requisiti fuerint, toties quoties se casus obtulerit, eisdem Prioribus et conventibus eorumque successoribus, efficaci defensione, nostra imperiali auctoritate assistant; non permittentes eosdem in personis, privilegiis, libertatibus, bonis, rebus, possessionibus, jurisdictionibus et quibuscunque aliis juribus suis, tam concessis, obtentis et possessis, quam in futurum; sive successionis, sive donationis, legati, emptionis, aut quocunque alio legitimo titulo concedendis, obtinendis et possidendis, per quempiam injuste et indebite molestari, inquietari, turbari, spoliari, seu eis gravamina, damna, arresta, repressalias, vim, violentiam et injurias, quovis quaesito praetextu inferri; quin potius ipsos Priores et conventus ex nostrae Romanae Caesareae celsitudinis potestate, et auctoritate fideliter et citra ullam recusationem defendere, tueri, fovere, et manutenere studeant, occupatores, detentores, molestatores, concussores, invasores, spoliatores, arrestatores et injuriatores, si qui reperiantur, nec non contradictores, rebelles et inobedientes, omnibus remediis opportunis coercendo et jure defensionis compescendo, et contra praemissa vel aliqua eorum temere in nostrae Imperialis Majestatis contemptum et in dicti monasterii ac Prioris et conventus ejusdem, eorumque successorum, personarum, jurium, rerum et privilegiorum laesionem, vel abolitionem facientes, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis ac conditionis extiterint, quandocunque et quotiescunque opus fuerit, praeter poenas juris communis et in dictis privilegiis contentas, etiam ad infra scriptas poenas procedant, ipsosque vice et auctoritate nostra Caesarea compescant, et compellant, ut a molestationi-

bus, iuquietationibus, turbationibus, spoliationibus, arrestationibus, invasionibus aliisque gravaminibus, damnis et injuriis desistant, et abstineant, invocato etiam eorum praesidio et auxilio quorum ad hoc videbitur invocandum.

Hoc nostro Caesareo statuentes edicto in perpetuum valituro, ut omnes et singuli principes tam ecclesiastici quam saeculares, Archi-Episcopi, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Milites, Nobiles et Plebei, in quacunque dignitate, officio aut statu constituti sint, qui a praefatis conservatoribus et executoribus seu aliquo eorum requisiti fuerint, iisdem et successoribus eorum nostro nomine, loco et vice adsistant, faveant, opitulentur atque obtemperent, dictosque Priores, conventus et Monasteria Cruciferorum eorumque personas, bona, res, possessiones, privilegia, libertates, jurisdictiones et jura supra dicta et alia quaecunque et quocunque nomine nuncupentur, ad eos communiter vel divisim pertinentia, quae iidem Priores et conventus eorumque successores, tam jure fundationis quam alio legitimo titulo, in praesentiarum possident, aut quorum legitimam in futurum nacti fuerint possessionem, efficaciter tuendos et conservandos suscipiant, ac tueantur, defendant, conservent, et manuteneant, nec quidquam in contrarium facere, seu attentare praesumant. Et si quis etiam ex numero ipsorum conservatorum et executorum, clam vel palam per se vel per alios contra praemissa fecerit aut attentare praesumpserit; reliqui ad hoc requisiti, aut certiores redditi, contra eundem tanquam quemlibet alium reum aut rebellem, sub eisdem poenis et modis procedant, vimque atque injuriam coerceant. Super quibus omnibus et singulis, sicut supra peragendis et exequendis, ipsis conservatoribus et executoribus nostris, et eorum cuilibet, auctoritate nostra praedicta, plenam potestatem concedimus; nostris tamen et Imperii Sacri juribus semper salvis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae approbationis, confirmationis, ratificationis, innovationis, cassationis, restitutionis, con-

cessionis et decreti, gratiae et voluntatis paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contravenire. Si quis autem contra haec fecerit aut attentaverit, nostram et Imperii Sacri indignationem gravissimam, ac praeter poenas in praedicti ordinis seu monasteriorum privilegiis et litteris contentas, et quas jura in violatores personarum et rerum ecclesiasticarum statuunt atque decernunt, poenam sexaginta marcarum auri puri toties quoties contra factum fuerit, se noverit ipso facto incurrisse; quarum dimidiam Imperiali Fisco seu Aerario nostro, reliquam vero partem praefato ordini seu Prioribus, conventibus ac Monasteriis Cruciferorum, et eorum successoribus, atque dictis conservatoribus, ad requisitionem praefati ordinis, Priorum et conventuum comparentibus et officio suo fungentibus, decernimus irremissibiliter applicandam, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum et sigilli nostri appensione munitarum. Datum in civitate nostra Viennae, die decima quinta mensis Junii anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, Regnorum nostrorum Romani decimo tertio, Hungarici decimo sexto, Bohemici vero decimo quinto.

LEOPOLDUS.

(*L. S.*)

Vt. LEOPOLDUS GUILLIELMUS.

Comes in Kiuigseggs, m.p.

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Majestatis proprium,

CHRISTOPHORUS BEVER, m.p.

N°. 279. 16 April. 1672.

Guilielmus Cliviae, Juliae et Montium Dux, rogat omnes militibus praefectos, ut viris religiosis conventus S. Agathae, eorumque possessionibus parcant, cum in villa Cuik commorantur. (Sauvegarde).

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 280. 14 Mei 1672.

Guilielmus III, Princeps Auriacus conventum S. Agathae in suam recipit protectionem.

(Apographum authen. in tabulario conventus S. Agathae).

Wilhem Hendrick by der gratien Godts Prince van Orangie ende van Nassau, Grave van Catzenellebogen, Vianden, Dietz, Lingen, Meurs, Bueren, Leerdam etc.; Marquis vander Vere ende Vlissingen; Heere ende Baron van Breda, der stadt Grave ende lande van Cuyck, Diest, Grimbergen, Herstal, Cranendonck, Marneston, Arlay, Noseroy, St. Vith, Daesburch, Polanen, Willemstadt, Nieuwaert, Isselsteyn, Steenbergen, Ste Maertensdyck, Geertruydenbergh, de Hooge ende Lage Swaluwen, Naeltwyck; Erffburchgrave van Antwerpen ende van Besanson; Erffmaerschalck van Hollandt; Capiteyn Generael der Vereenichde Nederlanden. Allen den genen die dese jegenwoordigen sullen sien oft hooren lesen, saluyt.

Doen te weten, dat wy omme sekere goede consideratien ons daer toe moverende genomen hebben ende nemen mits desen in onse besondere protectie, bescherminge ende sauvegarde het Clooster 't Godtshuis van St. Agathen, gelegen in onsen lande van Cuyck, metten Prior, Supprior, Procurator ende allen de andere Conventualen van dien, nu synde ende hier naer sullende we-

sen, hare kercke, huysingen, schueren, stallingen, peerden, beestialen, landen, vruchten, granen, meubelen ende voorts alle hare andere roerende ende onroerende goederen, met hare pachters ende bruyckers van dien, geene uytgesondert, hoedanich die mogen wezen, omme voor alle gewelt, schade ende overlast van deser syde ruyteren ende knechten in deser Vereenichde Nederlanden dienst synde, beschermt ende bevrydt te wesen, hun hierneffens consenterende, dat sy tot meerder versekertheyt onse wapenen ofte blasoen voor het selvige Godtshuys ende andere hunne huysen, daer sulcx behoort, sullen mogen doen opslaen. Ordonnerende daeromme allen Gouverneurs, Coronellen, Ritmeesteren, Capiteynen, Officieren ende gemeyne crychslieden te voet ende te paerde ende voorts allen anderen onder onsen gebiede wesende, in die voornoemde clooster ofte toebehoorende huysen ofte hoven, niet te logeren ofte vernachten ofte de voorn. Prior, Supprior, Procurator, Conventualen ofte andere op hunne huysen ofte hoven wonende, aen hunne persoonen ofte goederen te molesteren, hinderen ofte beschadigen, op pene van als overtreders van onse sauvegarde, anderen ten exempel, gestraft te werden, ende mits toonende copie van deze by onsen Secretaris onderteeckent ende met het cachet onser wapenen gesegelt, willen wy de selvige van alsulcke waerden te sullen syn, als die onse principale.

Gedaen tot Dieren, den veerthienden Mey xvi twee ende tseventich.

Was onderteeckent:

G. PRINCE D'ORANGE.

Onderwaerts onderteeckent:

Ter ordonnantie van syne Hoocht.

HUYGENS.

N°. 281. 17, 18, 19, 20 Julii 1672.

Acta capituli provinciae Rhenanae et Mosanae Coloniae habiti.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt acta et ordinata ab utriusque Germaniae Provinciae Patribus Provincialibus et Prioribus, auctoritate Rdissimi P. N. Magistri Generalis Coloniae congregatis, anno 1672, 17, 18, 19 et 20 Julii.

Sequitur tenor commissionis.

Fr. Nicolaus de Hanneffe Ord. S. Crucis Magister Generalis, R. R. Adm. P. P. Wilhelmo Beeck, ord. nostri ad Mosam, ac Theodoro Deghens, S. S. Theologiae Doctori ad Rhenum, Provincialibus salutem in Domino. Cum capitulum generale ob praesens bellum, loco et tempore consuetis, commode celebrari non potuerit, gravesque inde difficultates exoriri possent in dictis vestris Provinciis, tam propter bella, quam recuperationem conventuum, ab haereticis in Belgio intra saeculum invasorum, hisce mandamus R. R. Paternitatibus vestris, quatenus Patres Priores Provinciarum vestrarum peremptorie citetis, ad comparendum Coloniae in conventu nostro die a vobis praescribenda, ut quibuscumque difficultatibus mature discussis ad Provincias vestras spectantibus, non modo eas prudenter componere studeatis, sed et de fratribus ad recuperationem conventuum supradictorum mittendis determinetis. In quorum fidem et testimonium praesentes manuali et officii nostri sigillo munivimus. Datum in conventu nostro primordiali Hoyensi die 29 Junii 1672.

Et erat signatum:

Fr. Nicolaus de Hanneffe,
Generalis.

Quia per victoriosa Christianissimi Galliarum Regis et illustrissimi Principis et Episcopi Monasteriensis arma, Belgium foederatum ad gremium S. R. Ecclesiae censim redit, sedulo nobis invigilandum, ne monasteria eorumque possessiones, quae et quas haeresis intra saeculum elapsum, violenter ordini eripuit, ad alienas manus devolvantur, sed nobis legitimis eorum haeredibus quasi postliminio restituantur.

R. R. P. P. Henricus Helraedt et Petrus Heithuysen, Duysbergensis et Dulckensis domorum Priores, curam gerent locorum a Christianissimo Galliarum Rege ejusque exercitibus invasorum et invadendorum, ut, praehabito Regis aut ejus locum tenentis placito consensu, possessionem apprehendant monasteriorum, bonorumque iis adnexorum, quae in dictis locis habuimus. Idem praestabunt in locis ab illustrissimo Monasteriensi Episcopo occupatis et occupandis R. P. Christianus Schilgen, Supprior B. M. Pacis, P. Adolphus Priem et P. Petrus Rulandt, qui de consilio Adm. R. R. P. P. Bentlacensis et Montis Orientis Priorum, omnia sua negotia peragent, et si Priorum praesentiam aut eorundem auxilium requirant, hi omni consilio et auxilio in pecuniis, si necessitas exigat, assistent, pecuniae gratanter a Germaniae Provinciis refundentur. Patres Commissarii ad viciniores conventus divertere poterunt, quorum Priores eos charitative recipere tenebuntur. Praedicti Patres diligenter inquirant bona et possessiones domorum desolatarum, et si uno alterove Fratre Donato viarum gnaro indigeant, damus eis facultatem aliquem assumendi, qui huic ordinationi parere tenebitur.

Quia huic pio operi promovendo aliisque Germaniae domorum necessitatibus sublevandis et succurrendis pecuniae necessariae sunt, ideo singuli conventus utriusque Provinciae dabunt 10 imperiales, eosque in duobus terminis, scilicet 1ª Augusti et festo Michaelis hujus anni: Duisbergensis [et] Dulckensis dabunt quinque tantum, Udensis ob extremam paupertatem hac vice

eximitur: Pastor in Efferen 15, Decanus Medebacensis, Pastores in Asbach, Oberpleis et Born, singuli singulos decem imperiales: Pastores vero in Beeck, Winterbergh, Dulckraedt et Meerweiler singuli singulos quatuor, Pastor autem in Meckelen duos imperiales contribuent in supradictis terminis, idque Prioribus praecipitur, sub poena suspensionis ab officiis, Pastoribus sub poena revocationis ad conventus suos et privationis suffragiorum ordinis in vita et in morte. Si qui vero fratres huic ordinationi sese opposuerint, eos declaramus privatos voce activa et passiva; pecuniae hae numerabuntur Adm. R. R. P. P. Provincialibus, qui receptorum et expositorum rationes proximo capitulo provinciali dabunt.

Patribus Provincialibus a Rdissimo Patre authoritas data de fratribus ad recuperationem conventuum desolatorum mittendis placet: si qui vero ab iis junctim vel divisim deputati aut deputandi obedientiam datam vel dandam acceptare detrectaverint, ipso facto sint privati loco et voce.

Qui sine causa legitima, ad computum audiendum, vel consultationes capitulares vocatus, se absentaverit, deinceps excludatur, aliusque in locum ejus subrogetur juxta Definitionem Capituli Generalis 1664. Revelantes secreta capituli non solum saecularibus et externis, sed etiam ipsis Fratribus aut Patribus, qui de capitulo seniorum non sunt, poena statutaria indilate puniantur. Quando major capitularium pars consensit et subscripsit, minor pars si subscribere detractet, sequentes in ordine vocari poterunt ad subscribendum. Dum Procurator est unus e quatuor seniorum capitularium, tum (extra computum) in aliis consultationibus capitularibus quintus adhiberi non debet, ut colligitur ex definitione capituli generalis 1658.

Quando novitii a majori capituli parte ad professionem emittendam admissi sunt, Prior cum uno seniorum a capitularibus deputando de dote comportanda tractabit, cui contractui reliqui seniores subscribere tenebuntur.

Cum Suppriorum cura sit diligentiam circa conventum habere et delinquentes corripere, ut statuta exprimunt, declaramus hanc correptionem non solum verbis, sed etiam poenis statutariis faciendam tam donatis et clericis, quam sacerdotibus delinquentibus, maxime in absentia Priorum, cum potestas coercitiva semper in conventu residere debeat. Caveant Suppriores, ne in absentia Priorum dispensent super silentium in mensa, fratribusque majorem gratiam concedant, quam ipsi Priores ordinarie solent.

Litterae, a fratribus non nisi de licentia Priorum suorum scribendae et recipiendae, sigillo Prioris consignentur, sub poena in statutis expressa. Dis. 1, Cap. 18, nº 24.

In conventibus ubi major fratrum numerus est, officium divinum nocte diuque cantetur, nisi Rmus Pater, aut P. P. visitatores ob studium aliasque causas aliud ordinaverint.

Fratres Pastoratum aut deservituram aliquam obeuntes in ecclesiis S. Ordini non incorporatis, annos, quibus foris sic existunt, a professione non numerent, locumque, ubi redierint, secundum annos, quibus sub claustrali disciplina vixerunt, inter fratres recipiant, prout ordinavit capitulum Provinciale Venlonae 1632 celebratum, excepto duntaxat casu sublevaminis Parentum extreme indigentium. Pastores ob hunc casum licentiati, sicut et alii, singulis annis rationes suas suis Prioribus reddent, sub poena in statutis expressa. Dist. 1, Cap. nº 12.

Qui fratres per obedientiam elocatos extraneos vocaverit, aut per brachium arreptos e conventu educere minatus fuerit, ipso facto sit privatus voce activa et passiva, juxta ordinationem alias in capitulo generali et definitorio factam.

Fratres in vel extra capitulum clamorose sese suis superiobus opponentes [et] cum iis proterve contendentes, poena gravioris culpae quam primum subjiciantur: qui poenam impositam subire detractaverit, post trinam monitionem tanquam inobediens et rebellis poena carceris puniatur, nec ullo modo admittatur

appellatio etiam ad superiores ordinis a correctione morum, cum jus canonicum et omnium religiosorum ordinum statuta illam non admittant.

Capitulum Provinciale Rhenanae et Mosanae Provinciae eo modo servabitur, quo Generale servari solet: causae principaliores, de quibus tractabitur, tempestive Prioribus et conventibus a Provincialibus intimabuntur. Provinciales in conventibus suis habebunt cistam obseratam, in qua secreta Provinciae recludentur, quae post discessum illorum successoribus tradetur, nec a quoquam aperietur sub poena expressa Dist. 2, Cap. 2, n° 16.

Studium theologicum in Coloniensi et Brugensi et Bentlacensi Domibus continuamus, philosophicum vero in Embricensi sub P. Wilhelmo Pennekamp instituimus. P. Joanni Beitel philosophiae et theologiae jam a multis annis lectori indefesso et bene de ordine merito, ubi ad nativam suam domum redierit, privilegium damus exemptionis ab onere hebdomadariatus, surrectionis nocturnae ad matutinum, de die vero pro sua devotione officium Divinum frequentabit, quemadmodum Adm. R. P. Provincialis Rhenanus defunctus eidem ante annos 6 indulsit; quod privilegium extendimus ad P. Antonium Kolckmans S. S. theologiae licentiatum ob causas animum nostrum moventes.

Hortamur omnes et singulos tam Priores quam Fratres, ut regulam, constitutiones, definitiones generalium, ordinationes capitulorum provincialium et relicta visitationum ad amussim observent, unitatem cordium, morumque uniformitatem amplectantur (*a*).

Reliqua quae pro temporum circumstantiis occurrent, ordinationi P. Provincialium committimus. In quorum fidem praesentes dedimus propriis manibus subscriptas et sigillo A. R. P. Coloniensis in defectu proprii munivimus, anno, mense et diebus ut supra.

(*a*) Sequuntur nomina fratrum, qui ad varios conventus mittuntur, quae omittimus.

Et erat signatum:

Fr. Wilhelmus Beeck, Provincialis ad Tractum Mosae et Prior in Bruggen.

Fr. Theodorus Deghens, S. T. D. Prior Coloniae, Provincialis ad Rhenum.

Fr. Arn. Herzworm, Definitor, Prior Mosacensis.

Fr. Willibrordus Faro, Prior in Ehrenstein.

Fr. Gerardus Glaes, Prior Ruraemundensis.

Fr. Wilhelmus Losen, Prior Dusseldorpensis.

Fr. Aug. Buggenum, Prior Venlonensis.

Fr. Waltherus Bijl, Prior Altinemoris.

Fr. Joannes Vercuil, Prior Embricensis.

Fr. Lotharius Schorn, Prior et Pastor in Weghbeeck.

Fr. Henricus Helraedt, Prior Doesbergensis.

Fr. Petrus Heithausen, Prior Dulckensis.

Fr. Herm. Langenbergh, Prior in Wickraet.

Fr. Michael Balckhaus, Prior Bentlacensis.

Fr. Joannes Nijburgh, Prior Domus Lapideae.

Fr. Christianus Schilgen, B. M. Pacis, Deputatus nomine R. P. Prioris.

Inferius impressum erat sigillum in rubra ostia, coopertum alba charta.

Haec copia sit conformis suo vero originali per Patres subscripto; attestor manu propria.

Fr. Wilhelmus Beeck.
Provincialis ad Tractum Mosae.

N°. 282. 10 Junii 1673.

Ludovicus Bourbonius, princeps Condaeus, militibus Franco-Gallis praefectus, conventum St. Agathae in suam recipit protectionem (Sauvegarde) vetatque milites quidquam nocumenti ei inferre.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Faict a Utrecht.

N°. 283. 15 Oct. 1673.

Dominus Joannes Dominicus de Zuniga et Fonseca, Gubernator Belgii Hispani, conventum S. Agathae recipit in protectionem. (Sauvegarde).

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Fait a Bruxelles.

N°. 284. 26 April. 1674.

Acta Definitorum Ord. S. Crucis in Definitorio promulgata.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Nos infrascripti Magister Generalis et capituli generalis definitores auctoritate a capitulo generali anno 1673 nobis data, Dominica *Cantate* et diebus sequentibus 1674 in domo nostra Primordiali Huyensi congregati, pro bono communi S. Canonici ordinis nostri sequentia inculcanda et ordinanda duximus.

Quia in quibusdam domibus est studium quasi continuum, et ob horarum lectionem officium divinum digne divinae majestati non persolvitur, ideo committimus P. P. Visitatoribus, ut disponant de horis cantandis et super quibusdam legendis dispensent, et diligentiores in studio fratres ab aliquibus horis frequentandis liberent.

Patri Holthausen, Priori Montis Orientis, mandatur sub privatione officii sui, ut imposterum ad congregationes Patrum veniat, et intra bimestre documenta authentica, statum domus suae concernentia, Provinciali suo transmittat.

Electus in Priorem non petat deinceps spatium mensis ad deliberandum, sed intra 24 horas ab insinuatione electionis sibi factae consensum suum praebeat, si secus, electores ad novam electionem procedant. Dum bonum commune ordinis aut domus requirit aut necessitas exigit, Rdissimus Pater aut ejus visitatores praecipere poterunt electo in virtute S. obedientiae ad electionem de se factam acceptandam.

In proximo capitulo generali a Rdissimo Patre et P. P. Definitoribus Secretarius capituli deputabitur, qui juramento praestito acta publica et privata capituli et ordinis fideliter conscribet, cujus scripturae publicae fides in et extra judicium adhibebitur.

Studium Theologicum Coloniae et Dusseldorpii continuamus.

Acta sunt haec et publicata in capitulo Huyensi a° 1674, 26 Aprilis et praecipimus, ut in capitulo a P. P. Prioribus ubique quamprimum praelegantur et executioni mandentur. In quorum fidem et robur subscripsimus et sigillum nostrum subimpressimus anno, mense, et die, quo supra.

Fr. N. de Hanneffe,
Generalis.

Fr. A. Jamar,
Definitor et Prior Succiacensis.

Fr. Wilhelmus Beeck,
Definitor et Prior Pontis Coeli.

Fr. Theodorus Deghens,
S. Theol. Doct. Definitor et Prior Coloniensis.

Fr. Deodatus de Laine,
Prior Namurcensis, in locum P. Definitoris Defuncti Vocatus.

Pro copia concordante cum suo vero originali subscribit

Fr. Theodorus Deghens,
Definitor, M. propria.

N°. 285. 16 Aug. 1674.

Dominus Joannes Antonius Pimentel, equitibus Hispanis praefectus, vetat milites nocere conventui S. Agathae (Sauvegarde).

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Faict au Camp d'Esscharen devant la Grave.

N°. 286. 7 Julii 1675.

Archiepiscopus Coloniensis Cardinali, ad hoc a Summo Pontifice deputato, exponit institutum Ordinis S. Crucis, laudatque Fratrum laudabilem vitae rationem.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Eminentissime et Reverendissime Domine!

Ex litterarum Emi^tiae vestrae sub dato Romae 14 X^bris anni 1674 et iisdem adjuncti folii tenore intellexi, quid pro parte Prioris Generalis canonicorum regul. Ordinis Cruciferorum per Germaniam, Galliam et Belgium supplicatum fuerit SS^mo Domino nostro et a sua sanctitate remissum pro toto ad S. Congregationem Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et regularium praepositam, circa quae S. Congregatio a me distinctam relationem et instructionem exspectat: re ergo mature et diligenter considerata, habitaque distincta informatione per meum in hac archidioecesi Coloniensi Vicarium in Spiritualibus Generalem, cui specialiter sese desuper informandi commissionem dedi, Eminent^ssmis S. Congregationis Cardinalibus succincte et parce respondeo.

1°. Quod ipsorum institutum sit vere canonicum, a diversis Pontificibus approbatum et sub B. Petri et sedis apostolicae protectione immediate susceptum.

2°. Professores illius incumbunt vitae contemplativae et activae: hic quippe ordo in divini cultus ministerio sedulus, sibi per

S. contemplationis exercitium et aliis per pensum piorum operum proficiens ad salutem, in praedicatione divini verbi assiduus, fidem catholicam in diversis Germaniae domibus contra haereticos propugnans et conservans, in S. lectione paginae studiosus, S. S. Artium Magistros et Professores habens in alma universitate mea Coloniensi, et in quibusdam locis juventutem bonis moribus et humanioribus litteris instruens.

3°. Canonicum institutum suum secundum regulam S. Augustini, et constitutiones a S. Sede approbatas, accurate observant cum aedificatione populi.

4°. Omnes ordinis domus a primaria domo Huyensi dependent, ita ut omnes Priores, canonici, conversi et donati Priorem Huyensem ut caput agnoscant, cui et omnes professuri obedientiam promittunt, et a quo omnes Priores confirmationem suam accipiunt.

5°. Exemptio totius ordinis a locorum ordinariis per Joannem XXII facta, et per Innocentium VIII confirmata, adhuc de praesenti durat, et huc usque in viridi observantia est. Ordinarii vero jurisdictionem in personas et loca eorum exercent, ut in exemptos et alios mendicantes conformiter Sacro Concilio Tridentino, ipsique canonici cruciferi se sistunt examini et approbationi Episcoporum quoad excipiendas confessiones, et praedicationem verbi divini.

6°. Huc usque elegerunt in Germania et Belgio eos conservatores ordinis, quos Paulus II ordini dederat, in regno vero Franciae, ut ex fide digna relatione audivi, loco abbatis S. Victoris (quia dicta abbatia in commendam data est clerico saeculari) alium in dignitate ecclesiastica constitutum eligunt, secundum formam a constitutionibus apostolicis praescriptam.

7°. In praedicatione verbi divini servant statuta S. Concilii Trid. et constitutionem novissimam SS^mi^ Domini Papae Clementis X.

8°. Quoad alienationem et commutationem bonorum relinquitur

arbitrio S. Congregationis: videtur tamen, quod quandoque propter urgentes necessitates, videlicet vicinorum haereticorum exactiones, et contributiones militares, summarie et absque ulla temporis mora pendendas, non possit in hisce partibus ad amussim servari constitutio Pauli II, quae incipit: *Ambitiose* de reb. eccl. non alienandis.

Cum ergo dicti ordinis primaria domus sit in dioecesi mea Leodiensi, itemque in hac mea civitate Coloniensi, celebris illius conventus, deesse non potui, quin pro singulari mea, qua in laudabilem illorum vitam et conversationem feror, inclinatione, exemplo praedecessorum meorum Henrici et Joannis, Episcoporum Leodiensium, SS^mo^ Domino nostro pro confirmatione privilegiorum quam diligentissime recommendarem, idque tanto jam etiam diligentius, quod Augustissimus Romanorum electus imperator Leopoldus inter alios me quoque ut Archi-Episcopum ac principem Electorem Coloniensem, una cum capitulo meo metropolitano, non ita pridem sub data 15 Junii 1671, deputaverit conservatorem privilegiorum ab Augustissimis imperatoribus quondam concessorum et a sua Majestate recens confirmatorum.

Interea Eminentiae vestrae paratissima obsequia mea animitus defero.

Coloniae, 7 Junii 1675.

Eminentiae vestrae addictissimus,

Maximilianus Henricus,

Archi-Episcopus, Elector Coloniensis.

B. 30.

N°. 287. Circa an. 1675.

Acta capituli provinciae Rhenanae et Mosanae Coloniae habiti.

(Apographa duo in tabulario conventus Udensis).

(Loca Selecta).

Nos infrascripti utriusque Germaniae Domorum Provinciales et Priores ad Rhenum et Mosam, de placito consensu Rdissimi et amplissimi Patris, Magistri nostri Generalis, Nicolai de Hanneffe, Coloniae congregati, pro uniformi regularis disciplinae observantia, sequentia ordinanda duximus.

Sit firma, constans et perpetua unio inter utramque Germaniae Provinciam: capitulum Provinciale indicatur de placito consensu utriusque Provinciae Provincialium Coloniae aut alibi sumptibus singulorum conventuum; decreta capituli Rdissimo Patri quamprimum submittantur, pro ejusdem approbatione et confirmatione habenda.

Magistri Humaniorum Litterarum Venlonae, in festis ordinis et habentibus octavam solemnem, nocturnis et diurnis horis, Dominicis vero et festivis diebus diurnis intersint. Masecenses divino officio intersint, prout hactenus interfuerunt. Lectores Philosophiae diebus Dominicis, festivis et in festis ordinis die nocteque officium divinum frequentent. Theologiae vero Lectores in festis ordinis et quinque anni festivitatibus nocturno et diurno officio intersint, aliis diebus, quantum occupationes scholasticae permittunt, divina frequentent.

Cum nonnulli Episcopi permiserint ab annis aliquot quibusdam diebus esum carnium in quadragesima Christi fidelibus, volumus ut fratres nostri, utpote exempti ab ordinariis locorum, ea gratia non utantur sine speciali licentia Rdissimi Patris aut P. P. Visitatorum.

Studium Philosophicum ordinamus in Provincia Rhenana; loci et studiosorum denominationem committimus eximio Patri Provinciali ad Rhenum: in Lectorem instituimus R. P. Henricum Palm. Nullus deinceps ad officium confessarii aut concionatoris exponatur, nisi biennio Theologiam audierit.

Pro communibus utriusque Provinciae necessitatibus describitur taxa: pro Provincia Rhenana; pro domo Coloniensi sex, pro Dusseldorpiensi sex, Beyenburgensi sex, Embricensi sex, Bentlacensi sex, Mariae Pacis quinque, Glindtfeldensi quatuor, Helenaemontano tres, Duisbergensi unus. Pro Provincia Mosana; Bruggensi quatuor, Ruremundensi quatuor, Altinemoris sex, S. Agathae sex, Venlonensi sex, Wickradiensi quinque, Nigrae Paludis quinque, Weckbercano tres, Masecensi tres, Dulcensi unus, Udensi unus. Pastores contribuant juxta distributionem faciendam a P. P. Provincialibus, et haec taxa persolvetur ad festum S. Andreae anni currentis ad manus Provincialium. Deinceps vero singuli conventus quotannis persolvent unum imperialem, reponendum in cista Provinciae cujuslibet. De dote comportanda a novitiis de quolibet centesimo nummo persolventur duo.

Adm. R. R. Patres P. Provinciales computum suum reddiderunt de taxis, descriptis a capitulo Provinciali anno 1672, pro recuperatione conventuum desolatorum et a capitulo generali a° 1673 pro confirmatione privilegiorum ordinis, et inventum fuit, quod collatione receptorum et expositorum utrimque facta, Adm. Rdus Pater Provincialis ad Mosam penes se retineat quadraginta imperiales, Provincialis vero ad Rhenum quinquaginta sex imperiales, convertendos pro confirmatione privilegiorum.

Committimus Eximio Patri Provinciali ad Rhenum, ut per se vel commissarios a se denominandos, causam controversam Montis Sanctae Helenae determinet et decidat; fratres inde elocatos, si necessum fuerit, revocet.

Praecipimus in virtute S. obedientiae R. P. Priori et omni-

bus Patribus S. Agathae, ut fratres de licentia Rdissimi Patris et ipsorum consensu admissos, tamquam fratres conventuales agnoscant, nihilque in rebus monasterii arduis, absque consensu Adm. R. P. Provincialis aut visitatorum, agant.

In Superiorem Nigrae Paludis instituimus P. Fredericum Gemenick.

[*Subscripserunt:*]

Fr. Wilhelmus Beeck, Provincialis ad Mosam.

Fr. Gerardus Glaes, Prior Ruraemundensis.

Fr. Arnoldus Hertzworm, Prior Masecensis.

Fr. Theodorus du Blan, Prior S. Agathae.

Fr. Waltherus Byll, Prior Altinemoris.

Fr. Petrus Heithausen, Prior Wickradiensis.

Fr. Joannes Putgen, Prior Nigrae Paludis.

Fr. Henricus Neereven, Prior Venlonensis.

Fr. Joachimus Fischer, Prior Dulkensis.

Fr. Lotarius Schorn, Prior Wechberkensis.

Fr. Nicolaus Cremers, Prior Udensis.

Fr. Theodorus Degens, S. Theologiae Doctor, Provincialis ad Rhenum.

Fr. Wilhelmus Loosen, Prior Dusseldorpensis.

Fr. Joannes van der Cuyl, Prior Embricensis.

Fr. Joannes Conrardi, Prior Glintfeldensis.

Fr. Michael Balchausen, Prior Bentlagensis.

Fr. Joannes Nyburgh, Prior Bienburgensis.

Fr. Henricus Helrat, Prior Duysburgensis.

Fr. Nicolaus Schildt, Prior in Ehrensteyn.

Fr. Joannes Schiltgen, Supprior B. Mariae Pacis, nomine sui Prioris et Secretarius capituli.

Fr. Holthausen, Supprior Montis S. Helenae.

—

N°. 288. 17, 18 et 19 Oct. 1677.

Acta capituli provinciae Rhenanae et Mosanae Coloniae habiti.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Nos infrascripti, utriusque Germaniae Provinciae ad Rhenum et Mosam conventuum respective Patres Provinciales, Definitores et absentium Procuratores canonicorum regularium Ordinis S. Crucis, Coloniae 1677, 17, 18, et 19 Oct. congregati, authoritate S. Sedis Apostolicae, pro unione utriusque Provinciae stabilienda et perpetuo conservanda, approbata a Rdissimo Patre Magistro Generali, Nicolao de Haneffe piae memoriae 1675, sequentia ordinanda duximus, pro disciplinae regularis adhuc vigentis conservatione et collapsae restauratione.

Capitulum Provinciale alternative celebrabitur singulis annis in aliquo conventu Provinciae Rhenanae vel Mosanae intra Pascha et Pentecosten, juxta determinationem P. P. Provincialium et Definitorum: causae principaliores, de quibus tractabitur, tempestive Prioribus et conventibus a R. P. Provincialibus intimabuntur.

Provinciales eligentur secundum formam canonicam a P. P. Prioribus Provinciae, quorum ministerium durabit ad sexennium, quo elapso in proximo capitulo Provinciali nova electio fiet Provincialium et Definitorum. Mortuo vero Provinciali, Definitores ejusdem Provinciae in omnibus, quousque alius intra 6 septimanas electus sit, plenariam ipsius habeant potestatem et omnes eis tanquam Provinciali teneantur in omnibus obedire.

Ut vero unio Germaniae Provinciarum stabilis et firma permaneat, eligantur ex qualibet Provincia duo definitores, qui una cum Prioribus Provincialibus ordinabunt et definient ea, quae ordinanda et definienda sunt pro observantia regularis disciplinae.

Provinciales et Definitores denominabunt Secretarium capituli, cui eadem fides in et extra judicium adhibetur, quae adhibetur notario publico et jurato, qui praevio juramento acta capituli et Provinciae fideliter annotabit.

Pro uniformitate regularis observantiae pro utraque Provincia, conformiter decretis Clementis et Urbani VIII, communem novitiatum ordinamus in domo Altinemoris sub instructore P. Jacobo Wantzon, ejusdem loci Suppriore, vel alio, juxta leges a P. Provincialibus et Definitoribus condendas, ad quem singuli Priores et conventus clericos mittere obligabuntur, sub poena privationis officiorum. In novitiatu probati cum testimonio Prioris et Magistri undecim mensibus, redibunt ad conventus suos, in quibus mense elapso profitebuntur: professi ad studia philosophica et theologica mittentur sub eadem disciplina, qua in novitatu.

Lectores, Magistri novitiorum non solum docti, sed vel maxime disciplinati, denominentur a capitulo Provinciali, nec non capaciores ex aliis provinciarum studiis ad generale studium Coloniam mittantur, qui et de licentia Provincialis ac Prioris localis gradus suscipere poterunt.

Praecipimus omnibus tam Prioribus quam fratribus singulis annis exercitium spirituale, conformiter bullae Pauli V, sicut et fratribus investiendis, professuris, majoribus ordinibus initiandis, juxta normam a Patribus Provincialibus constituendam.

Ut haec stabiliter perpetua unione serventur, humillime supplicamus infrascripti omnes illustrissimo D. Nuncio Apostolico, Patrono nostro colendissimo, ut eadem authoritate S. Sedis Apostolicae approbare et confirmare gratiose dignetur.

Fr. Joannes Georgius Hagten, Generalis.

Fr. Theodorus Degens, S. Theol. Doct. Prov. ad Rhenum.

Fr. Waltherus Byl, Prov. ad Mosam.

Fr. Arnoldus Hertzworm, Prior Mosacensis, definitor.

Fr. Joannes van der Cuyl, Prior Embricensis, definitor.

Fr. Wilhelmus Losen, Prior Dusseldorpensis, definitor.

Fr. Petrus Heidthausen, Prior S. Agathae definitor.

Fr. Joannes Wilhelmus Wanszon, Prior Ruraemundensis, Secretarius capituli, suo et aliorum nomine.

Hanc copiam concordare cum vero suo originali, attestor manus propriae subscriptione.

Fr. J. Wilh. Wanszon,
Prior Ruraemundae, Secretarius Capituli Provincialis.

N°. 289. 17 Jan. 1678.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Nos infrascripti conventum nostrum S. Agathae visitantes, servato scrutinio haec sequentia pro accuratiori regularis disciplinae observantia, cultus divini promotione, et virtutum augmento, duximus ordinanda, et ut eadem exactissime observentur, et neque eorumdem ignorantiam praetexere possit, mandamus ut eadem singulis trimestribus publice in refectorio seu capitulo praelegantur.

Concio singulis Dominicis et festis Fori, mane quadrante post octavam fiat, qua finita sacrum in inferiori ecclesia legatur sub tertia vel sexta, post concionem immediate inchoanda. Concionatores die concionis ab officio chori, concionem praecedente, sint liberi, et quo diligentiam majorem studio aedificandi auditores impendant, gaudebunt portione vini sub prandio in refectorio danda: ad concionem omnes laici compareant.

Bibliotheca, pretiosissimus religionis thesaurus, in ordinem optimum, quantum possibile est, redigatur. P. P. Vronhooff et de Boom inventarium omnium librorum ordine distincto facient, adjutorio mutuo, quo facto, omnibusque libris debite collocatis,

cuilibet sacerdotum et clericorum clavis detur communis, ut studiis vacare possit ibidem. Ut vero exactius hoc et cum fructu succedat, et libri non dispergantur, sub poena inobedientiae prohibemus, ne ullus, sine expressa P. Prioris licentia, librum inde efferat, qui a Bibliothecario annotetur, et ab habente lectus referatur. Extraneis vero quibuscumque sub praedictis poenis nullus liber omnino concedatur; ad bibliothecam vero nullus introducatur saecularis seu extraneus, nisi de expresso consensu P. Prioris; ibidemque summum semper sit silentium, sub indispensabili poena sessionis ad terram toties quoties. Supradicti P. P. inquirant, ubinam libri deperditi sint, eosque omni diligentia curent ut referant.

Patri, Expriori, Procuratori et omnibus et singulis P. P. et F. F. sub formali praecepto obedientiae praecipitur, ut, si quae habeant, documenta vel scripta quomodocumque ad ordinem vel statum hujus domus pertinentia, quam primum P. Priori ea deferant.

Qui vero pro honorario a parentibus aut ab amicis munera acceperint, ea ad manus P. Prioris quamprimum deponant, nihil de eisdem exponentes sine expresso ejusdem consensu.

P. Expriori omnes debitum respectum dabunt, scientes, quod quicumque proterve cum eo contendere praesumpserit, eandem poenam incurrat, ac si contra praelatum se erexisset, juxta statuta Dist. 2, Cap. 2, n°. 15.

Ita actum in domo nostro S. Agathae, die 17 Januarii 1678.

Fr. Waltherus Byll,
Provincialis ad Mosam.

Fr. Henricus Neerven,
Prior Venlonensis.

N°. 290. 1678—1686.

Acta duorum capitulorum generalium, praeside Lamberto Feron, Magistro Generali.

(Acta anni 1682).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec sunt definita et ordinata per nos Fr. Lambertum Feron, Magistrum Generalem; Theodorum Deghens, S. Theologiae doctorem in universitate Coloniensi; Arnoldum Hertzworm, Moracensis; Petrum Daphnioux, in Sacra facultate Parisiensi Baccalaureum; Joannem Beutken, Nigrae Paludis domnum Priores, capituli generalis definitores anni 1682, die 26, 27, 28 Aprilis in primaria S. Crucis domo apud Huium celebrati.

In posterum in quolibet capitulo generali electione definitorum facta, deputabitur a Rdissimo Patre et definitoribus Secretarius capituli, cui praestito juramento, plenam fidem in et extra ordinem, adhiberi volumus.

Statuta a° 1660 impressa, a 5 capitulis generalibus sibi succedentibus acceptata, post hac uniformiter a toto ordine acceptari, et sub *pretiosa* legi praecipimus, Prioribus totius ordinis sub poena privationis, fratribus sub poena formalis inobedientiae.

Tituli visitatorum et Provincialium erunt post hac Vicarii Generales in singulis provinciis, qui canonice eligentur in capitulo et ab eodem confirmabuntur; si vero intra triennium moriantur, providebit Rdissimus P. Generalis de vices supplente: vicariorum functiones erunt conformes statutis, nec immediate post primum triennium reeligantur.

Acta capituli Provincialis Ruraemundae anno 1680, quo ad omnia, et Coloniae a° 1681, praecipue quo ad punctum recollectionis, confirmamus.

Capitulis Provincialibus praesidebit Rdissimus P. Generalis,

vel vicarius illius Provinciae, cui Rdissimus Pater si velet, poterit alium adjungere.

Annuam per octiduum recollectionem saepius commendatam, ab omnibus sub formula danda, observari praecipimus.

Canonice electos Vicarios Generales, in Francia A. R. P. Petrum Daphnioux, Priorem Parisiensem, in Germaniae Provincia Rhenana Eximium P. Theodorum Deghens, S. Theologiae doctorem, Priorem Coloniensem, in Provincia Mosana A. R. P. Walterum Byl, Priorem Altinemoris confirmamus, eosque auctoritate capituli generalis in visitatores Provinciarum suarum deputamus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Conventui Aquensi providebitur de personis idoneis: illuc missi pro reformatione habebunt voces ut conventuales, et Prior in difficultatibus recurrat ad P. Generalem vel Vicarios Generales Germaniae.

Nulli libri extra conventus commodentur, multo minus dentur sine licentia speciali Priorum sub poena formalis inobedientiae.

Uniformitatem Breviarii una cum novis festis a S. Sede approbatis, quae sunt de praecepto, sicut et graduales nostri conformandi missali Romano, omnibus et singulis ordinis nostri domibus praecipimus.

Juxta antiquissimam ordinis nostri praxim et statuta, sequenti capitulo singuli conventus suas taxas conferant sub poena dupli.

Instituimus in domo Primordiali studium philosophicum sub lectore, a P. Generali denominando, Ruremundae, studio philosophico absoluto, inchoabitur theologicum sub P. Petro Roulandt.

Chorus Venlonensis transferatur in ecclesiam inferiorem; Magistri ibidem indies cum studiosis frequentabunt Sacrum a Priore designandum.

R. P. Michaelem Balchausen, in Priorem Montis Orientis instituimus, et stabit in nativo conventu: omnium receptorum una cum pecuniis reddet rationem, quotannis a P. Generali deputandam.

R. P. Petro Helliogii, Expriori Glindtfeldensi, concedimus privilegium, Prioribus decennalibus a statutis indultum: Prior Udensis infra 3 menses doceat potestatem validam, sibi datam a Domino Nuntio, recipiendi ad professionem novitium sub poena privationis officii.

Fr. Joannes Beyter, ob litteras falso sub nomine P. Generalis scriptas et alias causas, privatur voce activa et passiva usque ad proximum capitulum generale, et 3tio sedeat ad terram in pane et aqua. P. Jacobus Laer instituitur Supprior in S. Agathae.

In quorum omnium fidem et robur propriis manibus subscripsimus et sigilla nostrorum officiorum impressimus, anno, mense et diebus ut supra.

Fr. Lambertus Feron, Generalis.
Fr. Theodorus Deghens, Definitor.
Fr. Arnoldus Hertzworm, Definitor.
Fr. P. Daphnioux, Definitor.
Fr. Joannes Beutken, Definitor.

(Acta anni 1686).

(Apographa duo in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec sunt definita et ordinata per nos Fratrem Lambertum Feron, Magistrum Generalem; Waltherum Byll, Altinemoris, Petrum Heithausen, Coloniensem; Jacobum Lardin, Parisiensem; Lotharium Schorn, Wickradiensem, domuum Priores, capituli generalis definitores, anno 1686 die 12 Maii et sequentibus, in Primaria S. Crucis domo apud Huium celebrati.

Ut statuta antiqua atque ex statutis eis annexis excerpta, quae communi bono proficerent, Sanctae Sedi exhibeantur, ut deletis iis, quae non sunt in usu, reliqua praesentarentur pro confirmatione a S. Sede impetranda.

Bullam Eugenii IV, judicamus observandam quantum in usu est, et signanter volumus observari punctum visitatorum, in capitulo generali denominandorum. Pro 2do admittimus eandem humilitatis causa, in ingressu Rdissimi seu visitatoris illius vel capituli generalis, claves conventus illis extradendas hac clausula, ut si inveniantur Patres Priores domuum secundum statuta ordinis, servato juris ordine, rei, judicandi, condemnandi vel absolvendi censeantur.

Quia Rdissimus P. Generalis habet suam authoritatem a Sede Sancta Apostolica, non possunt Patres Definitores, nec capitulum generale illam tollere, nec diminuere sine approbatione dictae sedis.

Proinde cassamus et nulla declaramus, quae contra illam facta sunt, imprimis de recipiendis ad novitiatum sine consensu et licentia praevia Rdissimi P. Generalis, prout et ad Professionem, quam sine acceptatione ejusdem nullam declaramus, sicut declaratum fuit anno 1624.

Quo ad visitatores et Vicarios Generales Rdissimi P. Generalis, non habebunt aliam potestatem, quam quae in commissione eorum, facienda a Rdissimo P. Generali vel capitulo generali, ad certum conventum et certas causas exprimetur.

Quia nullus status potest conservari sine contributionibus, nec antiquitus taxatae contributiones a multo tempore solutae sunt, inposterum loco dictarum antiquarum, ordinamus, ut nullus recipiatur ad novitiatum, quin conventus pro contributionibus solvat unum supremum aureum sc. imperialem, nec recipiatur ad Professionem, nisi det tantundem pro communi cista ordinis.

In quorum fidem propriis manibus subscripsimus.

Fr. Lambertus Feron.
Fr. Waltherus Byll.
Fr. Petrus Heythausen.
Fr. Jacobus Lardin.
Fr. Lotharius Schorn.

N°. 291. 2 Oct. 1679.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Nos Frater Lambertus Feron, Ordinis Sanctae Crucis Magister Generalis, cum Rdo Patre Paschasio Collon, conventum nostrum Sanctae Agathae visitantes, infrascripta, maxime necessaria, ordinavimus.

Quia contra pristinum morem hujus conventus, temporalia habere decretionem loco accretionis notavimus, idque non ex alia causa quam malae eorum administrationis, prout ex rationibus non pertinenter redditis agnovimus, Patrem Loven in subprocuratorem constituimus, qui indilate clavem procuratoriae, et liberam bonorum omnium et registrorum inspectionem habebit.

Meminerit Rdus Pater Prior, suscipiendo officium prioratus, se non tantum Marthae sed praecipue Mariae partes assumpsisse, et suorum confratrum in temporalibus et spiritualibus Pastorem esse, qui forma gregis esse debet in regulari observantia: integritas enim praesidentium est salus subditorum: et cum ejus a tempore sui officii extra conventum tot excursus fuisse audiverimus, ut vix in conventu media ex parte temporis resederit, raro etiam, dum adest, in matutinis et officio divino intersit, mandamus ei peremptorie sub privatione officii sui, ut in posterum a talibus se corrigat, praecedentem articulum observet, et receptorum a se et expositorum coram suo conventu infra decem dies rationem reddat; et in posterum, si quid de bonis conventus receperit, statim procuratori reddat, inter recepta ponendum, et si quid exposuerit eidem dicat, ut inter exposita indilate ponat, quae incessanter subprocurator describat.

Datum in conventu praedicto, secunda Octobris 1679, sub sigillo officii nostri et signatura nostra.

(*Locus Sigilli*).

Fr. Lambertus Feron,
Generalis.
Fr. Paschasius Collon,
Socius Rdissimi.

N°. 292. 15 Nov. 1679.

Dolet Prior conventus S. Agathae, quod Magister Generalis eum in visitatione severius tractaverat.

(Chirographum in tabulario conventus S. Agathae).

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum pro concludendo tractatu concordiae inter conventum Wickradiensem et Generosum ibidem, in lite plurimorum annorum et sumptuum, quem Neomagii apud Caesareos Legatos coeperamus, et per biennium urseramus, Coloniam necessario ob terminum, ab Excellentissimo Straetman Caesario Legato Coloniae utrique parti statutum, cum R. P. Priore Wickradiensi, Lothario Schorn, proficisci deberem: venit Rmus Generalis Ordinis nostri ad S. Agatham, sub titulo visitationis. Cum ne vel minimam futurae visitationis indictionem, sive immediate sive mediate, a Rmo accepissem, et peremptorium hoc mandatum criminalis comminationis reliquit, me nec citato nec audito, imo juxta textum expressum Evangelii: „si peccavit in te frater tuus etc." et contra expressum textum statutorum nostrorum, Dist. 2, Cap. 2, n°. 12, a nemine hominum unquam quomodocunque admonito, directe contra statutorum nostrorum placitum, Dist. 2, C. 7, n°. 6, ubi depositiones quorumvis fratrum adversus Praelatum mandantur non recipi, nisi sub poena talionis.

Unde contra relictum praedictum omni meliori modo et forma coram Deo et toto mundo protestor, quod contra jus divinum

et naturale, nostrasque constitutiones latum sit, in summam mei injuriam et falsissima narrata contineat, quam protestationem non modo coram quovis humano, sed etiam divino tribunali tueri paratus sum. Ita me Deus amet et haec Sancta Evangelia. In Principio erat verbum et verbum erat apud Deum etc.

In fidem supra scriptorum haec manu propria et sigillo munivi, anno 1679, 15 9[bris].

Fr. PETRUS HEITHAUSEN,
Definitor et Prior ad S. Agathae.

Cautela pro hoc loco, sub potestate haeretica constituto.

Cum Colonia redux essem, fecit D. Gubernator Graviensis, Baro de Wee, me citari, interrogavitque, cur sibi notificatum non fuerit, Generalem nostrum, quem per octiduum in S. Agathae fuisse et venationibus sese recreasse intelligeret ab aliis, adesse; adhuc recenter Dominum Fiscalem inquisivisse in sacerdotes, pluresque vi publicorum placitorum D. D. Statuum in pingues tales praedas inhiare, oportuisse se moneri, ut difficultates inde exoriri natas potuisset declinare, etc.

Respondi ego agendo gratias pro jam sollicito affectu, excusarique petii, eo quod ipse de adventu aut praesentia Generalis sub fide sacerdotii nihil scivissem; Patres vero excusari, quod in casu tam insolito perplexi nesciverint, quid oporteret fieri, etc. Haec posteris.

N°. 293. 11 April. 1682.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Nos infrascripti, ex speciali commissione Rdiss. P. Generalis nostri conventum nostrum S. Agathae visitantes, duarum immediate praecedentium visitationum decretis inhaerendo, ea, in

quantum praesenti non contrariantur, approbamus, adjungendo sequentia pro accuratiore eorundem observantia, majore cultus divini et regularis disciplinae promotione, et praecipiendo ut executioni mandentur.

Personae alterius sexus rarius ad claustrum admittantur, maxime ambitum, nisi ob necessitatem, neque diutius detineantur commiscendo cum ipsis colloquia, quae omnino impediantur, ne qui suspectentur de incauta conversatione.

Mandamus R. P. Priori, si qui contractus notabiles, elocationes villarum, aut summarum capitalium expositiones faciendae sint, ut id semper cum consensu Patrum capitularium fiat et quoad summas capitales, ut non nisi erga syngrapham juridice factam, extraditam et dictis Patribus ostensam, numerentur, ne conventus periculum aut damnum subeat: dictus R. P. Prior dum ad negotia conventus exit, semper socium seu P. Procuratorem aut alium sacerdotem assumat, ut ita et ipsi in notitiam status deveniant, quae huic loco summopere necessaria (est): ut interim et P. Procurator officio suo exactius fungi possit, P. Prior spatio medii anni omnia reddituum registra, in quantum antiquata, renovabit, et dicto P. Procuratori extradet, ut sciat, quos emonere debeat, qui et solutionem omnium restantiarum maturabit omni possibili modo: mandamus etiam P. Procuratori, ut cum omnibus operariis cujuscunque artis, quamprimum computet, computum in certo libro conscribat, ut ita semper scire possit, quid et quantum cuilibet debeat: neque R. P. Prior requisitus eidem exeundi licentiam deneget, cum hoc pro status notitia necessarium judicamus, qualem computum etiam quoad census haereditarios eidem P. Priori commendamus. Si quae provisio quoad oeconomiam in notabilibus facienda, P. Procuratori committatur, cui et socius adjungatur, quocum suis expeditis indilate redeat, alias R. P. Prior alium deputare poterit pro placito, in quantum decentius est, quod cum aliis quoque faciendum est.

Mandamus R. P. Priori, ut archivium in conventu nostro Venlonensi asservatum, tribus seris obserari curet quamprimum, ne ita cuilibet pateat, cum salus hujus nostrae domus inde dependeat, cui summae capitales, si quae refundantur, includantur, quae non nisi erga parem obligationem, qua expositae fuerunt, exponantur: nullo autem modo ex iis debita manualia persolvantur, cum subsint alia media, quibus ea persolvi possint, ut sunt restantia credita, grana, quae interim cariore praetio ourrente, ad quod advigilandum est, divendantur et alia. In granarium instituimus P. Clippelier, qui diligentem curam habebit omnium granorum, ut suo tempore invertantur, et de receptis et venditis accuratam reddet rationem, toties quoties R. P. Priori visum fuerit.

Ita actum in conventu nostro S. Agathae, a°. 1682, die undecima Aprilis. Quod attestamur propriarum manuum subscriptione.

Fr. Waltherus Byll,
S. Ordinis Definitor, Provincialis ad Mosam et Prior Altinemoris.

Fr. Lotharius Schorn,
Prior Wickradiensis.

N°. 294. 22 April. 1686.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Apographum authen. in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo sexto die 22 Aprilis, ex singulari commissione Rssimi Patris, domum nostram S. Agathae nos infrascripti visitantes, servato debite scrutinio, vix ullos defectus invenimus, quin in praecedenti relicto sufficienter a nobis fuerint prohibiti: proinde memoratum relictum in omnibus et singulis punctis confirmamus, mandantes, ut idem ex-

actius et exactissime servetur, pro cujus executione R. P. Prior et P. Supprior diligentem adhibeant curam, et transgressores poenis statutariis irremissibiliter puniant.

R. P. Prior concedat sacerdotibus qualificatis, si ad hoc subinde a Dominis Pastoribus requirantur, licentiam audiendi confessiones et concionandi, cum per hoc populum aedificare possint, praefixa tamen redeundi hora; quod si contra peccent, ulterius exire non permittantur.

Nullus sub quocunque praetextu septa monasterii exire praesumat, citra licentiam R. P. Prioris vel P. Supprioris; si quis contravenerit, talis ut profugus, juxta statuta gravissime puniatur. Poterit tamen dictus R. P. Prior singulis mensibus semel aut iterum fratribus dare foris obambulandi licentiam, ita ut omnes simul exeant et redeant, ne cuipiam divagandi detur occasio: non denegabitur petenti, si id rarius fiat, bonum amicum invisendi gratia, semper tamen cum socio, et videant fratres, ne per excessus committendos sese tali gratia indignos reddant: quibus etiam assignabitur locus pro sphaeristerio, in quo diebus veniae ludere et sese divertere possint.

Cum dolenter audiamus ex nimia de die, et protracta in serum vesperum potatione, sicut et ex continua tabaci sumptione, plures confusiones oriri et non minima scandala causari, utrumque omnino abrogatum volumus, ne domum Dei popinam militum fieri contingat; hinc mandamus R. P. Priori et in ejus absentia Patri Subpriori, ut nullis aut fratribus aut hospitibus in alterutro excedendi dent occasionem seu licentiam; sed si qui honestiores advenerint hospites, quibus posterius ob honestatem denegari non posset, fiat separatim in alio cubiculo: quibusdam autem sacerdotibus licebit post completorium, secluso tamen omni conventiculo et scandalo, sumere.

Hospites secundum qualitatem personarum tractentur, quibus vinum non propinabitur, nisi de licentia P. Prioris; illis vero sese nullus adjungere praesumat citra licentiam; poterit tamen

quondoque convocari R. P. Senior, maxime si noti sint hospites, quibus etiam tempore horarum canonicarum sufficiat, si cum R. P. Priore adsit P. Cellarius, aut Procurator.

Nullae notabiles quercus honestatis aut necessitatis intuitu cuipiam donentur, nisi de consensu P. P. Capitularium, et ne qui ex dictis patribus alicujus indignationem incurrant, si in simili casu in capitulo secundum sinceritatem dicant, quod sentiunt; absolute inhibemus, ne secreta capituli propalentur etiam a quocunque, cum hinc constet plurima mala et animorum discordias causari.

R. P. Prior, Procurator sicut et fratres laici, quibus id incumbit, accuratiorem curam habeant, ne in sylvis aut paludibus cespites effodiantur, nisi erga condignam solutionem, cum id alias citra damnum conventus fieri nequeat; praedicti fratres laici, sicuti et reliqui, erga Deum sint pii, erga superiores obedientes, sacerdotes reverentiales et in operibus suis seduli.

Caeterum cum pro accuratiore regularis disciplinae observantia necessarium videamus, ut hic Supprior instituatur, absolvimus P. Loven ab officio procuraturae et constituimus eundem in Suppriorem hujus nostrae Agathanae domus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. P. Petrum de Boom n Procuratorem et P. Paulum Clippelar in Cellarium.

Acta sunt haec in conventu nostro S. Agathae anno Domini et die ut supra.

Fr. Waltherus Byll,
Provincialis ad Mosam et Prior Altinemoris.

Fr. Lotharius Schorn,
Prior Wickradiensis.

Copia hujus detur statim Fratri Suppriori, cui mandamus, ut praedictum relictum singulis trimestribus publice in refectorio praelegi curet, ne qui ignorantiam praetendant.

N°. 295. 28 Julii 1687.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Nos infrascripti Fr. Michael Lambrecht, Ordinis Sanctae Crucis Magister Generalis, cum Rdo Patre Petro Hansothe, Secretario nostro, sub actu visitationis conventus nostri Agathensis, hac vigesima octava absolutae, pro majore Dei gloria ac regularis disciplinae incremento, praevio scrutinio, subsequentes has ordinationes, inviolabiliter observandas, Rdo Adm. Domino Wilhelmo Pennecamp, Priori caeterisque Patribus, sub poena privationis ab officio et sub poena inobedientiae formalis respective ac singulis trimestribus in refectorio legendas, decernimus.

Disciplinam regularem, silentiumque in omnibus locis consuetis serio et severe inculcamus: quapropter qui ad pomarium mane et post completorium, hospitum cubicula, cellas fratrum, culinam et alias officinas inhibitas, privata auctoritate intrare praesumpserit, prima vice in capitulo subsequentis diei proclamabitur, et recidivum Rdi Domini Prioris arbitrio puniendum relinquimus. Qui vero extra septa monasterii, sive de die sive sera vespera aut nocte sine obtenta facultate expressa, exivisse convictus fuerit, non modo privatione vocis activae et passivae, a nobis absolvendum, sed et suspensione a divinis per octiduum ipso facto condemnatum declaramus.

Cum sitis in medio pravae nationis constituti, luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est: quare pipalis tabaci cum omnibus promiscue rusticis seu adventantibus fistulationis abusum, ebrietates, compotationes et ejusmodi post completorium conventicula, sub poena sessionis ad terram toties quoties interdicimus.

Cum conventum amodiationibus et aliis exactionibus enormiter gravatum comperiamus, consultum nobis visum fuit omnibus et singulis inhibere, sicut praesenti decreto inhibemus, ut a conviviorum, et dedicationum frequentatione ac per consequens a convivarum reciproca invitatione in posterum abstineant, permittentes nihilominus, ut proximiores parentes confratrum nostrorum, ac benefactores conventus nostri speciales sine profusione et excessu, juxta uniuscujusque conditionem et statum, honeste et recipiantur et tractentur, ad secundam meridianam et octavam vespertinam et non serius.

Nulla deinceps summae notabilis applicatio, nulla rerum immobilium alienatio, permutatio, mutuatio aut quilibet contractus ineatur a Rdo Domino Priore sine expresso scitu, consilio, et consensu omnium aut sanioris partis capitularium sub poena suspensionis ab officio.

Ex quo P. Cleippelier instantius petiit ab officio Cellariatus, propter indispositionem seu verius periculum infirmitatis contrahendae, liberari, eum a dicto officio supportamus et R. P. Blitterwick ejus loco instituimus, qui nulli cerevisiam aut vinum depromet sine superiorum licentia. Et quia portarius aliusque famulus, seculares otiosi et inutiles, in hac domo inveniuntur et gravamini, eos (anno expleto) a conventu dimittendos ordinamus, et portarium F. Bartholomaeum aut alium prudentem et idoneum F. laicum constituendum ordinamus.

Prandio finito, colloquii horam unam et post coenam mediam concedimus, quibus finitis signo campanae dato et audito, omnes ad cellas suas se recipient sub poena privationis colloquii ad octiduum, et in iis orabunt, scribent et studebunt meditationibus et concionibus, in quibus omnes (nullo excepto) prius juniores in refectorio, postea in cathedra ecclesiae applicabuntur. Vespertinas venationes et nocturnas, non nisi cum cautela maxima et prudenti Rdi Domini judicio Prioris permittimus.

Commendamus Rdo Adm. Domino Priori, ut suis fratribus

honestas vacantias ad Parentes et amicos invisendos non deneget, et seduli Pastoris officio fungens, in omnibus praecipuis festivis diebus capitulum servet, in quo oves sibi creditas, verbi Dei pabulo reficiat, vitia eliminet, virtutes cordibus inserat, ac monasticam disciplinam cum dilectione ac mansuetudine paterna promoveat, Fratresque laicos, de mediis non modo ad salutem sed ad virtutis acquisitionem, gnaviter erudiat.

In quorum omnium fidem et robur illas sigillo officii nostri et nostra signatura munivimus. Datum in Sta Agatha hac 28 Julii 1687.

MICHAEL LAMBRECHT,
Generalis.

(*L. S.*)

F. PETRUS HANSOTHE,
Socius Rmi Dni Magistri Generalis et ejus Secretarius.

N°. 296. 31 Dec. 1690.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Autographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

ANNO Domini 1690 mensis Decembris die trigesima prima, sub actu visitationis domus nostrae Sanctae Agathae, haec sunt per nos Fratrem Michaelem Lambrecht, Magistrum Generalem Ordinis Sanctae Crucis, et Fr. Petrum Hansothe, socium nostrum, ordinata et stabilita, quae volumus tam a Rdo Adm. Domino Priore sub poena suspensionis ab officio, caeteris vero Patribus et Fratribus sub poena inobedientiae observari et singulis trimestribus publice legi in refectorio.

Silentium melius observandum temporibus interdictis, maxime vero post completorium, ad memoriam revocamus: et quia ex indulgentia mediae horae vesperi pro colloquio a nobis assignatae abusus irrepserit, illam revocantes cassamus usque ad aliam ordinationem, praecipientes, ut post coenam ad ecclesiam

tendentes, legant *Miserere mei Deus*, secundum praxim et morem in ordine usitatum, quo finito per mediam horam ibidem meditentur vel conscientiae examen instituant.

Cum a jure nobis baptismalia prohibeantur, ita et nos convivia nuptialia et encoenia prorsus interdicimus, tanquam honestati religionis repugnantia: verumtamen si aliquem nostrum in encoeniis concionem habere vel habuisse contigerit, tunc illi ad quartam usque peremptorie apud Dominum Pastorem commedendi facultatem impertimur; quo casu excepto, nulli etiam Domino Priori hanc ordinationem nostram infringere, vel in ea dispensare liceat.

Cum autem dictum Dominum Priorem saepius et saepissime excurrere propter domus utilitatem et alias ejus instantem necessitatem oportuerit et postea expediet; P. Suppriori mandamus, ut domi tanquam mater regularis disciplinae in ejus absentia permaneat, quem depositarium nominamus: praecipientes omnibus et singulis, tam Patribus quam Fratribus, ut indilate omnes suas pecunias ad manus ejus deponant sub poena privationis vocis activae et passivae et aliis in statutis nostris expressis: quas de scitu et beneplacito Domini Prioris recipere et in res honestas et licitas impendere poterunt, ut sic a proprietatis lepra liberi, votum paupertatis illibatum subsistat.

Mandamus Domino Priori, ut magis (quam fuit ante) oeconomiae addictus, culinae et cellae meliorem curam et clausuram adhibeat, a quibus locis omnes arceri praecipimus, necessitate dumtaxat aut justa alia causa requirente excepta: et quia Fratrum Laicorum numerum multiplicavit, ut inutili operariorum copiae aut frequentiae supervacuae supersedeat, labores hujus domus inter praefatos Fratres ocius dividere satagat, ut unusquisque, manuali operi suo intendens, rei domesticae augendae operosius studeatur.

Piscatoribus non vinum adustum, nec pecunias pro eo emendo tradendas, sicut factum est, sed obbam cerevisiae a conventu

asportandam ordinamus; et quia non modicis pecuniis constent retia emenda; ne corrumpantur, eorum curam pro iisdem exsiccandis, conservandis et ad loca propria reponendis, P. Cluit committimus et custodem constituimus.

In quorum omnium fidem et robur praesentes officii nostri sigillo et signatura nostra munivimus. Datum et actum in conventu nostro praefato Agathensi, anno, mense et die, quibus supra.

Fr. Michael Lambrecht,
Generalis.

(L. S.)

Fr. Petrus Hansothe,
Rmi Domini Magistri Generalis Socius.

N°. 297. 14 Jan. 1695.

Prior conventus S. Agathae testatur se tres campanas sub terra abscondisse (a).

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Notum sit, quod propter metum amittendi campanas tres, pendentes in turri conventus nostri Ordinis S. Crucis, dicti S. Agathae, situati in territorio Cuyckensi; ego easdem ex turri demissas, defodi curaverim in horto ambitus, in angulo qui est ad occidentem et septentrionem versus ecclesiam. Ubi data restitutione conventus invenientur, vel alias ob causas effodi poterunt, ad tutiorem locum deferendae. Necessarium duxi hujus acti notam in archivio ponere, quia R. P. Subprior cum P. Procuratore et Seniore F. Gerardo laico hujus rei est conscius. Signatum Venlonae 14 Januarii 1695.

Fr. Wil. Penecamp,
Conventus dicti Prior indignus.

(a) In adversa pagina haec nota: »Modo pendent duae in turri ecclesiae, et una supra culinam, 1772.
F. W. Loveriх, Prior".

N°. 298. 6 Junii 1695.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Anno a Nativitate Domini 1695, mensis Junii die 6 et sequentibus, sub actu visitationis domus nostrae Agathensis, haec sunt a nobis, F. Michaele Lambrecht, Sacri Ordinis Stae Crucis Magistro Generali, cum R. P. Petro Hansothe, socio nostro, ordinata, quae volumus prima die cujuscumque mensis per annum in refectorio legi, una cum antecedentis nostrae visitationis decretis et ab omnibus religiosius observari.

Ut observatio regularis disciplinae majori fervore floreat, exhortamur R. Adm. P. Priorem, ut seclusis demptisque arduis conventus negotiis, quantum fieri poterit, in domo remaneat, et quae agenda erunt, per suum procuratorem erudite a se edoctum, peragi satagat, qui cavebit ab inutilibus expensis et excursibus; ad cujus bursam omnes pecuniae conferentur, exceptis capitalibus et fratrum dotibus, quae semper penes R. Adm. Dominum Priorem remanebunt. Hinc etiam omnibus et singulis, accepta a dicto R. Domino Priore vel P. Subpriore licentia exeundi, mandamus, ut non in multam noctem redeant sub poena arbitraria.

Ad aedificia construenda quod attinet, in posterum nunquam in fundo hujus domus sine nostra licentia, nec alibi absque consensu Patrum interesse habentium, aedificabitur; assensum attamen a nobis designatum ad hypocaustum mutandum et caveam, ordinationi R. Adm. Domini Prioris committimus.

Acta sunt haec in domo nostra praefata, anno, mense et

die, quibus supra. In quorum fidem et robur praesentes officii nostri sigillo et signatura nostra munivimus.

F. MICHAEL LAMBRECHT,
Generalis.

(*L. S.*)

F. PETRUS HANSOTHE,
Socius Rssimi Domini Generalis.

N°. 299. 7 Junii 1695.

Computus accepti et expensi a Priore conventus S. Agathae factus in visitatione.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

(Carptim).

Fr. Wilhelmus Penecamp Clivo-Calcariensis, Canonicus Regularis Ordinis S. Crucis, in conventu Embricensi Professus, Praeside Rdissimo Domino Michaele Lambrechts, totius Ordinis nostri Magistro Generali xxv, canonice electus, et ab eodem 26 Julii 1687 confirmatus Prior conventus S. Agathae, in baronia Cuyckensi, sequentem ibi statum invenit, ut patet ex computu tunc temporis reddito et post confirmationem signato.

Status inventus.

		Flor. St.
Debita Admodiationis usque ad annum 1687 inclusive juxta computum et quitantias erant .	f	12500-„
Debita manualia	-	2150-„
Summa debitorum. .	-	14650-„
Credita bonae solutionis, emutuatae pecuniae, alia liquida credita.	-	12299-4
Granorum maldra computata ad 4 flor. . . .	-	1000-„
Manserunt in Bursa Procuratoris	-	405-„
Summa	f	13704-4

		Flor. St.
Debita	f	14650-„
Credita et parata	-	13704-„

Debita igitur ad f 945-16 plura et majora sunt creditis et paratis.

Ab a°. 1675 usque ad annum 1686 inclusive, tam perdita quam reddita, seu e debitoribus refusa, sunt conventui non reapplicata, sed in quotidianos usus aut debitorum solutionem aliasque necessitates exposita sequentia capitalia:

[Omittimus computum summarum pecuniae perditarum: sufficit adnotasse, periisse 15382 florenos et 10 stuveros].

Status traditus.

His igitur capitalibus amissis, carere debet annua pensione 750 florenorum; unde si Praedecessores illius, gaudentes etiam remissione pachtae anni 1672 ad 2400 flor. et tam insigni annua pensione, post absumpta ipsa capitalia, tanta debita reliquerunt suscessori, sicut in aditu Prioratus, iste commiseratione erat dignus: ita si modo in deteriori statu conventus inveniretur, omnino excusandus esset, cum tamen, Deo soli omnis sit honor et gloria, sine cujus domum aedificantis auxilio et benedictione in vanum laborant eam aedificantes, sequentem in ultima visitatione statum produxerit, 7 Junii 1695, coram Rmo Domino nostro Michaele Lambrechts, totius Ordinis Magistro Generali.

		Flor. St.
Retinuerat Procurator in bursa. . . .	f	205-11
Credita bonae solutionis erant.	-	8699-15
Granorum maldra 417 ad 4 flor. . . .	-	1668-„
Aliae pachtae faciebant	-	600-„
Summa . . .	f	11173-16

	Flor.	St.
Debita admodiationis, inclusa Pachtae anni currentis, erant . . . . f	7148-	„
Manualia. . . . . -	1352-	„
Summa debitorum. f	8500-	„
Parata igitur et credita excrescunt debitis majora ad . . . . f	2673-	16

Considerandum etiam quod de annis 1691, 92, 93 ex parte praetorum Neomagensium in de Oey nil omnino perceperimus, sed potius pro contributionibus solvendis super impenderimus ad 216 flor. Anno autem 1693 grando excussit 2 majores fenestras ecclesiae aliasque in conventu reparatas pro 105 flor. Item excussit omne pene panicum ad minus ad 100 mald. Constabat autem isto anno 6 et 6½ flor. Prata insuper omnia inundata manserunt usque ad medium Augustum cum damno valde notabili, quod cum ceteris P. Prior Hagae-comitis in consilio sufficientibus testimoniis demonstravit, facile excedere 1000 flor. *Pro memoria.*

Acquisita capitalia.	Flor.	St.
Ratione dotis P. Henrici Bloemarts . . . . . f	750-	„
Ratione dotis F. Gerardi Janssen . . . . . . -	1900-	„
Ratione dotis F. Reineri van Kempen. . . . . -	900-	„
Ratione dotis P. Joannis Bloemaerts . . . . . -	2000-	„
Ratione Missae Hebdomadariae ad honorem Jesu, Mariae, Annae . . . . -	312-	„

N.B. Item ratione trium cereorum accendendorum ante statuas Jesu, Mariae, Annae, 200 flor., quos non computat, quia videntur potius cedere in onus quam emolumentum; si tamen onus censendum est, quod ad impetrandam Dei benedictionem ad Dei et sanctorum honorem suscipitur.

		Flor. St.
A devota Domicella Margarita Pyck, sorore praedecessoris hujus Prioris, legatum 400 flor. super civitatem Maseyckensem	f	400-„
[Sequuntur adhuc quaedam summae acceptae ad	-	1469-7]
Summa. . . .	f	7731-7
[Alia accepta ad	f	5022-„
In quibus invenio:]		
Acquisivit P. Prior ratione convictus Domini Capitanei Stoppelaer.	-	62-10
Ratione convictus D. Passeron de annis 1694 et 95.	-	250-„
Ratione convictus Ambrosii Portarii nostri de annis 1691 et 95	-	100-„

Capitalia quasi perdita aut mortua resuscitata, ac in statum redacta.

Levarat Rmus D. Abbas Sigbergensis Boch a nobis capitale mille florenorum. Cujus successore D. Nuilandt negante debitum tam capitalis quam cessarum pensionum, sub praetextu quod sine scitu et consensu capitularium fuisset levatum, post longas multo tempore molestias ac sumptus, inchoatos, interruptos repetitosque processus, res totaliter desperata videbatur, donec invento solido (ut Priori videbatur atque vere erat) fundamento, litem resuscitavit, in qua triumphans, solutis omnibus restantibus pensionibus ad 750 flor., servavit securumque reddidit, quod hic ponitur capitale . . . . f 1000-„

Sub eodem titulo reddere recusabat conventus noster Venlonensis 1250 flor. ab A. R. P. Pyck Priore, A. R. P. Priori Neerven mutuo datos: post magnas autem instantias, preces ac minas, remissis 250 flor., restituit per obligationem super territorium Stralenle. f 1000-„

Item P. Prior Pyck, absque capitularium consensu permutarat capitale bis mille flor. erga obligationem firmatam super decimas serenis. Ducis Neoburgici in Herpen, Dominii Ravensteniani. Visitatoribus autem sicut et Rmo Domino Generali 1687 contractum istum annultantibus, tum quod non esset legitimus, tum quod nulla fieret aut speraretur solutio, ex ejusdem Rmi mandato continuatis, aliquot annorum spatiis, molestiis, precibus, rationibus, minis intentandae litis et remissis aliquot pensionibus, restitutum est capitale . . . . f 2000-„

Flor. St.

Sequuntur alia capitalia ad . . . . - 1500-„

Summa. . . . . f 4500-„(a)

Onera diminuta ac sublata.

Obtinuit nuper a Rege (b) remissionem pachtae annorum 1673 et 74 . . . . f 4800-„

Reaedificationem villae incineratae obtinuit regiis sumptibus, facit ad minus, cum splendida sit. - 800-„

Obtinuit novam admodiationem, inchoatam 1 Januarii a° 1692 pro 1600 florenis, cum antea daremus 2400 florenos: facit spatio decem annorum - 8000-„

[Alia accepta ad . . . . - 100-„]

Summa . . . . f 14600-„

[Tota pecuniarum summa, quam ab an. 1686 ad an. 1695, lucratus erat P. Prior, ascendit ad flor. 38853-„]

Conservatio Paludis nostrae.

Habuit conventus et etiam nunc possidet insignem paludem cum vicinorum invidia, nam et a° 1542 passus est contradic-

(a) 4500-„ lege 5500-„

(b) *A Rege* sc. Gallo-Franciae, qui territorium Cuyckense invaserat.

tionem, imo et a° 1630 longam ac sumptuosam sustinuit litem sive processum Hagae-comitis, quo interrupto, sustulerant successu temporis vicini positos limites, numero tres, quarto putrefacto per vetustatem.

Quibus hoc modo sublatis, incipiebant per obliquam cespitum effossionem nostram proscindere paludem ac terminare, quod revera duorum annorum spatio factum fuisset, nisi P. Prior informatus per paludis custodem, terminos per Archisatrapae vicarium renovari postulans, ab eodem scabinos Wanradienses cum Millensibus citari fecisset ad locum competentem 29 Octob. 1689.

Ubi post multas altercationes tandem convicti, actis probatissimis productis, res dilata est usque ad 19 Novemb. 1689; quando citatis et aliorum pagorum scabinis, omnibusque ad paludem simul euntibus, videntibus, approbantibus atque adjuvantibus, renovati atque ulterius promoti sunt limites dictae paludis, facto novo instrumento scabinorum singulorum, Archiscribae locum tenentis ac Vicarii Amptmanni manibus subscripto ac roborato; ita ut nunquam post hac in dubium vocari possit paludis nostrae possessio, eo magis aestimanda, quod ad ducentos annos sufficere possit conventui.

Manutenentia possessionis stabulandorum pecorum in aliis pagis.

Habet inferior pars dimidia territorii seu baroniae Cuyckensis, vulgo t. Neerampt, magnum districtum ex gratuito baronis cujusdam dono pro pascendis pecoribus cujuscunque pagi, omnibus indifferenter communem. Natura autem per situationem commodam tribuit singulis pagis ac eorum appertinentiis notabilem districtus illius partem sibi vicinam, quam solis Agathanis negavit. Unde coguntur sua pecora constituere seu stabulari apud hos vel illos, ut ad pastum cum aliis villarum istarum pecoribus mane educta vespere reducantur, in bonum hospitis, fimo eorum fruentis. Propter hoc invidia magnas et

frequentes a multis retro annis suscitavit contentiones ac dissidia inter pagos et communitatem S. Agathae; donec Hapsenses non ita pridem specialiter sese opposuerunt, impetrato annis 1690 et 91 ab Archisatrapa decreto, prohibente sub notabili mulcta omnibus externis (tales putabant et Agathanos) mittere pecora et incolis admittere de nocte ad stabula sua.

Quia vero istud cedebat in damnum inaestimabile nobis Agathanis, post rogatam frustra decreti dati suspensionem, coactus fuit P. Prior (nam omnes officiales, ipse etiam alias addictissimus conventui Dominus Amptmannus, hac in re nobis erant contrarii) petere conventionem omnium, quorum intererat, coram D. D. Amptmanno, Reddituario Regis et supremo Praetore, in qua dum praeter omnium opinionem clarissimis P. Prior rationibus legitimum Agathanorum possessionem evicisset, decreta est secunda conventio. Quam declinantes Hapsenses, petierunt decisionem peti a consilio Regis, sicut factum est. Deputato igitur et misso Hagam-comitis P. Priore ab Agathanis, et Domino Paringet ab Hapsensibus, comparitio facta est coram commissariis deputatis a consilio D. D. Hogendorp et Schuilenburg, qui auditis utriusque partis allegatis, examinatisque rationibus, pro Agathanis tulere sententiam, ut viginti tantum pecora in Haps (ne ansam habeant de gravamine conquerendi), reliqua vero in aliis pagis stabulemur.

Reparationes ecclesiae, bibliothecae etc.

De aedificiis eorumque innovatione ac reparatione, de procuratis ecclesiae ornamentis, de acquisitis pro bibliotheca, praeter alios libros, centum in folio voluminibus, de sedecim pro refectorio scyphis argenteis, nihil certi assignatur, cum alias summam facerent notabilem, sed serviat tantum pro memoria.

Nos infrascripti capitulares S. Agathae statum conventus S. Agathae, in decem immediate praecedentibus paginis positum, ita ab Adm. R. P. Priore Wilhelmo Penecamp inventum ac

traditum in visitationibus supra dictis, fatemur F. Jacobus Loven, Subpr.; Fr. Petrus van den Boom, Procur.; F. Petrus op den Bergh; F. Gerardus Schelen; F. Everardus Cluyth; F. Henricus Bloemarts.

Concordat cum originali subsignato, ita attestor infrascriptus capituli secretarius.

F. J. Loven.

N°. 300. 1 Nov. 1695.

Conditiones aedificandi altare in capella B. M. V., usurpata a Fr. Cruciferis in Uden.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

Conditien waer op tusschen de Capelmeesters Marten Dirck Eynsen ende Jan Roefs aen eene, ende tusschen Meester Gysbert van Zeelant aen de andere kant, een contract is ingegaen van wegen den Authaer in de Capel te maecken.

Ten eersten, dat den geheelen Authaer Meester Gysbert op syn eygen kosten sal moeten maecken, gelyck hy in de model ons heeft voorgestelt, rakende de zydt daer den geslingerden pilaer staet, met de twee portalen, sonder eenige kosten van de Capel, het is in yserwerck, in kost en dranck, of wat voor onkosten daer op mogten lopen: uitgenomen dat de Capel ofte de Capelmeesters sorge moeten dragen om den Authaer ofte van Zeelant, ofte van Ravensteyn af te halen.

Ten tweeden, dat de voorgenoemden Authaer sal moeten gemaeckt worden uyt een eegael in couleur wagenschot hout, oock daer geen striepen in syn, maer opregte karn van hout, uytgenomen dat den voet voor den Authaer met dry trappen rontsom met deenen hout kan bestaen.

Ten derden, dat de hoogde van den Authaer syn moet 28 voeten, de breette, dat de twee portalen van beyde kanten de muyr moeten raken en ingesloten syn en met sleutel en slooten te sluyten.

Ten vierden, dat Meester Gysbert tot laste van hem al het beeldewerck en loofwerck, ofte wat daerin te snyden valt, sal laten snyden van eenen goeden meester, die bestaen kan, maer dat al het stoffeeren, ofte marmelizeeren binnen Antwerpen by een meester, die men sal aenwysen, moet geschieden.

Ten vyfden, dat, wanneer den Authaer sal veerdig syn, op kosten van de Capel, van eenen goeden meester, die de Capelmeesters sullen gelieven te roepen, sal goet gekeurt worden, dat in cas daer in eenige fouten mogten invallen in het schryn-, werk ofte beelden, dat deselvige op kosten van Meester Gysbert sullen uytgenomen worden, en gebetert, ende dat niet alleen voor dien tydt, maer ofte somtyts in een, twee, dry jaren nog eenige fouten daer aenquamen, dat deselvige onse Meester Gysbert sal hermaken. Ende vorders dat den Authaer veerdig, ende gereet en goetgekeurt moet syn agt dagen voor onse L. V. Visitatie.

Ten lesten is verconditioneert, dat alswanneer den Authaer sal syn in syn volle effect, ende van eenen goeden meester geapprobeert dien tyt als vooren genoemt is geworden, dat als dan de ondergeschreve Capelmeesters sullen gehouden syn aen Meester Gysbert voornoemt datelyck te tellen vierhondert guldens, ende het super plus, dat is, de hondert en negentich guldens een vierendeeljaers daer na. Actum 1 Novemb. 1695.

Maerten Dierckx, Capelmeester.
Joannes Roeffs.
Gysbert Ver Mase.

N°. 301. 17 Maii 1697.

Dominus regionis de Ravestein Fr. Cruciferis in Uden concedit usum Capellae B. M. V. ibidem.

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis et C. R. Hermans verzameling van charters en geschiedk. bescheiden betrekkelijk het land van Ravestein. II, pag. 299).

Von Gottes Gnaden wir Johann Wilhelm, Pfaltzgraff bey Rhein, des heyligen Römischen Reichs Ertz-Schatzmeister, und Churfürst in Bayeren, zu Gülich, Cleve und Berg Herzog, Graff zu Veldentz, Sponheimb, der Marck, Ravensberg und Moersz, Herr zue Ravenstein etc., thuen kund und fuegen hiemit Jedermänniglich zu wiszen: Demnach unsz Prior und Conventualen des Creutzbrueder-Ordens zu Ueden demüthigst zu erkennen gegeben, waszmaszen die zu gemeltem Ueden gelegene alte Marianische Capelle, welche vor langen Jahren mit viele Miraculen scheinbahr und vielfältig frequentirt gewesen, nachgehendts aber durch Versäumbnusz und obgewesene beschwerliche Zeiten der Zulauff zu obgedachter Capelle hinterblieben, nunmehro widerumb durch gemelter P. P. Crucigerorum Administration und Direction in vorigen Devotionsstand gerathen, mit gleichmäsziger Bitt, wir dieselbe dabey zu handhaben und zu continuiren, gnädigst geruhen wollen; dasz wir darauff solchen demüthigstem suchen und bitten, solcher gestalten jedoch gnädigst statt gegeben, maszen wir hiemit und krafft dieses thuen, dasz obgemelten P. P. Crucigeris, zu Praejuditz unsers und des von unsz. alsz Collatorn rechtmäszig providirten Beneficiati, mehr nit dan der Gebrauch obgemelter Capellen, mit Meesz lesen, predigen, Beicht hören und dergleichen, umb die Marianische Devotion zu underhalten, gestattet werden solle. Solchem nach befehlen wir unseren Landt-Drosten, Beambten und Underthanen unsers Landts und Herrschafft Ravenstein

hiemit gnädigst, obgemelte P. P. Crucigeros zu Ueden bey dem Gebrauch der daselbstigen Marianischen Capell obgemelter massen zu schützen und zu handhaben. Urkund unsers Handzeichens und hervorgetrückten geheimen Cammer-Cantzley Secret-Siegels. Düszeldorff, den 17 May 1697.

(L. S.) JOHANN WILHELM, Churfürst.

N°. 302. {23 Junii 1696. 26 Junii 1697.

Rectores Capellae B. M. V. in Uden concedunt usum ejusdem sacelli Fr. Cruciferis, approbante Vicario Generali.

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis).

Visis serenissimi Electoris Clementissimi Domini nostri patentibus publicis, sigillo cum propria manu [munitis], quibus in continuationem et conservationem novae restitutae et reparatae devotionis Marianae, in sacello nostro Divae Virginis in Uden Patriae Ravenstenianae, quae a longis retro annis partim per incuriam deservitorum, partim injuriam temporum penitus extincta fuerat, concedit Rev. Patribus Crucigeris in dicto Uden degentibus, tanquam veris restauratoribus memoratae devotionis (uti toti mundo patet et patuit) administrationem et usum sacelli praetacti, celebrando, praedicando, et confessiones excipiendo, caeteraque officia divina ad ejusmodi devotionem necessaria.

Et quoniam memorati patres pro fideli servitio suo et zelo praestito, nihil omnino usque modo perceperunt, sed puro amore omnia fecerunt.

Hinc equidem est, quod nos infra scripti Aediles et Rectores praefati sacelli ratione moti, quod qui Altari servit de Altari et vivat, quin etiam quod serenissimus Dominus noster et Elector dictos Patres Crucigeros in administratione memorati sacelli pro conservatione restitutae devotionis manutenere intendat; hisce

et vigore manuum nostrarum subscriptarum constituimus et committimus dictis patribus officium divinum in praefato sacello peragendum, uti a principio hujus inceptae devotionis peractum fuit, nimirum:

pro primo, ut dicti Patres, omnibus festivitatibus D. Virginis pridie et ipso festo, Vesperas in memorato sacello solemniter cantent, concludendo ipsas litaniis Lauretanis;

pro secundo, quod supradicti Patres omnibus diebus sabatinis, et praecipue in ipsis Divae, ob summum populi accursum, sacellum de necessariis confessariis provideant; et

pro tertio, quod in quolibet festo unam vel duas servent conciones cum sacro solemni;

pro quarto, quod per totas octavas cujuslibet festi Divae Virginis Sacrum solemniter cantent, et sic caetera officia divina, quae dicti Patres in auctionem reparatae devotionis necessaria judicaverint, appromittentes ipsis dignam pro posse nostro satisfactionem, humillime insuper requirentes quoslibet nostros superiores ecclesiasticos, ut actum hunc, auctoritate sua, ita stabilire et confirmare dignentur, ut qui divinum hoc opus, divino zelo accensi, coeperunt, etiam gratia divina, et favore nostrorum superiorum continuare et finire valeant. Actum Uden, 23 Junii 1696.

Erat subscriptum: MARTEN DIRCKS,
JOANNES ROEFS,
Capelmeesters.

Hoc transumptum ex Flandrico in latinum concordat cum suo originali.

F. HENRICUS BRUINS.

Citra praejudicium Rectoris, concedimus usque ad proximam nostram visitationem. Datum Leodii in aedibus residentiae nostrae, hac prima Julii 1696.

FERD. COMES DE BERLO,
Campiniae Archidiaconus.

B. 33.

[In margine propria manu adscripsit Vicarius Generalis:]
Nos confirmamus et approbamus ea quae Magistri Capellae praesenti Rdis P.P. Crucigeris concesserunt, insuper concedimus iisdem aditum omni tempore ad sacellum et pro majori cultu Divae Virginis Matris, ut horas suas legere vel cantare, concionari, confessiones audire, sacrum solemne celebrare, Laudes Vespertinas in honorem Virginis cantare omni tempore valeant et possint. Datum in Uden, hac 26 Junii 1697.

GUIL. BER. DE HINNISDAEL,
Coadministr. et Vicar. Generalis Leodiensis.

N°. 303. 31 Oct. 1697.

Dominus regionis de Ravestein concedit Fratribus Cruciferis in Uden facultatem aedificandi monasterium juxta Capellam B. M. V. ibidem.

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis; et C. R. Hermans verzameling van charters en geschiedk. bescheiden betrekkelijk het land van Ravestein. II, 300).

Von Gottesz Gnaden wir Johann Wilhelm, Pfalzgraff bey Rhein, desz heyligen Römischen Reichsz Erz-Schazmeister und Churfürst in Beyeren, zu Gülich, Cleve und Berg Herzog, Graff zu Veldenz, Sponheimb, der Marck, Ravenszberg und Mörs, Herr zu Ravenstein, thuen kundt und fuegen hiemit jedermänniglich zu wissen: Demnach wir Priori und Conventuale desz Creuzbrueder-Ordens zu Ueden, unterm 17 May negsthin, nur den Gebrauch der alten Marianischen Capellen daselbsten, zu Unterhalt und Beförderung darinnen wieder anntachfender Devotion, gnädigst verstattet haben, und dan dieselbe uns ferner demuetigst supplicando zuerkennen gegeben, dasz wegen Abgelegenheit dortiger ihrer jezigen Residenz und darumb nothwendiger Vertheilung ihres Officii, ihrem klei-

nen Oratorio zugleich und dem Gotteszdienst in besegter Capellen, mit Bedienung der dorthin in ziemblicher Anzahl kommenden Pilgramen schwerlich abwarten und nach ihren guten Willen völliges Vergnügen leisten könten, mit gleichmässiger demütigster Bitt, wir ihnen ferner gnädigst erlauben mögten, das sie gemelte ihre Residenz transferiren, selbige negst der Capellen wider erbawen, und also dise Capell an statt ihrer Kirchen gebrauchen mögten; dasz wir darauff solchem demütigsten suchen und bitten, dergestalt jedoch gnädigst statt gegeben, inmassen wir hiemit und krafft dieses thuen, dasz sie P. P. Crucigeri vermittelst Transferirung und Aufrichtung ihrer Wohnung negst mehrgem. Capellen und obgleichermassen ihnen gnädigst concedirten Brauch derselben dem zeitlichen rechtmäszig providirtem beneficiato nichts benehmen, deszen Bedienung unbeëinträchtiget lassen, selbigem auch auf begehren jederzeit mit nötigen paramenten unweigerlich an handtgehen, und sonsten in praejudicium juris patronatus et provisi nichts unternehmen, hingegen die Marianische Devotion, mit Mesz lesen, predigen und Beichthören, möglichst beförderen und unterhalten sollen. Welchem nach befehlen wir unserem Drosten, Vicedrosten, forth übrigen Beambten und Unterthanen unsers Landtsz und Herrschafft Ravenstein hiemit gnädigst, mehrgem. P. P. Crucigeros in Transferirung ihrer Wohning und Aufrichtung derselben bey mehrgem. Capelle nicht allein unbehinderlich zu sein, sondern denselben hierinfals allen Verschub zu leisten und sie wider mauiglichen zu handhaben. Urkund unsers Handzeichens und hievorgetrückten geheimen Cammer-Cantzley Secrets. Geben Benszberg, den 31 Octobris 1697.

(L. S.) Johann Wilhelm, Churfürst.

N°. 304. 25 Febr. 1698.

Episcopus Leodiensis approbat donum usus Capellae B. M. V. in Uden, et juxta eam aedificandi monasterii facultatem, Fratribus Ordinis S. Crucis concessa.

(Apographum authen. in tabulario conventus Udensis; et C. R. Hermans verzameling van charters en geschiedk. bescheiden betrekkelijk het land van Ravestein. II, pag. 302).

Josephus Clemens Dei gratia Archiepiscopus Coloniensis et Princeps Elector, Episcopus et Princeps Leodiensis, utriusque Bavariae et Bullonii Dux, Marchio Franchimontensis, Comes Lossensis, Hornensis etc., universis et singulis praesentes nostras litteras inspecturis, salutem in Domino. Prior et conventuales Ordinis S. Crucis conventus Udensis, patriae Ravensteiniensis, dioecesis nostrae Leodiensis, humillime nobis seu nostro in spiritualibus coadministratori et vicario generali exposuerunt, quod ob commodiorem administrationem Mariani sacelli dicti loci de Uden, atque [pro] illac confluentium peregrinorum majori devotione, ulteriorique ibidem progressu atque augmento devotionis Marianae, placuerit Serenissimo Electori Palatino per suas de data trigesimae primae Octobris anni 1697 patentes litteras, ejusdem sacelli usum, deinde aedificationem monasterii prope dictum sacellum ipsis gratiose concedere, cum ea supplicatione, ut nostrum desuper requisitum et necessarium consensum praebere vellemus et dignaremur: hinc nos praefatorum Prioris et conventualium justae supplicationi favorabiliter annuere volentes, de scitu et assensu dicti nostri in spiritualibus coadministratoris et vicarii generalis, in praemissis tenore praesentium consensum nostrum praebemus, ac quaecumque eo circa gesta sunt, ad majorem Dei gloriam et beatae Mariae Virginis honorem approbamus; ita tamen quod dicti Prior et conventuales prompte ac sponte in dicto sacello po-

puli christiani devotionem promoveant, nihil legitimo temporali beneficiato demant, aut ejus deservitionem derogent, insuper eidem necessaria paramenta ad petitionem irrefraganter subministrent, et de caetero nil in praejudicium juris patronatus et provisi moliantur. Datum in civitate nostra Leodiensi sub signatura praetacti nostri in spiritualibus coadministratoris et vicarii generalis, sigilloque nostro consueto, hac vigesima quinta Februarii 1698.

GUIL. BER. DE HINNISDAEL,
(*L. S.*) Coadministrator et Vicarius Generalis Leodiensis.
HEN. MARTINI.

N°. 305. 24 April. 1698.

Acta capituli generalis, praeside Petro Hansotthe, Magistro Generali.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec sunt definita et ordinata per nos Petrum Hansotthe, Generalem; Mathiam Goffin, Leodiensem; Laurentium van der Hagen, Trajectensem; Henricum Gerdeners, Pontis Coëli; Christianum Schiltgens, Mariae Pacis Priores, Definitores capituli generalis a° 1698, 24 April. et duobus diebus immediate sequentibus, in primaria S. Crucis domo Clari Loci apud Huium.

Approbationes.

Approbamus art. 2^{dum} praecedentis capituli generalis a° 1686, die 12 Maii et duobus sequentibus diebus servati, ut spiritualia exercitia singulis a quolibet infallibiliter observentur.

Similiter approbamus articulum 4^{tum} ejusdem capituli, ut visitatores observantiam accuratam statutorum et laudabilis antiquae consuetudinis ubique inculcent, quod Patres Priores sub privatione sui officii observent.

Articulum 5^{tum} praecedentis capituli incipientem: „Bullam Eugenii IV confirmamus", addito tamen hoc complexo, quod Domini Priores nullatenus in suis visitationibus tenebuntur deponere claves, nisi praevie convicti sint de crimine.

Approbatur art. 8^{vus} quoad visitatores et vicarios R^{mi} P. Generalis, qui non habebunt aliam potestatem, quam quae in commissione eorum facienda a R^{mo} P. Generali ad certum tempus, prout exprimetur in confirmatione eorundem, accipienda a R^{mo} Patre. Qui quidem R^{mus} P. instituit pro Mosana Provincia A. R. D. P. Waltherum Bijll, Priorem Altinemoris, pro Rhenana R. A. D. P. Henricum Palm, Priorem Embricensem, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: quorum si aliquem mori contigerit a praefato R^{mo} P. Generali providebitur de successore.

Ordinationes.

Committimus revisionem novi Breviarii formandi R^{do} Adm. Patri Vicario Generali, Henrico Palm, Priori Embricensi, qui revisione facta, id ipsum R^{mo} Domino Magistro Generali et Definitoribus submittet, ut ulterius de communicato consilio statuatur ejusdem impressio.

Experimur quosdam, pro dolor, non sine dedecore status religiosi comam nutrire: sic praecipimus R. Adm. Dominis P. P. Vicariis Generalibus, quatenus desuper invigilent, ut omnes et singuli statui nostro religioso conformi rasura utantur ad normam P. P. Huiensium.

Mandamus absolute, ut si quocunque obveniente casu Prior cujuscunque domus, litigare (quod Deus avertat) contra R^{mum} P. Magistrum Generalem, aut Sacrum Ordinem ausus fuerit, quod talis praevie cautionem sufficientem praestet de sumptibus et expensis omnibus eventualibus.

Inaudivimus aliquos Fratres beneficia sollicitare simplicia, quorum fructibus dissolutionem in religione introducere prae-

sumunt; nos qui disciplinae regularis collapsae restitutionem et in vigore permanentis continuationem cordi habemus, districte praecipiendo mandamus, ut fratres ejusmodi beneficiis provisi a nostris conventibus recedant, vel a se indilate his visis dimittant, quorum omnium executionem mandamus Adm. R. Domino P. Provinciali Franciae, illius conscientiam desuper stricte onerantes.

Prohibemus sub poena privationis vocis, ne quilibet fratrum audeat recipere directe vel indirecte a parentibus aspirantium ad habitum vel professionem aut ab ipso novitio, vel a quocunque alio pecuniam, libros, vestes aut aliud ejusmodi eo intuitu, quod factum fuisse Parisiis deprehendimus.

Sub poena suspensionis inhibemus omnibus et singulis, ne quisquam audeat frequentare popinas, cum hoc deroget sacris canonibus et sanctitati religionis nostrae.

Continuamus in primaria nostra domo Huiensi studium theologicum sub eruditissimo D. P. Martino Coronne; Embricae instituimus in lectorem philosophiae Patrem van de Sandt, et in Nigra Palude, finito cursu in conventu Pontis Coeli, reincipiet P. Bosman.

Mandamus R. Adm. D. Priori Ruremundensi, ut vigore praesentium indilate extradat moderno Pastori et Priori Wecbercano registra, documenta et chartas aliaque omnia, concernentia Pastoratum nostrum in Wecberck.

Actum ut supra. F. PETRUS HANSOTTE,
Magister Generalis.
F. MATHIAS GOFFIN,
Prior Leodiensis.
F. LAURENTIUS VAN DER HAGEN,
Prior Trajectensis.
F. HENRICUS GERDINERS,
Prior Pontis Coeli.
F. CHRISTIANUS SCHILTGENS,
Prior Mariae Pacis.

N°. 306. 23 April. 1698.

Ordinis S. Crucis Magister Generalis et Definitores ad libellum supplicem pollicentur Fratribus Cruciferis in Uden, se auxilio futuros monasterii aedificationi.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

Reverendissime atque Amplissime Domine Generalis et Adm. Reverendi Domini Patres Definitores.

Cum debito respectu et reverentia Prior Udensis remonstrat, quod post deditionem Sylvae-ducis anno 1628 (*a*), inde sui cum suis expulsi praedecessores, ex gratia Serenissimi Ducis Neoburgici in Udensi Dominii Ravensteniensis pago, domicilium fixerint, ubi per 70 jam annos exules Deo serviunt; eorum successores desideratam in solitudine sua ac paupertate benedictionem sperantes, quae paulatim hoc tempore magis ac magis affulget: illa enim cujus Dominus humilitatem respexit, et Deum in eo laudat, quod exaltarit humiles, Virgo Deipara humilitatem, ut apparet, nostram eligere dignata est, ad languentem a multis annis et quasi emortuum sui, in dicato sibi hic sacello, cultum pro Dei gloria restaurandum. Quod ex successu patet admirabili. Toto enim ex omni conditione et sexu mundo, quasi per conspirationem, nobis adversante, conatibus Deus nostris non sine mirabilium (non dico miraculorum, quod examini judicis relinquitur) operatione adfuit atque adest tam efficaciter, ut accrescente fortiter fidelium devotione, ex longa lataque vicinia magnae quotannis processiones locum ita frequentent, ut et singulis per annum Sabbathis confessarii in peregrinis audiendis occupentur.

Unde Serenissimus Elector Palatinus rei fama permotus et facta per supremos aulae ac territorii ministros singulari ac diligenti inquisitione adeoque de veritate sufficienter instructus,

(*a*) 1628, lege 1629.

dictum nostris in perpetuum usibus sacellum donavit, cum licentia ibidem exstruendi monasterium.

Illustrissimus etiam Dominus Vicarius Generalis Leodiensis per falsas adversariorum narrationes a nobis antea alienus, in propria dignatus persona locum invisere per ea, quae vidit et audivit, mutato animo laudavit conatus, promittens omnibus modis auxilia (ut facit), juvare gratiis et privilegiis munire, ut in cultu Deiparae Dei promovere gloriam, animarumque satagamus zelari ac procurare salutem.

Posito igitur hoc necessario fundamento, Dominus Prior ad gratiam vestram recurrens, ea qua par est, humilitate supplicat R^mo et vobis respective D. D. P. P. Definitoribus ac Prioribus, ut spatia charitatis dilatetis, votis nostris interveniente vestra munificentia pie secundando, quae non frustrabitur mercede sua, utpote in opus tam pium, quam nobis proficuum ac toti S. Ordini nostro gloriosum, eroganda. Novistis etenim qualiter anno 29 hujus saeculi confiscatis omnibus bonis, pensionibus, redditibus, caeterisque tam im-quam-mobilibus Sylvaducis expulsi, tanquam exules hucusque in alieno degamus territorio, Patriae de Ravensteyn, ac proinde media plane deficiant, ad prosequendum piissimum intentum nostrum. Pollicemur interim, si suppetias de taxis ac domibus vestris possimus praestolari, futurum ut quibuscumque conventibus, in regulari disciplina, officio divino caeterisque spectantibus ad promotionem professionis nostrae, favente Deo, pares simus extituri. Non aliud praesumimus de liberalitate vestra: si enim unquam coelum et superi regratiati sint munificentiae devotorum cordium, vestro utique favori, quem exhibebitis in Maria Regina sua, Patrona nostra de Tilia, regratiabuntur (*a*) et nos, qui manemus.

Humillimi Oratores.

P. P. et F. F. conv. Udensis.

(*a*) *Regratiabuntur*, lege *regratiabimur*.

[Margini haec apposita:]

Separet a bursa communi sui conventus D. Exponens oblata a fidelibus, ut dum sufficientes ad incipiendum aedificium pecunias habuerit, nobis significet, ut tunc, siquid possimus contribuere ex aerario communi, consentiamus petitioni supplicantium.

28 Aprilis 1698.

Fr. PETRUS HANSOTHE,
Generalis.

Fr. M. GOFFIN,
Definitor.

Fr. L. VAN DER HAEGEN,
Definitor.

Fr. HEN. GERTNERS,
Pontis Coeli Definitor.

Fr. CHRISTIANUS SCHILGEN,
Prior Mariae Pacis Definitor.

[Inferius adscriptum:]

Cum pro novis aedificiis prope sacellum Divae Virginis extruendis, prout a Serenissimo nostro Electore placidatum fuit et in capitulo generali a Rdissimo nostro Domino Generali sicut et a R. R. P. P. definitoribus approbatum, plures requirantur latices, permittimus Adm. R. Domino Priori, ut et alteram lateriam seu laticum fornacem fieri curet, salva tamen restrictione pro inceptione aedificiorum in capitulo generali data. Ita ordinatum sub actu visitationis 23 Octobris 1698.

Fr. WALTH. BYLL,
Vicarius Rdissimi Patris Generalis.

Fr. HEN. GERTNERS,
Definitor et Socius D. Vicarii.

N°. 307. 26 Oct. 1698.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Nos infrascripti ex singulari commissione Rmi P. Generalis et ex officio domum nostram Agathanam visitantes, pro majore cultus divini decore, virtutum incremento et accuratione regularis disciplinae observantia, haec sequentia ordinanda duximus, ad quorum exactissimam executionem omnes et singulos serio hortamur, neque cum transgressoribus ullo modo conniveatur sed poenis statutariis vel arbitrariis ab Adm. Domino Priore puniantur et in ejus absentia a R. Patre Suppriore, cui specialiter et districte committimus horum rigorosam executionem et seriam attentionem, ut pro officio suo alios moneat verbo et trahat exemplo, ne in horum defectu conscientiam suam gravatam velit.

Spirituale exercitium in ultimo capitulo generali omnibus et singulis serio recommendatum volumus, mandantes R. Domino Priori, ut idem quam primum in praxin redigere satagat, a quo neminem exemptum judicamus, nisi discretio R. Domini Prioris ob evidentem causam pro tempore aliquem excusari posse putaverit.

Ordinamus, ut deficientibus campanis, mane dicta prima et vesperi post dictum in completorio Pater noster et Credo in ferialibus diebus, in Dominicis vero post datam benedictionem cum venerabili nola aliqua signum detur ad salutationem Angelicam pro lucrandis indulgentiis.

Cum passim plures utantur camiseis lineis, hic in conventu contra statutorum tenorem inhibemus districte, ne id amplius fiat, sed juxta statuta laneis utentur camisiis, nisi R. A. D.

Prior ex causis dispensandum judicaverit cum uno aut altero. Mandamus quoque omnibus et singulis, ut numerum lineorum suorum et omnia quod ad lotionem mittuntur in charta specificata Patri Cellario tradantur in scripto. Ipse quoque P. Cellarius numerum lineorum accurate specificet, ante quam ad lotionem mittantur, ut videat an in remissis aliquid desit. R. Adm. D. Prior quam primum et in quantum possibile, cum distantia loci causet aliquam difficultatem, ordinet ut lotio dicta transferatur seu fiat in loco conventui viciniore et magis accommodato.

Deambulationes per ambitum maxime dominicis et festivis diebus prope ecclesiam et prope portam omnino sint inhibitae, cum fieri dignoscantur ad intercipiendos externos viros et mulieres ad colloquium, quod per similem occasionem eo fit liberius, idque absque scitu R. D. Prioris, citra cujus placitum nullae etiam fiant deambulationes cum saecularibus personis per hortum, cum hae dissolutionem aliquam introducant.

Cum Patres Schelen et uterque Blomers cum caeteris Patribus per vices non concionentur, ut interim honestius occupentur, iisdem mandamus, ut successive singulis septimanis in refectorio dicant: si tamen allegent memoriae labilitatem, poterunt ex charta sermonem cum gravitate tamen legere, pro ut in ultimo relicto a Rmo Patre ordinatum et R. P. Priori commissum, adeoque executioni irremissibiliter mandandum.

Omnes serio admonitos volumus, ut Rdo P. Priori, si paterne moneantur, eidem in minimo non contradicant, sed cum humilitate audiant, et si quid excusationis allegare possint, fiat cum debito respectu et reverentia, cum Prioralis authoritas absolute interteneri debeat, multo minus cum eodem contendere praesumant in praesentia quorumcunque, pro ut etiam in ultimo relicto serio mandatum, ne per hoc animorum discordia generetur. Vicissim dictus R. P. Prior, ubi viderit vos ex filiali affectu et sincero corde pro ut obligamini, sibi in omnibus de-

ferre, non minus affectuose vos in charitatis visceribus fovebi et diliget.

Ita actum in hac domo nostra Agathana, A°. 1698, 26 Octobris.

Fr. WALTHERUS BYLL,
Vicarius Rdissimi Patris Generalis et Prior Alti-nimoris.
Fr. HEN. GERTNERS,
Definitor, Socius D. Vicarii et Prior Pontis Coeli.

N°. 308. 1799.

Rogant Fratres Ordinis S. Crucis conventus in Uden omnes Pastores, ut fideles certiores faciant indulgentiarum, quas Innocentius XII concessit visitantibus capellam B. M. V. ibidem.

(Apographum in tabulario conventus Udensis).

Omnibus hasce praesentes visuris seu lecturis salutem in Dno. Notum facimus, Sanctissimo Domino nostro Papae Innocentio duodecimo factam esse expositionem, quomodo ante hac in sacello Beatae et miraculosae Virginis Mariae Udensi maxime floruerit devotio Mariana, et hinc maximus utriusque sexus Christi fidelium fuerit concursus, et devotio paulatim per injuriam temporum vel forte incuriam dominorum deservitorum fuerit neglecta: quare sanctissimus Dnus Papa Innocentius duodecimus hisce motus ad majorem Dei gloriam, et hanc devotionem Marianam iterum restaurandam, promovendam, et magis augendam; omnibus utriusque sexus Christi fidelibus hoc sacellum Udense B. et miraculosae Virginis Mariae, in festo Assumptionis ejusdem (id est 15 Augusti) devote visitantibus, vere contritis, et confessis sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumentibus, et preces, ad intentionem Smi Domini Papae effundentibus, benigne indulgentias plenarias concessit. Quapropter in restaurationem, et majorem accrescentiam hujus devotionis Marianae, humiliter rogamus Adm. Rdos et

Amplissimos Dominos Decanos, Pastores, Missionarios, caeterosque concionatores, ut dignentur ex Cathedris suis auditorio suo promulgare, et pro viribus subditos suos animare et ad hanc devotionem Marianam incitare, quod sperans subscribor vestris Adm. Rdis et Amplissimis Dominationibus.

N°. 309. { 27 Jan. en 21 Febr. 1698. 12 Maii 1699.

Postquam Innocentius XII, varias largitus erat indulgentias Christi fidelibus, qui nomen dederint confraternitati suffragii defunctorum, erectae in capella B. M. V. in Uden, Coadjutor et Vicarius Generalis Episcopatus Leodiensis approbat ejusdem statuta et regulas.

(Apographum authent. membranaceum et chartaceum in tabulario conventus Udensis).

N°. 310. Maii 1799.

Fr. Cruciferorum Prior Udensis rogat Magistrum Generalem assensum transferendi aedes monasterii ad locum, capellae B. M. V. contiguum.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Reverendissime atque amplissime Domine Magister Generalis.

Recurrit ad reverendissimam dignitatem vestram Udensis Prior, recurrit humilis filius ad Patrem, Patri cum debito respectu et deosculatione manuum exponens: quod ob commodiorem administrationem Mariani sacelli hujus pagi, atque illac confluentium peregrinorum majori devotione, ulteriorique progressu atque augmento Mariani cultus, placuerit Serenissimo Electori Palatino Domino nostro per suas de data 17 Maii anni 1697 patentes litteras, gratiose nobis concedere ejusdem sacelli usum: deinde 31 Octobris anni 97 superaddita illac transferendi con-

ventus anthoritate, in propriam perpetuo eandem nobis donare ac stabilire dignatus sit ecclesiam, quodque 5 Februarii 1698 Serenissimi Electoris Coloniensis tanquam Episcopi Leodiensis accesserit approbatio.

Incredibile atque impossibile hoc existimabatur futurum illo tempore, quo quidam praelati, ecclesiastici, religiosi, domini etc. (persuasis et attractis in suas partes ac patrocinium primariis aulae ministris) contra nos animati atque armati, totos sese omnibus pio nostro conatui modis privatim palamque fortissime opponebant: sed possibile potentior reddidit Virgo Virginum, cui dictum fuit ab angelo: „Non erit impossibile apud Deum omne verbum".

Efficaci ejusdem dictus Prior fretus ope, per ipsam et pro ipsa, imo ne repellatur, cum ipsa ad pedes reverendissimae dignitatis vestrae provolutus, sua ingeminat suspiria et preces, ut tantum Serenissimi Electoris beneficium in ea, quam eodem beneficio intendit, datoque diplomate urget atque a reverendissima dignitate vestra avide exspectat, Mariani cultus promotione, impetrata ad hoc R^{mae} dignitatis vestrae pro transferendo ad dictum sacellum conventu licentia, stabilire et consummare dignetur.

Deus inspiravit, dedit incipere, superaddidit benedictionem, Deipara favet et fovet, principes promovere satagunt, gratias accumulant, tuentur, protegunt, fideles aedificantur, accressit peregrinorum ac peregrinationum numerus: celebris devotionis locus unicas, quibus indiget a reverendissima dignitate vestra inclamat, sperat, exspectatque faventes et auxiliatrices manus.

Absterrere non debent peregrinae de re quasi impossibili apprehensiones, quia totum aedificium multo amplius, nitidius, altius, commodius, perfectius hoc, quo inhabitamus, pro mille-quingentis tantum (non ultra), cum illo quod habemus in calce et lateribus, imperialibus consummabitur.

Qui si solum ex capitali conventus summa relevari deberent, ex hoc considerandum R^{mae} dignitati vestrae humillime

offero: quodnam damnum, vel quae ruina conventui accresceret? ubi videre licet, quod de oblatis a fidelibus in sacello tria nova intra triennium altaria cum novo organo (*a*) erecta sint, quorum tamen oblatorum dispositio tamdiu manebit penes ejus aediles seu provisores, donec conjuncto capellae conventu tota omnium et capellae administratio in conventum transferantur.

Praeter ista conventus recipit ex sede communicantium annue ad minus centum florenos, ex officio custodis quinquaginta florenos, habet sacellum adhuc cantorem et organistam, qui in omnibus festivitatibus D. Virginis et diebus Sabbatinis, vigore certi stipendii, ad minus 25 florenorum tenentur ad sacelli servitium, quo optime carere possumus, ac proinde de cera non est quod amplius simus solliciti: habet adhuc sacellum sua certa media, quibus abundantius de omnibus necessariis provideri potest: ergo capitalia in dictam intentionem levata et applicata non diminuentur, sed magis stabilientur cum auctione annui census, aucta majori devotione.

Porro si progressum etiam spiritualem attendere dignetur R[ma] dignitas vestra, denuo considerandum offert, an non expediat, tum propter loci distantiam, qua tempore hyemali quam maxime incommodamur, tum propter officii divisionem, tum etiam propter continuos religiosorum excursus, ipsos contineri et detineri in suo conventu, quo fieret ut accuratissima hora sua statuta chorum servare, et a sexta matutina ad undicimam sacra habere possemus.

Ad haec considerandum humiliter dictus Prior offert R[mae] dignitati vestrae: an non timendum, ne gravem ulterior dilatio Serenissimi nostri pariat offensam, facile ex hac negligentia praesumentis, suas ab ordine ordini praestitas gratias, privilegia ac dona vilipendi, certe parum aestimare non sine periculo jacturae irreparabilis.

(*a*) In fronte hujus organi legitur: *Conradus Ruprecht, orgelmaker me fecit*, 1699, 23 *Oct. Anholdiae.* (*Anholt prope Zevenaar.*)

Strenue enim per fideles agitur conventus patronos et amicos apud Serenissimum, ut per Udensis pastoratus collationem novi se hujus conventus fundatorem reddere dignetur; cujus indubitatae quasi certitudinem spei irritam redditura videtur retardatio aedificii; juste enim gratia denegatur secunda, non aestimanti primam.

Insidiantur enim occulte adversarii, qui occasione longioris morae accepta, facile nostrae pro pastoratu sollicitationis notitia novis ac fortioribus motibus ac modis posteriora impedire, priora invertere allaborabunt, quod apud offensum nostra negligentia principem non erit difficile.

Haec humillima supplica jam diu exspectavit, quin imo morae impatiens obviam ivit, quaesivit, sed non inveniens reverendissimam dignitatem vestram, non sine gemitu reversa est; verum nunc rumpenda sunt omnia obstacula, diu protracta mora pio conatui nocumentum minitata est quam maximum, ulterior dilatio totum subvertet negotium: si quidem a fidilissimis amicis nunc recenter admonemur, quod nisi cito propositi aedificii fundamenta ponantur, certo certius a subdolis quibusdam supplantandi simus, ita ut pulcherrimi illi praevisi fructus non nobis, quibus parati, degustandi, sed ab aliis in praedam sint rapiendi. Haec est ratio, quare et ego et mei charissimi subditi summo angore pressi, ac formidantes, ne tali astu et haec a nobis occasio et omnis imposterum Serenissimi clementissima gratia uno ictu sit ampulanda, reverendissimae dignitati vestrae pedibus humillime advoluti, enixe precemur, ut piis et justis votis nostris clementer ennuere et sub propria manu auctoritatem nobis dare dignetur, quam primum Marianae domus fundamenta ad ordinis gloriam incipiendi: quem in finem nunc accincti sumus proficisci Dusseldorpium, ut Serenissimum humillime supplicemus, quatenus et novae domus lapidem angularem ponere et illam in aeternam suam protectionem tanquam fundator suscipere ulteriusque favoribus et gratiis amplificare dignetur.

N°. 311. 29 et 30 Junii 1699.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Nos Fr. Petrus Hansothe, Magister Generalis Ordinis Sanctae Crucis, cum Fr. Joanne Eugenio Stassart, Assistente nostro, post per actam die vigesima nona et trigesima mensis Junii anni 1699 foeliciter in domo nostra Agathana visitationem generalem, usibus praefati ordinis nostri conformem, et unoquoque Fratrum nostrorum secundum leges scrutinii consuetas audito, nihil honestati religionis nostrae, seu regulae, seu statutis nostris, aut moribus derogare invenientes, sed omnes et singulos in pace et perfectae fraternitatis adunatos vinculo, sic nec alias ordinationes, praeter eas quae praecedentibus visitationibus salubriter sunt institutae, condere decrevimus, ne multiplicentur entia sine necessitate.

Quo circa iisdem firmiter inhaerentes earumque executionem renovantes, vos omnes et singulos, ut praemissum est, ad regulam, in qua totius religiositatis finis, et omnium monasticae vitae sectatorum salus resplendet, remittimus, nec non ad constitutiones nostras, et decreta capitulorum generalium, maxime vero ad illud novissime elapsi, quo praecipitur, ut unusquisque se conformet primariae domui Huensi, scilicet, in habitu, rasura, caputio acciminato, et cingulo nigro, ut sicut, Apostolo Paulo attestante, omnes nos in unum corpus congregati sumus, sic in uno vitae et morum spiritu semper vivamus. Haec acta et publicata sunt in domo nostra Sanctae Agathae, anno, mense, diebus, quibus supra. In quorum fidem et robur praesentes officii nostri sigillo et signatura nostra munivimus.

Fr. Petrus Hansothe,
Generalis.

Fr. Joannes Eugenius Stassart,
Assistens et Secretarius Rmi.

N°. 312. 30 Junii 1699.

Magister Generalis permittit Priori Udensi, ut monasterium transferat ad locum Sacello B. M. V. vicinum, et summam 3000 flor. commodo accipiat.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

Ad majorem Dei et B. Mariae Virginis laudem et gloriam.

Nos infrascripti Generalis Canonicorum Regularium Ordinis Stae Crucis, viso et examinato Serenissimi Electoris Palatini diplomate, quo Sacellum B. Mariae Virginis oppidi Udensis concessit, et in perpetuum Sacro Ordini nostro incorporavit: praematuro super hoc habito consilio, cum praecipuis nostris Patribus, signanter cum viciniore conventus nostri Agathani P. Wilhelmo Penecamp Priore: eo quod a domo nostra in dicto oppido sita notabiliter distat, et propter alias praegnantes causas; nobis utile esse visum est et consentaneum, praedictam nostram domum Udensem (alias ecclesia carentem) ad Sacellum istud transportare, et novam ibidem ad normam hodiernam a nobis descriptam erigere. Quem in finem R. Adm. Domino Henrico Bruns Udensi Priori nostro suisque Patribus et Fratribus (si opus fuerit ad effectum illum dumtaxat) levandi et accipiendi ad pensionem vel interesse, summam trium millium flor., harum serie licentiam indulgemus et facultatem impertimur, nec non aedificii constructionem seu erectionem, prudentiae, directioni et sollicitudini praefati Rdi Adm. Domini Prioris Agathensis privative, absolute et independenter commisimus, sicut in praesentiarum nunc et pro futuro committimus. Mandantes omnibus et singulis quibuscumque in virtute Stae obedientiae (quantum ad opus praemissum) eidem obediant, non conturbent, voluntatem sequantur et mandatis ejus, tanquam nobis, si praesentes essemus, obtemperent. In quorum

fidem et robur praesentes officii nostri et signatura nostra munitas dedimus. Datum in Sta Agatha hac 30 Junii 1699.

Erat subscriptum: Fr. PETRUS HANSOTHE, Generalis.

Concordat cum originali; ita attestor.

Fr. WIL. PENECAMP, Prior S. Agathae.

N°. 313. 16 Nov. 1699.

Testatur Vice-Drossardus regionis de Ravestein, Priori Udensi concessum esse aedificare novum monasterium.

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis).

Op 't versoeck van den Wel Eerweerdigen Heer Henricus Bruins, Prior van het convent der Heeren Patres Cruysbroederen tot Uden in deese Lande van Ravensteyn, op de frontieren van Brabant gelegen, verklare ende certificere mits deesen, dat den voornoemden Heer ende Pater Prior, van syne Churfurst. Durglucht vanden Paltz, mynen gnadichsten Heere, heeft verkregen, een convent ofte clooster by, ende aen een miraculeuse capelle van onse L. Vrouwe binnen Uden tot haren Heeren Cruysbroeders kosten op te mogen timmeren, omme aldaer de devotie te promoveren, ende voort te setten.

Waer toe dan oock syne Churfurst. Durglt. van Cöln, als Prins ende Bisschop van Luyck, de confirmatie verleent heeft.

Ende gemerckt dat het opbouwen van een clooster niet kan geschieden sonder eenigen kalck, steen, leyen ende yser, soo heeft meergemelten Heer Prior tot Luyck daer van eenige provisie gekoft, omme dieselve de Maze af nae deese Lande van Ravensteyn te brengen, ende tot opbouwingh van 't voorschreve clooster te gebruycken.

Des in oirconde heb deese certificatie mit myne gewoonlycke signature beteyckent, ende daer op gedruckt myn cachet. Signatum Ravensteyn, den 16 November 1699.

GERARD THEODOR VAN HOUTHORST.

N°. 314. . 6 Oct. 1700.

Commendant Magister Ordinis S. Crucis Generalis et Definitores omnibus suae congregationis Prioribus, ut novas aedes monasterii Fr. Cruciferorum in Uden larga eleemosyna adjuvent.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

Nos generalis et definitores omnibus et singulis S. et canonici ordinis nostri Prioribus, patronis, fautoribus et amicis salutem.

Cum fideli relatione nobis innotuerit, quibus augmentis et incrementis pro Dei majori gloria devotio Deiparae virginis in miraculoso sacello in Uden, S. et canonico Ordini nostro S. Crucis, a Serenissimo Principe Electore Palatino clementissime adjudicato, adnitente et plurimum collaborante moderno illius conventus Priore R. P. Henrico Bruns, promoveatur, qui alias de consensu et mandato Rdiss. Domini Generalis, Marianae devotionis propagationem vel maxime desiderantis, conventum novum ex fundamento excitare et erigere coactus fuerit, cujus sumptus tenuitatem mediorum supradicti conventus longe excedunt. Hinc omnes et singulos, signanter S. Ordinis nostri Priores, in Domino hortamur, ut pro suo erga Dei Matrem pio affectu, voluntaria ac larga eleemosina novellam hanc plantationem fovere et promovere dignentur, recepturi ab ipsa piissima Dei Matre in vita uberem et post hanc perennem compensationem. In quorum fidem hasce subsignatas consueto sigillo nostro munivimus, Huii hac 6 octobris 1700 in consistorio definitoriali.

F. Petrus Hansothe,
Generalis.

F. Mathias Goffin,
Prior Leod. Capituli Generalis Definitor.

F. Laur. van der Hagen,
Capituli Generalis Definit. et Trajecti Prior.

F. Henricus Gertners,
Prior Brugensis Definitor.

Christianus Sciltgen,
Prior B. Mariae Pacis et Definitor.

N°. 315. - 14 Oct. 1700.

Dona oblata Fratribus Cruciferis conventus in Uden ad aedificandum monasterium prope sacellum B. M. Virginis.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

Jesus, Maria, Augustinus.

Dum jubilat Christi vicarius in terris cum purpurato cardinalium coetu Romae, totusque christianus orbis exultans fruitur Sacratissimae Passionis Jesu meritis, anno nimirum jubilei 1700, conjubilat sacer ac canonicus S. Crucis ordo super erecta domo Mariana in Uden prope celeberrimum, ac multis coelestibus beneficiis famosum sacellum divae Virginis, quae sacra domus sub gratia Omnipotentis, simul ac benevolentia Augustissimae coeli Imperatricis Mariae, sub expresso favore et consensu Serenissimi Principis Electoris Palatini, Joannis Wilhelmi clementissimi Domini nostri, tandemque sub benedictione obedientiae Reverendissimi Petri Hansoth, applaudentibus Adm. Reverendis et Consultissimis PP. Definitoribus omnibusque praefati S. Ordinis superioribus, jam tandem (laus sit Deo et Deiparae) ad absolutam pervenit perfectionem.

Quod quantum placuerit Reverendissimo et Adm. RR. PP. Definitoribus ex adjuncta declaratione, seu manifesto Sacri Ordinis sigillo et superiorum chyrographo roborato, abunde patescit, proindeque rogantur in Domino Adm. RR. PP. superiores, patroni, amici, ut in fabricae Marianae solutionem, fraternae benevolentiae viscera in tantum pandere velint, ut e coelo largam remunerationem, ac in terris nunquam morituram laudabilem memoriam adipiscantur, posteris relinquentes exemplum tam sanctae et fraternae harmoniae, qua totus sacer ordo consertis manibus ejusdem gloriam, et augmentum promovere contendit. Quem in finem sub benedictione obedientiae emissus est R. P. Petrus Rovers hujus sacrae domus Supprior. Nos hic

n miraculoso sacello pios benefactores tanquam stylo ferreo halibi inscribemus, ut ex nunc et semper in sacrificiis et preibus eorundem habeatur memoria; in pari casu parem appronittimus praestare charitatem, quod spondent, qui subscribunt.

Ex Uden, 14 8bris 1700. Prior et Conventuales.

Praeter centum quindecim florenos Hollandicos, quos dedi n paratis, suscipio in me solutionem gabellae ad quadraginta lorenos; item mercedem fabri pro omnibus ad quatuor millia ibrarum paratis, sicut et deinceps parandis ferramentis cum seris suscipio et suscipiam, quae ad minus sese extendit ad ducentos quinquaginta florenos, simul quadringentos quinque florenos Hollandicos sive centum sexaginta duos imperiales in specie sive moneta Brabantica, dico imperiales 162.

Deo sit et Deiparae gloria.

Fr. Wilhelmus Penecamp,
Prior S. Agathae.

Prior Pontis Coeli dedit 20 imperiales monetae nostrae.

Religiosi ecclesiae S. Salvatoris in Wickrath in pium subsidium numerarunt sedecim imperiales: in specie faciunt 20 currentes.

Quidam religiosus in Wegberck dedit 2 imperiales in spec.

Prior Alti-Nemoris, nomine sui conventus pro pio subsidio erectionis praememoratae Marianae domus, promittit se daturum sexaginta imperiales nostrae monetae, qui in specifica facient quinquaginta imperiales, quos per occasionem mittet.

Domus Brandenburgica, pro domo sufficienter superius nominata, succurrit ad summam 25, dico viginti quinque imperiales in specie.

Domus Colensis triginta florenos, plus datura, nisi nostrum aedificium nos urgeret.

Domus Maseicensis obtulit 10 imperiales in specie in honorem Domini nostri Jesu Christi Crucifixi et B. V. Mariae Matris ejus.

No. 316. 27 Martii 1702.

Joannes Wilhelmus, Comes Palatinus et Dominus Ravesteinensis, decernit dona, in sacello B. M. V. in Uden oblata, tribuenda esse conventui Fr. Cruciferorum.

(Apographum authent. ex lingua Germanica in latinam versum in tabulario conventus Udensis).

Nos Dei gratia Joannes Wilhelmus, Comes Palatinus etc.

Manifestamus hisce gratiose omnibus officialibus nostris Patriae de Ravenstein, praesertim scabinis, praefectis, aedilibus et incolis Udensibus.

Cum nobis Prior et conventuales Ordinis S[tae] Crucis de Uden praedicti, humillime significaverint, quomodo devotio Deiparae in ejusdem sacello quotidie augeatur, et idcirco, celebrando, confessiones excipiendo, praedicando omni conamine intendant, in eumque finem plures religiosos alere debeant, obedienti supplica, ut ipsis quaevis in praedicto sacello oblata (quae hucusque aediles collegerunt et in usum praedicti sacelli impenderunt) gratiose concederemus, quod ipsorum humili supplicae et petitioni, rationibus nos ad id moventibus, condescendimus et concessimus, ut praescripti Patres Crucigeri a nunc usque in futurum, non solum in praedicto sacello obvia oblata, sed etiam eidem annexum annuum reditum circiter quinquaginta florenorum Hollandicorum ipsimet accipere, iisque uti possint, sic tamen ut ipsi Patres Crucigeri debeant ac teneantur praedictum sacellum in ornamentis et in debito statu conservare. Hisce vobis omnibus et singulis praescriptis gratiose mandantes, ut praescriptos Patres Crucigeros in Uden secundum hanc nostram gratiosam concessionem et ordinantiam efficaciter defendatis et manuteneatis, et etiam inde ut id fiat nobis, providemus. In

testimonium hujus nobis hic super impressi cancellariae sigilli, datum Dusseldorpii, vigesima septima Martii 1702.

Ex supra Illustrissimi Electoris singulari gratioso mandato.

Signatum: VEY HEER VAN HOOGKIRCKEN, M.p.
Secretarius.

Inferius: JOANNES HERMANNUS VOGEL, M.p.

N°. 317. 4 Maii 1702.

Ordines Provinciarum Belgii foedere junctarum Generales conventum S. Agathae in suam recipiunt protectionem (Sauve garde).

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 318. 25 Maii 1702.

Ad petitionem Fr. Cruciferorum in Uden concedit Vicarius Generalis Episcopatus Leodiensis, Campiniae Archidiaconus, iis oblata, quae a peregrinantibus in capella B. M. V. offeruntur, nisi quid juris obstet.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

N°. 319. 2 Junii 1702.

Clemens XI P. M., visitantibus ecclesiam conventus S. Agathae in festo ejusdem Patronae indulgentiam plenariam largitur.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Clemens P. P. XI.

Universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis salutem, et Apostolicam Benedictionem. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus ecclesiae thesauris

pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui ecclesiam conventus S. Agathae, Fratrum Ordinis Cruciferorum nuncupatam, sub dominio Hollandorum, Ruremundensis dioecesis, die festo ejusdem Sanctae Agathae, a primis vesperis usque ad occasum solis diei ejusmodi, singulis annis devote visitaverint et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, praecedentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris, die secunda Junii MDCCII, Pontificatus nostri anno secundo.

Gratis pro Deo.

Placet ut publicentur. Actum Ruraemundae 30 Januarii 1703.

F. Angelus, Episc. R.

De mandato etc.

J. F. Cottart, Secretarius.

N°. 320. 15 Junii 1702.

Magister Generalis dat facultatem Fratribus conventus Udensis vendendi argenteam supellectilem.

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis).

Reverendissime et Amplissime Domine.

Cum nihil notatu dignum in conventibus Sacri Ordinis nostri agere liceat aut immutare, sine Rdissimae Dominationis

vestrae petito et obtento consensu: hisce nos infrascripti cum debita reverentia et submissione (licet aliunde satis notum) exponimus, qualiter de praetacta licentia extruxerimus conventum novum, contiguum sacello beatae Mariae virginis de Tilia in Uden, freti potissimum adminuculo Ordinis. Hoc autem aut non sufficienti aut retardato, coacti fuimus (modicis nostris redditibus majori ex parte levatis et ad id applicatis) argenteam nostram suppellectilem, excepta quotidiano usui serviente, pro mille ducentis florenis Hollandicis dare in hypothecam, cum onere solvendi annuam pensionem. Quae pensio cum capitalem summam paucioribus annis posset exaequare, manente ibi argento infructuose, humillime supplicamus infrascripti illius oppignoratae argenteae supellectilis a Rdissima Dominatione vestra distrahendae facultatem, ut ex divenditae pretio oppignorantis nummi refundantur. Deinde cum supra sex millia capitalium, circiter manualium debitorum in tribus millibus gravemur, quibus prementibus impares sumus solvendo, licet totum hominem impenderimus et impendamus, augente insuper angustias nostras injuria temporum et silente ulteriori ordinis subsidio; pari humilitate supplicamus quamdam domum in hoc sitam territorio, quaedam bonnuaria terrae levioris annexa habentem, ab Adm. R. D. Branten (a) plus minus mille emptam florenis, divendendi licentiam, ut illius nummi aequivalentis capitalis serviant redemptioni, pro qua domo mille plus minus florenos Hollandicos habere poterimus, de qua tunc annue ultra triginta tres florenos non habemus, praeterquam quod nobis incumbat et domus reparatio et agrorum solitae contributionis solutio, cum tunc vendita servire possit redemptioni pensionis quinquaginta florenorum annuatim. Super quae (cogente necessitate, quae legem non habet) gratiosum Rdissimae Dominationis vestrae praestolaturi consensum, manemus cum omni reverentiali et filiali respectu Rdissimae Dignitatis ves-

(a) Henrico Branten, Priore. Cf. T. I, p. 332.

trae obedientissimi filii, Prior et conventus Udensis capitulares.

Fr. Martinus van den Bichelaer, P. Udens.
Fr. Petrus Rovers, Subp.
Fr. Gerardus Dhamen.
Fr. Franciscus van den Velden.
Fr. Leonardus Mattsey.

Uden, 15 Junii 1702.

Licentiam concedimus argenteam suppellectilem hic specificatam vendendi, dummodo pecuniam de illa provenientem faciant mihi contrare fuisse applicatam ad effectum, de quo supra. Datum Huii, hac 18 7bris 1702.

Fr. P. Hansotthe, Generalis.

N°. 321. 2 Julii 1702.

Vetat Campiniae Archidiaconus aediles capellae B. M. V. in Uden dare rationem accepti et expensi, nisi quem ipse assignaverit.

(Apographum in tabulario conventus Udensis).

N°. 322. 6/17 Julii 1702.

Magnae Britanniae militibus praefectus de Marlborough conventum S. Agathae in suam recipit protectionem (Sauvegarde).

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Given at the camp at Over Assel.

N°. 323. 16 Julii 1702.

Robertus Comes de Athlone, equitatui Provinciarum Belgii foedere junctarum, praefectus, conventum S. Agathae in suam recipit protectionem. (Sauvegarde).

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Gedaen in het leeger tot Over Asselt.

N°. 324. 9 Aug. 1702.

Lite exorta capellae B. M. V. Udensis Rectorem inter et Fr. Cruciferos circa oblata fidelium in dicto sacrario, praecipit Campiniae Archidiaconus, ut utraque pars jus suum explicet.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

N°. 325. 20 Sept. 1702.

Archidiaconus Campiniae dona et oblata in sacello B. M. Virginis in Uden assignat Fr. Cruciferis ibidem.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

Reverendissime et Illustrissime Domine Episcope Namurcensis, Archidiacone Majoris Campiniae.

Prior Cruciferorum Udensium vexatus ab asserto Domino Vos (a) ratione oblatorum in capella Divae Virginis in Uden, reproducit ordinationem vestram de data nona Augusti novissimi, intimatam dicto Domino Vos quarta currentis, qua ordinabatur eidem opponenti allegare quaecumque poterunt favere ad suum jus et alias, prout latius continetur in dicto vestro decreto: cum nihil allegaverit, hinc sperat exponens in sui favorem decernendum, quaecumque oblata in dicta capella facta et imposterum facienda sibi concedenda seu adjudicanda esse, quod faciendo etc.

Fr. Martinus van den Bichelaer,
Can. Ord. S. Crucis, P. Udensis.

Ferdinandus Maximilianus, Comes de Berlo de Brus, Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Namurcensis, Cathedralis Ecclesiae Leodiensis canonicus, et in eodem Majoris Campiniae Archidiaconus, contentis praesentis supplica, aliisque repro-

(a) D. Vos erat Rector capellae sive beneficiatus.

ductis attentis (praevia revocatione recursus ad ser^{mum} Ducem Neoburgicum indebite in materia oblatorum ecclesiasticorum habiti) oblata, de quibus [agitur], usque ad aliam nostram ordinationem seu revocationem exponenti ejusque conventui exnunc adjudicamus, ita tamen ut ex iis quaecumque necessaria, tam quoad reparationem capellae quam ornatum ejusdem, exsolvantur. Mandantes Magistris fabricae, ut hujus anni computum et reliqua Rndo P. Priori Udensi praestent intra mensem, sub poena ulterioris ordinationis. Datum anno Domini 1702, mensis Septembris die vigesima.

De Mandato et per Registrum.

Joannes Thomas Cartiels,
Archid. Campiniae Notarius.

N°. 326. 18 Jan. 1706.

Johannes Wilhelmus, Comes Palatinus, permittit Fratribus Ordinis S. Crucis conventus Udensis, ut pro honesta sustentatione in territorio Ravesteinensi mendicent.

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis).

N°. 327. 6 Junii 1706.

Missa hebdomadaria in ecclesia conventus Aquisgranensis fundata.

(Chr. Quix, Die Pfarre zum H. Kreuz in Aachen, pag. 60).

Nos Prior et capitulares Canonicorum Regularium Stae Crucis, in civitate Aquisgranensi, Leod. dioec., notum facimus, et attestamur per praesentes, quod Dominus Jacobus de Eschweiler et Domina Margaretha Claessens, conjuges, cives Aquisgranenses, cum infra adjuncto expresso consensu, et beneplacito Rmi Dni Petri Hanzothe p. t. Generalis nostri, ex pio motivo in nostra Canonicorum Regularium Cruciferorum ecclesia hic Aquis-

grani fundaverint unam hebdomadariam missam pro vivis et defunctis utriusque fundatorum familiae de Eschweiler et Claessens perpetuis temporibus habendam et continuandam: ac pro eadem fundatione praenominati conjuges ordinaverunt, atque nobis Priori et Capitularibus supramentionatis, prompte et realiter numeraverunt summam capitalem ducentorum quadraginta imperialium, quolibet computato ad quinquaginta sex marcas Aquenses, quam summam nos Prior et Capitulares, uti praefertur, realiter hodie infrascripta data nos accepisse fatemur, ad applicandam eandem in melius bonum, et incrementum nostrae, post generale incendium Aquisgranense nondum integraliter restauratae, ecclesiae et monasterii. Et idcirco nos Prior et Capitulares pro nobis et successoribus nostris, hisce fideliter promittimus, et nos, nostrosque successores in perpetuum in optima juris forma obligamus, quod nos erga annuum reditum praedictae summae capitalis, nimirum erga duodecim ejusmodi imperiales annuatim nostro oneri cedendos, praememoratam unam missam singulis septimanis, et quidem prima vice, vigesima currentis mensis Junii, et sic consequenter, perpetuis temporibus continuando, in dicta ecclesia nostra hebdomadatim celebrabimus, celebrarique curabimus, ac servabimns, nec non paramenta, ceram, hostias, vinumque ad hujusmodi missam requisita, in perpetuum sumptibus monasterii nostri subministrabimus et procurabimus; cum hac expressa conditione, et apposita ulteriori obligatione, si praefata hebdomadaria missa futuris temporibus (in quem finem consanguineos proximos ex sua familia supradicti conjuges pro inspectoribus ordinarunt) rite singulis septimanis non haberetur, ac praevia una, alterave admonitione commissus defectus non suppleretur: quod eo casu praenominati fundatores, et post obitum eorundem, proximi consanguinei, uti inspectores absolutam potestatem habebunt, supradictam hebdomadariam missam ex nostra ecclesia in aliam ecclesiam pro libitu suo transferendi, et capitalem summam praetactam

a nobis et nostris successoribus jure merito repetendi, quam summam dicto insperato casu, sine ulla contradictione aut exceptione nos Prior et capitulares integre restituere tenebimur. In quorum omnium indubitatam et certam assecurationem, pro stabili ac irrevocabili hypotheca pro nobis et successoribus nostris ponimus ac obligamus nostri monasterii bona ubicunque reperibilia et sita, in quantum necesse, omni dolo et fraude penitus exclusis. In quorum fidem praesentes manibus nostris propriis subscripsimus, et sigillo monasterii nostri communivimus in duplo expeditas. Actum Aquisgrani hac decima sexta Junii, anno Domini millesimo septingentesimo sexto.

F. G. Engelberch Orsbach,
Prior Ord. S. Crucis.
F. J. B. ab Eschweiler,
F. Joannes Schruers.

N°. 328. 9 Aug. 1706.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Nos infrascripti ex officio visitantes domum nostram Agathensem Ordinis S. Crucis, pro augmento honoris Dei et regularis disciplinae, sequentia ordinanda duximus, prout ordinamus.

Officium divinum, praecipua post essentialia Professionis et regulae pars, secundum modum in constitutionibus nostris praescriptum cum interna et externa devotione persolvatur. Et ut hoc cum majori solemnitate inposterum fiat, Dominus Prior et Supprior in danda exeundi licentia non sint tam liberales, sicuti hactenus, et multo minus in mutando habitu ordinis, nisi

propter evidentem necessitatem vel mature deliberandam honestatem. Qui licentia exeundi abusus fuerit, vel mutando habitum sine evidenti hac necessitate aut honestate, vel serius revertendo, vel etiam, quod absit, per noctem aut noctes emanendo, severe a Domino Priore puniatur.

Quia ingressus unius in alterius cellam multa et gravia mala post se trahit, severe prohibemus, ne quis alterius cellam etiam apertam, nisi causa infirmi visitandi, intrare praesumat. Si qui contravenientes inveniantur, Dominus Prior tam intrantem quam recipientem graviter punire tenetur. Quod autem de fratribus ad cellas non admittendis dicimus, multo magis de saecularibus intelligimus; ita ordinatum in capitulo generali a° 1664, cui addimus, quod sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, nullus admittat alterum sexum, qui ex ambitu et dormitorio, quantum possibile est, arceatur; si autem occurrat necessitas alterum sexum admittendi ad cellam, fiat cum expressa licentia Domini Prioris, et in praesentia unius vel alterius confratrum.

Venationem clamorosam et frequentem in jure canonico omnibus clericis, et multo magis religiosis prohibitam, hisce interdicimus, adeoque Dominus Prior illam non permittat, nisi raro pro conservando jure, et ita ut officio divino et regulari disciplinae non officiat.

Actum in domo nostra S. Agathae, 9 Augusti 1706.

Subscripserunt: Fr. Jacobus Wanzon,
Vic. Generalis et Prior Altinemoris M. P.

Fr. P. Neesen,
Prior in Wegberg, Socius Amplissimi D. Vicarii Gener. M. P.

N°. 329. 17 Nov. 1708.

Confraternitati doctrinae Christianae, in ecclesia conventus S. Agathae erectae, indulgentia concessa (a).

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Fr. Angelus Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopus Ruraemundensis, Primas Gelriae etc. dilectis nobis in Christo Rdis P. P. Ordinis F. F. Min. Capucinorum ecclesiae parochialis oppidi Graviensis Administratoribus et Rdis Patribus Ordinis S. Crucis monasterii S. Agathae religiosis nostrae dioecesis salutem in Domino. Authoritatis nostrae praesidio, et favore bene merito lubentes prosequentes zelum vestrum, et fervorem, quo in partibus illis dioecesis nostrae acatholico subditis dominio, doctrinam Christianam orthodoxam promovere studetis, ad supplicationem vestram nobis desuper porrectam, ut confraternitatem eamdem, doctrinam Christianam tum docendi, tum discendi causa frequentantium, instituere, et erigere, et certas regulas isti confraternitati, ac vestris respective districtibus magis accommodas, sine ulla tamen sub peccato obligatione observandas, praescribere possitis, ac valeatis, vobis per praesentes facultatem concedimus, cum omnibus privilegiis, et praerogativis istius modi confraternitati attributis, seu attribuendis, atque insuper confratribus, et consororibus praedictis, praefatam doctrinam Christianam frequentantibus, quotiescumque iidem vel docendi, vel discendi causa attente, et devote interfuerint, qua-

(a) Clemens XI, P. M. die 27 Aprilis 1708 largitus erat varias indulgentias confraternitati religionis Christianae in Episcopatu Ruremundensi erectae, cui dioecesi suberat decanatus Cuikensis. Ut autem fideles certiores fierent, in ecclesiam conventus S. Agathae eamdem confraternitatem esse introductam, editus est libellus cui titulus: *Instellinge en regels van het Alder Christelyckste Artsbroederschap der Christelycke leeringe, opgeregt in de kerck der Eerw. P.P. Kruys-broeders van St. Agathae. Gedrukt int' jaer Onses Heeren, anno* 1709. 24°, 12 pagg.

draginta dierum indulgentias in forma ecclesiae consueta. Datum Ruraemundae, 17 Novembris 1708.

Subsignatum erat: Fr. ANGELUS,
Episcopus Ruraemundensis.

Et munitum sigillo majori in rubra hostia.

Ac de mandato etc.
BONTEANS, S.

Collatum cum suo originali concordat de verbo ad verbum, quod attestor
Fr. COLUMBANUS.
Lovan. Caput. miss. P. G.

Datum Graviae, 26 Novemb. 1708.

N°. 330. 2 April 1709.

Suppriori conventus de Uden permittitur acceptare beneficium ecclesiasticum.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

Frater Petrus Hansotthe, sacri ac canonici Ordinis Sanctae Crucis Magister Generalis.

Reverendo in Christro Patri P. Rovers, conventus nostri Udensis Subpriori, salutem et paternam benedictionem.

Cum certa quaedam pagi a praefato conventu vestro una leuca distantis communitas, vacans beneficium R. A. Paternitati vestrae conferre gratis decreverit, harum serie et tenore eam singulari favore prosequentes, consensum nostrum ad ejusmodi beneficii collationem acceptandam necessarium largimur, et facultatem usque ad aliam nostram ordinationem, ea lege et salutari hac clausula, ut fructus dicti beneficii cedant usibus praedicti nostri conventus, nec ullum pariat Marianis officiis, aut Subprioratus nostri detrimentum et perniciosam sequelam. In quorum fidem et robur praesentes sigillo nostro et signatura nostra munivimus. Datum Huii, secunda mensis Aprilis 1709.

Fr. PETRUS HANSOTTHE,
Generalis Ordinis Sanctae Crucis.

N°. 331. 21 Jan. 1710.

Vicarius Generalis Episcopatus Leodiensis Priori conventus Udensis dat facultatem, sacerdotes ex locis vicinis assumendi, qui peregrinantium confessiones audiant.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Omni, qua par est, humilitate Illustrissimae ac Reverendissimae Dignitati suae indico, Ill^{mum} ac Reverendissimum Dominum Guil. Bern. de Hinnisdael piae memoriae, pro majori Marianae in pago de Uden, patriae Ravensteinianae, devotionis incremento, gratiose F. Martino van den Bichelaer, Priori conventus Udensis, Ordinis S. Crucis, pro eo tempore, quo fungitur Prioris in Uden officio (uti patet ex hoc adjuncto) dedisse facultatem, admittendi etiam alios ex circumjacentibus dioecesibus sacerdotes approbatos, pro solatio et expeditione peregrinorum copiosae multitudinis illac confluentium. Cum vero praedictus Prior F. Martinus van den Bichelaer electus sit in Priorem Venlonensem, ibique nunc de facto habitet, atque ego in ejus locum successerim, sicque hic fungar officio Prioris, ac hanc facultatem admittendi alios ex circumjacentibus sacerdotes approbatos, pro excipiendis confessionibus adventantium, non habeam, quae tamen mihi maxime est necessaria: ea enim sublata, atque ea non impetrata ab Illustrissima Dignitate vestra, corruet tota devotio haec Mariana, quae Illmo ac R^{mo} D. G. P. de Hinnisdael existenti in vivis summopere placuit. Hinc non dubitans, quin Illma Dignitas sua Ill^{mi} Dni praedecessoris sui piis insecutura sit vestigiis, ad pedes Ill^{mae} Dignitatis suae me prosterno rogoque, enixe Ill^{mam} Dignitatem suam, ut supradictam facultatem usque ad tempus, quo hic administro

officium Prioris, gratiose mihi concedere dignetur: hanc gratiam exspectans maneo cum osculo dexterae.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Vestrae Ill^{mae} Dignitatis humillimus et obsequiosissimus famulus.

F. Gerardus Dhamen,
Ordinis S. Crucis Prior in Uden.

Continuamus facultatem petitam pro tempore, quo fungetur officio Prioris in conventu de Uden. Datum Leodii hac 21 Januarii 1710.

L. F. Episcopus Thermopolensis Administ.
Vicar. Gener. Leod. etc.

N°. 332. 17 Junii 1710.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Nos Fr. Petrus Hansotthe sacri ac canonici Ordinis S. Crucis Praepositus Generalis et assistente Adm. R^{do} Patre Matthia Goffin, Definitore et domus nostrae Leodiensis, Priore Assessore nostro, haec subsequentia, pro restauratione disciplinae regularis hic collapsae statuenda, duximus ab omnibus sub poena formalis inobedientiae observanda, mandantes, ut singulis mensium calendis in refectorio, pendente mensa, praelegantur, Adm. R^{do} P. Priori sub poena suspensionis ab officio per mensem, toties quoties legi omittentur, in ejus absentia Suppriori sub poena privationis ab officio.

Omnimodam familiaritatem et conversationem cum personis alterius sexus inhibemus, nec admittantur ad dormitorium sub quovis praetextu.

Prohibemus Adm. R. P. Priori, ne inposterum Patribus nostris pro recreatione annua ultra quindecim dies absentiae concedat: qui statuto die non redierit, eo ipso sit suspensus a divinis; si quis ad partes Hollandiae excurrere praesumpserit, nisi prius petita et obtenta a nobis licentia, eo ipso sit excommunicatus, a nemine absolvendus, nisi a nobis vel pro tempore Generali.

Continuos e conventu excursus omnino prohibemus, nec P. Prior plus indulgeat uni quam alteri, nec cuiquam concedatur exeundi licentia, nisi de quindena in quindenam; egressi non audeant intrare popinam; qui contravenerint, ultra poenitentiam a Priore vel Praeside illico injungendam, per tres menses continuos non exeant: idem ordinamus pro iis, qui assignata sibi hora non redibunt.

Monemus Patres nostros, ut in cellis suis sese modeste contineant, orent, legant, studeant, in meditatione sese exerceant, nec cuiquam licitum sit alterius cellam ingredi, minus in illis potitare, quod a fortiori ad extraneos extendimus.

Hortamur R. P. Priorem, ut quamprimum sedes confessionales in templo extrui curet minoribus quam fieri potest expensis, ut confessarii ibidem poenitentes audiant, non in aliis locis.

Approbamus et laudamus introductionem habendi catechismum, sed actiones seu repraesentationes omnino vetamus et prohibemus.

Acta sunt haec in domo nostra S. Agathae Ordinis S. Crucis, anno Domini 1710 mensis Junii die decima septima. In quorum fidem praesentes subsignavimus manu propria et sigillo officii nostri muniri fecimus.

Fr. Petrus Hansotthe, Generalis.
Fr. Mathias Goffin, qui supra.

N°. 333. 16 Dec. 1710.

Magister Ordinis Generalis concedit Fr. Cruciferis in Uden, ut Vendant domum suam in Vorstenburg, sororibus Ordinis S. Birgittae.

(Apographum authent. in tabulario conventus Ordinis S. Birgittae in Uden; et C. R. Hermans verzameling van charters en geschiedk. bescheiden betrekkelijk het land van Ravestein. II, pag. 340).

Praesentium tenore omnibus notum sit, nos consensisse in venditionem antiquae nostrae domus Udensis, ea dumtaxat conditione, ut pecuniae ex ea provenientes, ad alium fundum perpetuum ocyus applicentur; alias erit irritus ipso facto contractus. Datum Huii, decima sexta Decembris, anno millesimo septingentesimo decimo.

Et erat subscriptum: F. PETRUS HANSOTTE.
Generalis Ordinis Canonicorum reg. S. Crucis.

Hanc copiam aliena manu scriptam cum originali collationatam de verbo ad verbum concordare reperi. Ita attestor in Couwater (*a*), hac die 11 Aug. 1711.

F. GUIL. ALSTORFF, Not.[s] Ap.[s]

(*a*) Conventus *Aqua Frigida*, Hollande *Couwater* dictus, situs fuit in pago Rosmalen prope Silvamducis. Moniales ex patrio solo fugatae, sedem fixerunt in Uden, ubi etiam nunc vitae sanctitate florent.

N°. 334. 27 Martii 1711.

Fr. Cruciferi conventus Udensis vendunt aedes in Vorstenburg sororibus Ordinis S. Birgittae.

(Apographum authent. in tabulario conventus Ordinis S. Birgittae in Uden; et C. R. Hermans verzameling van charters en geschiedk. bescheiden betrekkelijk het land van Ravestein. II, pag. 342).

In nomine Domini. Amen.

Op den dagh van heden, den 27 Meert int' jaer seventhien hondert eelf, compareerde den Zeer Eerw. Heer en P. Prior Gerhardus Damen, der tydt Prior van de ordre vant' H. Cruys, canoniken regulier van Uden, int' lant van Ravenstein, voor ouss de Zeer Eerw. vrouw Priorinn Theodora Alexia de Haen en my F. Guilielmus Alstorff, Prior van de cloostern te Couwater en Hoboken, in de spreekkammer tot Couwatern, verclarende geïnstrueert te syn van volle macht van syn convent, en toonende t' consent en toestaen van desselven oordens Eerw. Heern Generael, ende medebrengende alle andere documenten van koopbrieven en anderssints hier toe noodigh, heeft vercocht en mets desen doet verkoopen aen de voors. Eerw. Priorinn en Prior de oude wooninge van huerlieden clooster en desselven appartinentien, voor de somme van sesthien hondert gulden eens, dewelcke syn eerw. by extraditie der originelen verclaert ontfanghen t' hebben en mets desen volle quitantie is gevende, onder conditien van lasten, die in den eersten coopbrieve anno sesthienhondert sess en sestigh 6 February daerover beschreven; renuntieerende en obligeerende tot evictie alle aenspraeck tot alle ruerende en onberuerlycke goedern synes cloosters, teghenwordige en toecomende; willende bydersyts contrahenten, dat desen contract bydersyts gestipuleert, voor alle rechtern wertlich en geestlich sall valideeren en door eenen jeden notaris sall moghen in de krachtigste form gestelt wor-

den, imploreerende etc. alles sonder argelist etc. T'oirconde etc. int' clooster te Couwater in de spreekcammer, int' jaer en dagh als boven.'

Onder stondt: F. GERARDUS DAMEN, Prior in Uden.
F. GUIL. ALSTORFF, Prior.
Suster THEODORA ALEXIA DE HAEN, Priorinn.
Suster JOANNA ELISABETH VAN LENGEL.

Concordat cum suo originali de verbo ad verbum. Ita testor, hac die 27 Martii 1711.

F. GUIL. ALSTORFF, Not. Ap. p. m. (*a*).

N°. 335. 1711—1720.

Acta duorum capitulorum generalium, praeside Matthia Goffin, Magistro Generali.

(Acta anni 1715).

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

In nomine Domini. Amen.

Haec sunt definita et ordinata per nos Mathiam Goffyn, Generalem; Jacobum Wantsom, Altinemoris; Franciscum Osselman, Dusseldorpiensis; Arnoldum Lahey, Leodiensis et Petrum Nesen, Wegbercanae Domuum Priores, Definitores capituli generalis anni 1715, 19 Maii et 2^bus^ diebus immediate sequentibus, in primaria S. Crucis domo Clari Loci apud Huium.

(*a*) In codice diplomatico, quem juris publici fecimus (*Verzameling van charters en geschiedk. bescheiden betrekkelijk het land van Ravestein.* II, pag. 341 et 344) ex eodem sancti-monialium tabulario evulgavimus literas patentes, datas 15 Jan. et 14 April 1711; altera continet consensum Dynastae Ravesteinensis, aedes Fr. Cruciferorum Birgittinis vendendi, altera actum venditionis coram Scabinis Udensibus factum.

Approbationes.

Articulos 3^{tium}, 4^{tum}, 5^{tum}, 6^{tum} et 8^{vum} praecedentis capituli generalis anni 1698, 28 April. et 2^{bus} diebus immediate sequentibus servati confirmatos, approbamus.

Confirmationes.

Approbata in postremo capitulo Generali confirmamus, etiam quo ad taxas in penultimo generali capitulo anni 1686 in ordine introductas.

Ordinationes novae.

Decreta Rmi Domini contra Jansenismum et illius sectatores amplectimur, mandantes omnibus lectoribus ordinis nostri, ut sanam doctrinam edoceant, mandantes subditis nostris, ut sese decretis ecclesiae sincere conforment, quod vel maxime in confessariis et concionatoribus locum habere debet.

Non sine dolore audivimus, pluribus in locis in praejudicium religionis et fomentum libertatis aliquos particulares ex nostris, prioratu vacante, ut plura suae libertati favorabiliter inter se concludant, velintque neopriores obligare ad observationem eorumdem. Ut huic inconvenienti obvietur, talia usque modo acta cassamus et annullamus et imposterum facienda inhibemus, privando transgressores voce activa et passiva.

Caveant summopere nostri a quacumque communicatione alterius sexus, habeanturque suspecti et moniti pro convictis juxta statuta. Dist. 1ma, cap. 18, lect. 1, n. 26.

Impressionem novi breviarii committimus A. R. D. Definitori Leodiensi, qui omnia faciet de consilio Rdissimi P. Generalis.

Vicarios nostros pro districtu Renano nominamus A. R. P. Joannem Coll, conventus Coloniensis Priorem; pro districtu Mosano A. R. P. Mathiam Neesen, conventus Wyckradiensis Priorem.

(Acta anni 1718).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

In Cruce Salus.

Haec sunt definita et ordinata per nos Matthiam Goffin, Generalem; Matthiam Neesen, Wickradiensem; Nicolaum Willekens, Mosacensem; Hubertum Castrel, Nigrae Paludanensem; Wilhelmum Penecamp, Agathensem Priores, Definitores capituli generalis 1718 electos, 15 Maii et duobus diebus immediate sequentibus, in primaria domo Clari Loci apud Huyum.

Approbationes.

Omnes articulos praecedentis capituli 1715, 13 Maii servati, approbamus, cum hoc addito ad secundum articulum: constitutioni Sanctissimi moderni (*a*) quae incipit Unigenitus, fideliter et sincere nos submittimus ac eandem acceptamus.

Confirmationes.

Articulos penultimi capituli generalis servati 1698, die 28 Aprilis et duobus diebus sequentibus, nempe tertium, quartum de rasura conformiter constitutionibus nostris, quintum, sextum circa beneficia saecularia quoque confirmamus.

Ordinationes novae.

Constitutiones nostras ad litteram observari volumus.

Studium Theologicum instituimus Coloniae sub lectore Patre Meul, Ruremundae, sub Rdo Patre Licentiato Reynders Huii et in aliis conventibus, ubi studium fuit ordinatum, continuamus sub iisdem lectoribus; novum vero studium instituimus Venlonae sub Rdo P. van de Zande.

(*a*) Sanctissimi moderni, i. e. summi Pontificis.

N°. 336. 2 April. 1718.

Renovatur erectio confraternitatis S.S. Trinitatis pro redemptione captivorum in conventu S. Agathae (a).

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 337. 19 April. 1718.

Fr. Cruciferi conventus S. Agathae conducunt famulum perpetuum, consentiente Magistro Generali.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Reverendissimo Domino D. Matthiae Goffin, S. Ordinis canonicorum regularium S. Crucis Generali etc.

Reverendissime Domine etc.

Petrum Huberen, qui septemdecim nobis annis fideliter servivit, unanimi omnium consensu in famulum perpetuum conventui incorporatum admisimus, si gratiosa dignitatis vestrae licentia accedat, quam cum debito respectu humillime petimus.

In conventu S. Agathae, hac 19 Aprilis 1718.

(a) Haec confraternitas erecta est in ecclesia conventus S. Agathae anno 1689, ut patet ex libello typis impresso (12°, 12 pagg.) cui titulus: *Kort begryp van de regelen, privilegien ende aflaeten van het Aerts-broederschap van de Alderheyligste Dryvuldigheydt, ende van de H. Maget Maria van Remedie, tot verlossinge van de gevangene Christene Slaven, bevestigt door onzen H. Vader Innocentius XI, den* 10 *February* 1680*; opgericht in 't klooster van S. Agathae, in 't landt van Kuyck, met autoriteyt van de overste en approbatie van den bisschop aldaer, in 't jaer* 1689. *Tot Venlo, bij Henricus Korsten, boeck-drucker en verkooper.*

Rmae Dignitatis vestrae obedientissimi filii ac famuli Prior et Conventuales S. Agathae.

F. Wil. Penecamp, Prior.
F. Steph. Schuler, Subprior.
F. Petrus de Booms.
F. Petrus op den Berg.
F. Everardus Cluyth.
F. Gerardus Schelen,
F. Henricus Bloemarts.
F. Joannes Bloemarts.
F. Christianus Golt.
F. Wilhelmus Brieel.

[In margine]. Concedimus, ut petitur, 9a Maii 1718.

F. M. Goffin, Generalis.

N°. 338. 1720—1735.

Acta quinque capitulorum generalium, praeside Wernero d'Audace, Magistro Generali.

(Acta anni 1721).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec definita et ordinata sunt per nos Wernerum d'Audace, Generalem, Glaudium Boving, Exprovincialem Parisiensem; Arnoldum de la Hey, Priorem Leodiensem; Joannem Petrum Weyler, Priorem Bienburgensem; Ludovicum Thiery, Priorem Dionantensem, Priores et Definitores capituli generalis anni 1721, 11 Maii et duobus immediate sequentibus, in primaria S. Crucis domo Clari Loci apud Huium.

Confirmationes approbationum capituli generalis praecedentis, nempe de decretis Sanctissimi contra Jansenismum et illius sectatores.

Ut habitum ordinis gessent decenter cum corona convenienti, nec ulli capillis fictis aut pigmentis crinium utantur.

Pro impressione novi breviarii, quae omnia facient de consilio Revdissimi P. Generalis, confirmamus.

Approbationes.

Approbamus constitutionem Sanctissimi [Patris] quae incipit *Unigenitus*, cui fideliter et sincere nos submittimus ac eandem acceptamus.

Ordinationes.

Ad evitandas omnes confusiones, quae ex interpretatione art. 2^{di}, cap. 3, distinct. 2 ortae sunt; mortuo igitur Priore Huiensi Definitores capituli generalis in omnibus, quousque Prior Huiensis sit electus, plenariam ipsius potestatem obtineant, et omnes eis tamquam Priori Huiensi teneantur obedire, hoc additamento: in iis quae concernunt correctiones et disciplinam monasticam, nihil ultra.

Cum in eadem sessione 2da, cap. 6to prohibitum sit in virtute Spiritus Sancti, ut nullus ante electionem Prioris Huiensis contra statum ordinis audeat aliquid immutare, omnes praesumptas admissiones ad investitionem vel professionem nullas reddimus professionesque, si quae sint, invalidas judicamus, sicut declaratum et confirmatum fuit annis 1686, 1698, omnesque confirmationes, praeter a Revdissimo factas, nullas declamus.

Quia Reverendiss. Generalis habet suam auctoritatem a ss. sede Apostolica, non possunt P. P. Definitores nec cap. generale ad illa ullo modo attentare sine ss. sedis approbatione.

Ob supereminentem primordialis domus dignitatem, praeferentiam Subpriori Huii, tam quoad Subpriores aliarum domuum quam Priores, in congregatione Generali tantum, qui annis Prioratus eo juniores sunt, eidem datam ratificamus, ita ut

sede vacante nullus praesumat in primaria domo praeter ipsum velle praesidere.

Sunt ex religiosis nostri ordinis quando exeunt, qui erubescunt togam ferre, cum qua professi sunt, et retro respicientes contemnunt aut obliviscuntur, quae tam solemniter Deo voverunt, scilicet vivendi ad normam regulae et statutorum nostrorum, ad tales abusus eliminandos sub poena suspensionis a divinis prohibemus minores togas, minora scapularia et longa collaria, vulgo *crawatten* atque pallia alterius coloris quam nigri, super quae oneramus conscientias omnium Priorum nostrorum, ita ut sub poena suspensionis a divinis impediant quominus quis [etc].

Omnes laici nostri ordinis imposterum utentur scapulari nigri coloris cum cruce assuta, pro majori decentia et conformitate ordinis.

Nullus praesumat imposterum in cap. generali comparere, nisi sit capitularis ejusdem conventus et debito domus suae procuratorio munitus.

Nulli beneficiati in Priorem Parisiensem imposterum eligantur.

In commissarium nostrum ad tractum Mosae R. A. Patrem Neesen, Priorem Ruraemundensem, denominamus, alium denominandum reservantes.

Continuamus in nostra primaria domo Huii studium sub Eruditiss. Patre Joanne Reyners, qui reincipiet cursum philosophicum; Mariae Laudis, vulgo Colen, instituimus in lectorem philosophiae R. P. Lecanum. Continuamus R. P. Henricum Stevens in Hombosch, Leodii et Coloniae continuamus.

(Acta anni 1724).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Haec definita et ordinata sunt per nos Wernerum de Audace, Generalem; Davidem Osterhoff, Priorem Mariae Pacis;

Joannem Baur, Priorem Dulckensem; Antonium Bovys, Priorem Namurcensem; Theodorum Lacaen, Priorem Mosacensem, Priores et Definitores capituli generalis 1724, 14 Maii et duabus immediate sequentibus diebus in primaria Stae Crucis domo Clari Loci apud Huium.

Confirmationes.

Approbationes capituli generalis praecedentis, nempe, constitutionis Sanctissimi, quae incipit *Unigenitus*, cui fideliter nos submittimus ac eandem acceptamus.

Ordinationes novae.

Cum officium divinum ubique conforme servari non possit, nisi usus ejusdem breviarii per totum ordinem habeatur, exemplaria vero ultimi et penultimi deficiant, necesse est de novo providere (*a*), impresso vero novo breviario, tenebuntur omnes in virtute Stae Obedientiae rubricis novi breviarii se conformare ac rubricas dicti breviarii exactissime servare et nullus admit-

(*a*) En titulum Breviarii editionis tertiae, de qua hic mentio: *Breviarium canonicorum regularium Sacri et exempti Ordinis Sanctae Crucis, autheritate Reverendissimi Domini, D. Werneri d'Audace dicti Ordinis Magistri Generalis, ejusdemque generalis capituli ordinatione ac decreto emendatius reimpressum. Traj. ad Mosam*, 1727. 12°. Quaedem exemplaria habent quatuor, alia duo volumina.

Magister Generalis in epistola ad conventuales suos queritur exemplarium penuriam Breviarii Ordinis, quare novam hanc eis commendat editionem, usumque sub virtute Sanctae Obedientiae mandat.

Approbationem et consensum definitores ordinis dederunt, sc.

Fr. David Oesterhoff, Prior B. Mariae Pacis.

Fr. Joannes Baur, Prior Dulkensis.

Fr. Deodatus le Caen, Prior Mosacensis.

Fr. Joannes Reyners, Prior Montis Orientis S. T. Licentiatus et prof. specialiter assumptus.

Fr. M. J. Lacain, Reverendo Generali a secretis, epistolae nomen suum subscripsit anno 1726 ex Huyo.

tetur ad professionem, nisi sibi provideat suis expensis apud mercatorem a nobis designandum.

Eadem uniformitas requiritur in habitu, ideo superpellicio, bireto et amusio pro facultate conventuum ordinamus; ad distinctionem religiosorum nostrorum Priores cucullum apertum habeant cum nodulis nigris.

In electione Rdmi Magistri Generalis servabitur deinceps praxis, in qua Patres Huienses ab immemorabili tempore fuisse se praetendunt, ita ut Rdi Dni Definitores nullo modo contradicant circa convocationem legitimam et diem ab ipsis assignatam pro electione Rdmi Generalis, cui omnes comparere tenebuntur sub poena privationis vocis activae. Electiones per procuratores prohibemus sub poena arbitraria.

In vicarios nostros super Renum Adm. Rdm Dnm Franciscum Meul, Priorem Coloniensem et super Mosam Adm. Rdm Dnm Wernerum Bangh, Nigrae Paludis, denominamus.

Continuamus in primaria nostra domo Huiensi studium sub eruditissimo Dno Joanne Reinders, Priore Montis Orientis, qui cursum inceptum continuabit. Leodii, Altinemoris, in Colen, vulgo Mariae Laudis, Coloniae sub eisdem lectoribus; in Uden vero cursum inceptum continuabit Eruditissimus Dominus Willers.

(Acta anni 1727).

(Apographa duo in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec definita sunt per nos Wernerum de Audace, Generalem; Joannem Reinders, Sacrae facultatis Lovaniensis Licentiatum et Priorem in Wegbergh; Arnoldum de Lahey, Priorem Leodiensem; Henricum Golt, Priorem Wickradiensem et Franciscum Meull, Priorem Coloniensem, Definitores capituli gene-

ralis anni 1727, 11 Maii et duobus immediate sequentibus diebus in primaria Stae Crucis domo Clari Loci apud Huium.

Ordinata et approbata in capitulis generalibus annis 1721 et 1724 de constitutione, quae incipit *Unigenitus*, cui fideliter et sincere nos submittimus et omnibus ecclesiae decretis.

Ut confusiones evitentur, quae ex interpretatione articuli secundi cap. 3tio, distinct. 2da oriri possint, scilicet mortuo Priore Huiensi, Definitores capituli generalis in omnibus, quousque Prior Huiensis sit electus, plenariam ipsius potestatem obtineant, et omnes eis tamquam Priori Huiensi teneantur obedire, hoc additamento, in illis, quae concernunt correctionem et disciplinam monasticam, nihil ultra.

Cum eadem distinct. 2da, cap. 3tio, art. 8vo prohibitum sit in virtute Spiritus Sancti, ut nullus ante electionem Prioris Huiensis contra statum ordinis audeat aliquid immutare, omnes praesumptas admissiones ad investitionem vel professionem nullas reddimus, professiones, si quae sint, invalidas judicamus, sicut declaratum est et confirmatum fuit annis 1686 et 1698 [et] 1715 omnesque confirmationes, praeter a Rvssimo Generali factas, nullas declaramus, et ob supereminentem primordialis domus dignitatem, praeferentiam Suppriori Huiensi, quo ad Priores, qui annis prioratus eo juniores sunt, eidem datam ratificamus, ita ut sede vacante nullus praesumat in primaria domo praeter ipsum velle praesidere.

Quia Rdissimus Generalis a Sta Sede Apostolica authoritatem habet, non possunt Definitores nec capitulum generale ad illam ullo modo attentare sine Sanctae Sedis approbatione.

Omnes Priores et Fratres quarumcumque domuum conformabunt se in habitu exteriori habitui, quem Fratres Huienses nostri modo deferunt, etiam quo ad superpellicia, bireta et amusia nigri coloris, quibus antiqui Patres nostri usi sunt anno 1364. Fratres vero laici utentur scapulari nigri coloris cum cruce assuta pro majore decentia et conformitate ordinis. Quae

de minoribus togis, minoribus scapularibus et longis collaribus, vulgo *crawaet* atque palliis alterius coloris quam nigri, dicta sunt, haec omnia ordinata et approbata in duobus praecedentibus capitulis generalibus, confirmamus.

Approbationes.

Quae de cucullo aperto cum nodulis respectu Dominorum Priorum diximus, approbamus, ita ut nullus praesumat formam mosettae gestare sub poena suspensionis ipso facto.

Ordinationes.

Frequentes abusus ordini imminentes ex oppignoratione bonorum tam mobilium quam immobilium, unde conventibus maxima supervenisse damna intelligimus, extirpare volentes, de novo ordinandum duximus, ne Priores de caetero sub poena absolutionis suorum officiorum suos conventus quocumque modo obligare praesumant, juxta ordinationes capituli generalis anni 1519 et 1593, quod et ibidem dictum volumus de reditibus redemptis, redimendis et reapplicandis. Verba haec formalia ex ordinatione ultimi citati capituli extracta sunt. Contra quod punctum cum Antonius Bauschaux, Prior Dionantensis, peccaverit, levando summam notabilem sine licentia Rdissimi aliaque hac occasione in contemptum illustris personae dicti Rdissimi commisit, ordinamus, misericordiae magis quam justitiae inclinati, ut pro hac vice poenam depositionis non subeat, de temporali tamen administratione singulis quindenis, per litteras exactam reddat rationem, et insuper pro gravi laesione Rdissimi authoritatis coram amplissimis Dominis Definitoribus et Prioribus veniam postulando satisfaciat; omnibus tamen servatis conditionibus a Rdissimo ponendis usque ad aliam Rdissimi ordinationem, ut statuta antiqua et recensiora committantur aliquibus, ut ex illis bene examinatis et perscrutatis excerpantur illa, quae communi bono proficiant, deletis illis,

quae in usu non sunt vel ad profectum vix aut nihil conducunt.

In vicarios nostros super Renum R. A. D. Franciscum Osselman, Priorem Dusseldorpiensem et super Mosam R. A. D. Henricum Stevens, Priorem Altinemorensem, denominamus.

Continuamus in primaria nostra domo Huiensi studium sub Amplissimo et Eruditissimo Dno Reinders, Priore Weckberghano et Definitore, in domo Coloniensi, Venlouensi, Trajectensi, Altinemorensi et Brugensi sub eisdem lectoribus, et Aquisgrani incipiet docere philosophiam Supprior ejusdem domus.

Festa Priorum.

Nativitas Dni, Epiphania Dni, Pascha cum duobus antecedentibus diebus; Ascensio Dni, Pentecostes; Corporis Christi; Inventio et exaltatio Stae Crucis; Nativitas Joannis Baptistae; festum S. Petri et Pauli; Translatio Stae Odiliae; Assumptio B. V. Mariae; Augustini; Omnium Sanctorum; Dedicatio propriae ecclesiae, patronus vel titularis ecclesiae, item circumcisio Dni, Festum Stimae Trinitatis, Purificatio, Annuntiatio, Conceptio, Nativitas B. V. Mariae, Sancti Andreae, S.S. Angelorum Custodum, Sancti Quiriaci, Helenae et St. Joseph.

Festa Suppriorum.

Feria 2da et 3tia Paschatis; 2da et 3tia Pentecostes; Festum Nominis Jesu; Transfiguratio Domini; Visitatio B. V. Mariae, Dedicatio Sti Michaelis; Festum Sti Stephani; Sancti Joannis Evangelistae; Stae Annae; Sti Laurentii; Stae Mariae Magdalenae; Stae Ursulae et Sti Martini.

Obiit Ant. de Boil, Prior Namurcensis.

Unus quisque sacerdos legat quinque sacra pro benefactoribus et participantibus ordinis nostri.

(Acta anni 1730).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec definita sunt et ordinata per nos Wernerum d'Audace, Generalem; Fratrem Theodorum Curlis, Priorem Pontis Coeli; Fratrem Henricum Stevens, Priorem Altinemoris; Fratrem Henricum Collin, Priorem Glintveldensem; Fratrem Josephum Tilmanni, Priorem Montis S. Helenae etc., Definitores Generalis capituli anni 1730, 7ma Maii et duobus immediate sequentibus diebus in primaria S. Crucis domo Clari Loci apud Huium.

Quae in capitulis generalibus ordinata sunt anno 1721, approbata anno 1724, confirmata 1727 de constitutione Sanctissimi etc.

Ut sede vacante authoritas Dominorum Definitorum ultra correctionem et disciplinam non extendatur.

Ut omnes admissiones tam ad vestitionem, quam ad professionem nullius sint valoris praeter a Reverendissimo Domino Generali, et ut Reverendus Dominus Supprior Huiensis praeferentiam habeat Dominis Prioribus junioribus et praeter ipsum in primaria domo nemo praesidere velle praesumat.

Cum Reverendissimus Dominus Generalis a Sancta Sede authoritatem suam habeat, nullus circa eam attentare audeat.

Omnes Domini Priores et Fratres nostri, amotis omnibus excusationibus, utantur biretis, superpelliciis et almutiis nigri coloris, prout anno 1364 utebantur sub poenis arbitrariis.

Quae de minoribus togis, minoribus scapularibus, longis collaribus, vulgo *Carwat*, fictis crinibus, atque palliis alterius coloris quam nigri, saepius ordinata, confirmata sunt anno 1727 sub poena gravioris culpae, aliisque poenis arbitrariis, volumus observari.

Item ea, quae de cucullo aperto cum nodulis respectu Dominorum nostrorum Priorum in duobus praecedentibus capitu-

lis generalibus diximus, ita ut forma mosettae sub poena suspensionis ipso facto nemo gestare praesumat, confirmamus.

Approbationes.

Frequentes abusus ordini imminentes ex appignoratione bonorum tam mobilium quam immobilium, unde conventibus nostris maxima damna supervenisse informati sumus, extirpare volentes, sub poena absolutionis suorum officiorum, ne suos conventus quomodocumque obligare praesumant, juxta ordinationes capituli generalis anni 1519 et 1593, quod idem volumus de reditibus, redemptis, redimendis et reapplicandis.

Ordinationes.

Cum necesse sit pro stabilitate Sacri Ordinis nostri, ut authoritas reverendissimi generalis illaesa permaneat, sub poena suspensionis ab officio, nullus ex Dominis Prioribus nostris sub quocumque praetextu recusare praesumat, aliquem vel aliquos, qui cum obedientialibus dicti reverendissimi missi fuerint, conformiter bullae Innocentii 8vi, salvis sumptibus alimentorum.

Nemo desuper admittatur ad Sacrum Ordinem nostrum, nisi prius promittat se conformare in habitu exteriori habitui, quem Fratres nostri Huienses modo deferunt, quoad bireta, superpellicia et amusia nigri coloris, prout antiqui fratres usi sunt anno 1364, ut conformitas in toto Sacro Ordine nostro reperiatur.

Mortuo Priore nequaquam praesumant capitulares vicinum aut alium quemque Priorem aut religiosum convocare, aut ad novam electionem procedere, nisi prius de morte defuncti informaverint reverendissimum generalem, qui vel per se, vel per commissarium praesideat, sub quovis etiam praetextu, sub poena nullitatis omnium actorum et alia arbitraria contra fautores talis praesumptionis.

Permittimus Fratribus Laicis nostris, ut loco precum in sta-

tutis expressarum pro horis, legant officium de Beata [Maria V.] et pro defunctis suarum domuum officium defunctorum novem lectionum.

Pro aliis vero septem psalmos poenitentiales cum litaniis, quod relinquimus discretioni Dominorum Priorum.

Instituimus in primaria domo nostra studium Theologicum sub Doctissimo Dno Fiesen, idem continuamus in domibus nostris Coloniensi, Altinemorensi, Wickradiensi, Bruggensi, Ruraemundensi, Mariae Pacensi, Venlonensi, Aquensi, Bentlacensi, Namurcensi, Embricensi, Dusseldorpiensi sub Doctissimo Domino Bernardo Custer, in Monte S. Helenae sub iisdem lectoribus, et in conventu Glintveldensi et Udensi sub Doctissimo Domino Jacobo Scinseler.

Instituimus in vicarios nostros super Rhenum Reverendum Dominum Stuve, Priorem Bentlacensem, et super Mosam Reverendum Dominum Seil, Priorem Byenburgensem.

Quilibet sacerdos legat tam pro benefactoribus, quam participantibus tria sacra, fratres officium defunctorum, Laici tria Rosaria.

(Acta anni 1733).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec definita et ordinata per nos Wernerum d'Audace, Generalem; Arnoldum de la Haie, Priorem Leodiensem; Joannem Reinders Sacrae facultatis Lovaniensis Licentiatum et Priorem in Wegbergh; Henricum Golt, Priorem Wickradiensem et Franciscum Meuyl, Priorem Coloniensem, Definitores generalis capituli anni 1733 tertia Maii et duobus sequentibus diebus in primaria Sanctae Crucis domo Clari Loci apud Huium.

Ordinata, approbata et confirmata in capitulis generalibus annis 1721, 1724 et 1727 de constitutione Sanctissimi Cle-

mentis, quae incipit *Unigenitus*, cui fideliter et sincere nos submittimus.

Quemadmodum ex consono cantu et exacta rubricarum tam Romani missalis quam ordinis nostri breviarii, devotio etiam populi augeatur, mandamus singulis Dominis Prioribus, ut in suis respective domibus studeant habere novitiorum magistros vel instructores, qui in cantu et rubricis versati, juniores in illis studiose exerceant.

Continuamus in primaria domo nostra studium Theologicum, sicuti et in domibus nostris Coloniensi, Altinemorensi, Ruremondensi, Mariae Pacenci, Aquensi, Bentlacensi, Namurcensi, Agathensi, Udensi, Montis Stae Helenae sub eisdem lectoribus et Mosacensi.

Instituimus in Vicarios nostros generales super Renum R. Adm. et Amplissimum Dominum Matthiam Hamers, Priorem Aquensem et super Mosam R. Adm. ac Amplissimum Dominum Christianum Golt, Priorem Agathensem.

Appendix.

Quemadmodum Lambertus Bertus impressor conqueratur, se ultra breviarii novi exemplaria jam ab annis distributa et illa, quae adhuc in Galliam emittenda sunt, gravatum esse superfluis, decrevimus in hoc capitulo generali, ut unum quodque monasterium acceptet quatuor exemplaria et impressori dicto solvat. Datum Huii, hac sexta Maii 1733.

—

N°. 339. 21 Junii 1726.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Benedictus XIII, P. M. largitur Christi fidelibus, qui in festis inventionis et exaltationis S. Crucis ecclesias conventuum Fratrum Cruciferorum in Germania et Belgio visitaverint, S. communione refectis et confessis plenam indulgentiam; indulto per septennium valituro.

N°. 340. 28 Julii 1730.

Fratres Ordinis S. Crucis conventus S. Agathae jubentur quotannis nomina sua Magistratibus prodere, ut inde pateat, si quis novus monasterium intrarit contra placita Ordinum Belgii Generalium.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Extract uyt het Register der Resol. van de Ho. Mo. Heeren Staaten Generael der Vereenigde Nederlanden.

Veneris, den 28 Julij 1730.

Is gehoort het rapport van de Heeren Coulman ende andere haer Ho. Mo. Gedeput. tot de saecken van de Meyerie van s' Hertogenbosch, hebbende ingevolge ende tot voldoeningh van der selver resolutie commiss. van den 21 dezer, met ende nevens eenige Heeren Gecommitt. uyt den Raadt van Staaten, geexamineert de missive van den Amptman der stadt Grave ende Lande Cuyck A. B. van Lynden, geschreven alhier in den Hage den voorschreven 21 deser, houdende in gevolge ende tot voldoeninghe van haer Ho. Mo. Resol^e^ van 19 daer te vooren, desselfs bericht hoe veel ende welcke werden gevonden,

met versoeck dat de recognitien door haer Ho. Mo. voor de bovengem. herkent, mogen werden gereguleert, ende de executie van de Resolutien ende placcaten in gem. haer Hooghmogende Resol[e] vervat, aen hem Amptman gedemandeert.

Waerop gedelibereert synde is goedtgevonden ende verstaen, dat de tax, waerop gestelt sullen werden de roomsche kercken in de stadt Grave ende den Lande van Kuyck, sal werden gereguleert voor yder kerck daer in alleen eenen priester is op veertigh gulden, ende daer eenen tweeden priester is off cappelaen boven dyen geadmitteert is, op sestigh guldens ten behoeve van den Amptman, jaerlycks te betaelen aen den Ontfanger oft Rentmeester van de geestelycke goederen off andere daertoe te authoriseren, ende door de selve aen den Amptman weder uyt te keeren, op den voet in haer Ho. Mo. resolutie van den 19 deser vermelt.

Dat voor soo veel aengaet het clooster van S' Agatha in den Lande van Kuyck, hetwelcke aldaer tegen de placcaten van den Lande is gecontinueert, ende waerin noch eenighe monicken syn van de Cruysbroeders ordre, dat de monicken die daer in tegenwoordigh noch syn, daer in sullen mogen blyven, maer sullen moeten uytsterven, ende door geen andere sullen mogen gewisselt off gesuppleert worden.

Dat om alle contraventien daer ontrent te praevenieren, den Amptman naer genomen informatie sal maecken, ende aen haer Ho. Mo. oversenden een accurate lyste van de monicken, nu int' clooster synde, met bijvoeginghe van der selver ouderdom, geboorteplaets, ende tydt wanneer int' klooster gecomen syn.

Dat de selve een gelycke lyste alle jaeren sal moeten overgeven aen de Gecommitt. van den Raadt van Staaten in de stadt Grave comende sonder van des te doen in gebreken te blyven, dat de voorschreve lysten sullen moeten worden geteekent door de dry audtste monicken in rangh vant' gem. clooster, mitsgaders geverificeert door een verclaeringh van de Ma-

gistraet van de Grave, op den eedt door haer aen den Lande gedaen.

Dat hier ontrent eenigh bedrogh aen de kant van de monicken off met haere kennis begaen mochte worden, daer op den Amptman naukeurigh sal moeten letten, gem. Amptman daervan aenstonts kennisse sal moeten geven aen haer Ho. Mo., werdende hiermede voor onwederroepelyck vastgestelt, dat in soodaenighen ghevall het clooster sal werden ghehouden voor uytgestorven, ende dat de monicken als dan daer in synde, aenstonts sullen werden geremoveert, ende verders het clooster met alle de onroerende goederen daertoe gehoorende, alsdan mede aenstonts sal werden verkocht, ten behoeve van den geene, die daertoe gerechtight sal syn.

Ende sal extract van dese haer Ho Mo. resolutie gesonden werden aen den gem. Amptman van de Grave, om hem daernaer te reguleren, ende voor de executie van de selve ende van de ordres ende placcaten in haere Ho. Mo. resolutie van den 19 deser vervat, behoorlycke sorge te draegen.

Ende sal mede gelyck extract gesonden werden aen den Raadt van Staaten, om op den ontfanck ende uytgifte van de voorss. recognitien de behoorlyke ordre te stellen.

Sullende gelyck extract gesonden werden aen den Raadt van Brabandt tot haere nae richtinghe.

P. Brut, Vt.

Accordeert met t' voorss. register.

F. Fagel.

N°. 341. Sept. 1730.

Nomina Fratrum Ordinis S. Crucis in conventu S. Agathae.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Lyste van de Heeren Cruysbroeders, ofte Reguliere Canoniken, die sich althans noch int clooster van St. Agathae, geleghen int Landt van Cuyck bevinden, met byvoeging van der selver geboorte plaets, ouderdom en tydt, wanneer de selve int clooster gekoemen syn, geformeert ingevolge, ende ter voldoening van haer Hoog Moog. resolutie van den 28 July 1730.

NAEMEN.	GEBOORTE PLAETS.	OUDERDOM.	Int clooster gekoemen.
Pater Christianus Golt, Prior.	Van Venlo.	50	1698
Pater Godefridus Blitterswyck.	Van Venlo.	75	1673
Pater Paulus de Cleppleier.	Van Dendermonde.	81	1671
Pater Gerardus Schelen.	Van Maeseyck.	79	1676
Pater Wilhelmus Brieel.	Van Utrecht.	51	1699
Pater Gerardus Lubbers, Proc.	Van Moeck.	35	1713
Pater Theodorus van Tiel.	Van Grave.	36	1713
Pater Joannes Coebergh.	Van Venray.	32	1714
Pater Michael Vogelvangers.	V. Shertoghenbosch	30	1722
Pater Franciscus van Merle.	Van Ravenstein.	27	1727
Frater Joannes van Haeren.	Van Mastricht.	21	1728
Frater Wilhelmus Wiemers.	Van Kevelaer.	22	1728
Frater Joannes Eycken.	Van Erp.	25	1729
Frater Franciscus Emans.	Van Venlo.	24	1729
Frater Henricus van Meynsel.	Van Amsterdam.	20	1729
Broeder Franciscus Vos.	Van Grave.	64	1696
Broeder Joannes Frenckman.	V. Rekelinchausen.	50	1709
Broeder Petrus de Haen.	Van Heeswyck.	38	1714
Broeder Adrianus Ariens.	Van Oeffelt.	44	1715
Broeder Daniel Larosche.	Van Grave.	29	1721

In oirconde van waerheit hebben wy alhier onderss. drie oudtste Canoniken Regulieren dese Lyst met onse gewoone signaturen bekragtight tot Sint Agatha, den September 1730.

Fr. Christianus Golt, Prior.
Fr. Godefridus Blitterswijck.
Fr. Paulus Clippelier.
Fr. Gerardus Schelen.

No. 342. 1735—1741.

Acta duorum capitulorum generalium, praeside Joanne de Reynders, Magistro Generali.

(Acta anni 1736).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec definita et ordinata sunt per nos Joannem de Reynders Generalem, et Priorem Trajectensem Gulielmum Cruts; Henricum Stephens, Priorem Altinemorensem; Lucam Stuph, Priorem Bentlacensem et Michaelem Pluaert Priorem Alnetensem, Definitores generalis capituli, anni 1736, 29 Aprilis et duobus diebus sequentibus in primaria Stae Crucis domo Clari Loci apud Huum.

Quemadmodum perquam necessarium judicetur, ut ordo noster reflorescat, otium et socordia eliminetur et juniores in studiis philosophiae et theologiae debite exerceantur, ordinamus, ut in unaquaque provincia unum studium philosophicum et aliud theologicum instituantur, quo D. D. Priores illius districtus juniores suos erga permutationem vel honestum stipendium, juxta diversitatem patriarum determinandum, mittere sine tergiversatione obligabuntur: attendentes vero, aliquos cursus philosophicos ac theologicos inchoatos esse, qui sine detrimento dissolvi nequeunt, adeoque hanc nostram ordinationem in praesentiarum propries ad executionem reduci non posse, differtur et relinquitur denominatio lectorum et monasteriorum, in quibus dicta studia erigentur, Reverendissimo Domino Generali.

Cum ex novitiorum neglecta instructione in domibus propriis, ubi recipiuntur, maxima inconvenientia orta fuerint et admodum oriantur; hinc imposterum, qui recipiendi sunt ad

novitiatum mittentur ad monasteria in unaquaque provincia a Reverendissimo D. Generali denominanda, mandantes omnibus et singulis D. D. Prioribus, ut nullum recipiant, nisi praevie cum parentibus de sumptibus, tum in novitiatu tum in studiis exponendis, conveniant, vel ipsi conventus se ad solutionem eorum obligent.

Instituimus et denominamus in vicarios nostros ad tractum Rheni amplissimum Dominum Franciscum Meull, Priorem Coloniensem, et ad tractum Mosae amplissimum D. Henricum Goldt, Priorem Wickradiensem.

Quemadmodum in ultimo capitulo generali ordinatum fuit, ut partem restantium exemplarium breviariorum quodque monasterium reciperet, at vero nescimus, quo defectu executum non fuerit, impressor autem indesinenter urgeat, ut tota restantia 300 circiter breviariorum juxta conventionem distribuatur et solvatur, hinc juxta lystam in anteriore distributione observatam, unicuique monasterio pro quota certus numerus assignabitur, qui numerus in principalioribus conventibus non excedet denarium numerum. Notandum autem quod Galli receperint partem, et recipient usque ad numerum 150.

(Acta anni 1739).

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

(Loca Selecta).

Haec definita et ordinata sunt per nos Joannem de Reynders Generalem, Arnoldum de la Hey, Henricum Golt, Franciscum Mull et Michaelem Immenraet, respective Leodiensem, Wickradiensem, Coloniensem et Namurcensem Priores et Definitores generalis capituli, anni 1739 mensis Aprilis 26ta et duobus sequentibus diebus, in primaria Stae Crucis domo Clari Loci apud Huum.

Quemadmodum monasteria ad studia generalia habenda non-

dum determinata sunt, hinc ubi modo studia servantur, possunt continuari usque dum dicta monasteria determinata fuerint, quod divina favente gratia brevi fiet.

Ordinamus, quod breviaria restantia et per ultimam distributionem, quae omnia adhuc distribuenda continet, ad domos transmissa, prompte et exacte solvantur impressori, denuo recommendantes et mandantes, ut tam intus quam extra se rubricis illius breviarii conforment.

Instituimus et denominamus in vicarios nostros ad tractum Rheni Amplissimum Dnum Mathiam Hammers Priorem Aquensem, et ad tractum Mosae Amplissimum Dnum Henricum Stephens, Priorem Altinemorensem.

N°. 343. 24 Martii 1736.

Prior conventus Udensis invitatur ad capitulum generale, proxime celebrandum.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

Nos F. Joannes Reynders, totius ordinis canonicorum regularium Stae Crucis Magister Generalis et primariae domus juxta Huum Major Prior.

Reverendo Adm. Domino Alberto van der Voort, domus nostrae Udensis Priori, paternam benedictionem et angelicum in viam comitatum.

Quemadmodum Altissimus totius sacri canonici ordinis nostri regiminis onerosum pondus, non nostris meritis sed sua disponente providentia, humeris nostris imposuerit, exigit ministerii nostri sollicitudo, ut novercantibus praesertim hisce temporibus (quibus communis generis humani insidiator nonnullis ansam dedit a vero obedientiae et religionis tramite deflectendi) ejusmodi malis ac aliis quibuscumque erroribus (si qui irrep-

serint) obviam eatur, aliud autem efficacius remedium et magis promptum nesciamus, quam capituli generalis celebrationem; hinc elabente etiam triennio conformiter statutis nostris dictum generale capitulum indicendum esse duximus, sicuti vigore praesentium indicimus in primaria nostra domo Huiensi dominica Cantate, proxime futura, quae erit mensis Aprilis vigesima nona, celebrandum. Quapropter in virtute Stae obedientiae mandamus, quatenus Rda Adm. Dominatio vestra Sabbatho praecedenti adsit in pleno habitu cum socio procuratore, litteris testimonialibus in debita forma sigillo conventus sui sigillatis et per capitulares subscriptis, munita cum clara et distincta status domus suae designatione, cum omnibus taxis non solutis, adjunctis nominibus F. F. Defunctorum aliisque finaliter juxta constitutiones nostras nec non ordinationes capitulorum generalium requisitis, sub poenis in illis expressis. Si autem Rtiam vestram aliquo legitimo impedimento detineri contigerit, praecipientes mandamus in eadem virtute, ut Rdum Suppriorem vel alium idoneum cum mandato et clausulis praeinsertis mittere non differat, qui suo suique conventus nomine assistat, consentiat et definiat in iis omnibus, quae ad praefati ordinis bonum ratio, aequitas et justitia pertinere et expedire dictaverint: apprecamur autem Rtiae vestrae Sancti Spiritus assistentiam, angelicam in via custodiam, et cum integra et perfecta corporis et animae salute in quibuscumque aliis optatum et felicem exitum. In quorum omnium fidem et robur praesentes, officii nostri sigillo et signatura propria munitas, dedimus in praefata Huiensi primaria domo nostra, hac 24ta Martii 1736.

F. J. Reynders,
Generalis qui supra.

N°. 344. 15 Junii 1737.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Nos F. Joannes Reynders totius ordinis canonicorum regularium Sanctae Crucis Magister Generalis ac primariae domus juxta Huum Major Prior, sub actu visitationis domus nostrae Agathensis, anno millesimo septingentesimo trigesimo septimo die decima quinta Junii, pro regularis disciplinae incremento haec ordinanda et statuenda duximus.

Ne voti paupertatis immemores diabolica fraude decepti, nummos sibi retineant in damnationem animae suae, designamus in depositarios Rdum ac Amplissimum Dominum Priorem et Dominum Subpriorem, ut apud unum vel alium pro libitu peculia sua deponant, ac illis ad usus licitos et honestos dumtaxat uti permittantur, inhibemus etiam sub formali obedientia, ne quisquam una vice plures missas acceptet, quam intra quindenam rite exsolvere valeat, et si plures offerantur, ad communitatem deferri volumus, nulla fraude aut interpretatione malitiosa admissa.

Caeterum omnes et singulos monemus, ut fraternam dilectionem et mutuam charitatem conservare omni conatu studeant, et si quis invidia, aut quacumque diabolica instigatione rixas disseminare, fovere, aut incitare praesumpserit, vel etiam cum Amplissimo Dno Priore aut Dno Subpriore proterve processerit, sit in refectorio aut aliis locis, talis condigne puniatur in flagranti, et insuper per annum exire non permittatur.

F. J. Reynders,
Generalis qui supra.

De mandato perillustris ac Reverendissimi Domini mei.

F. M. J. Loncin,
Secretarius.

N°. 345. 27 April et 4 Aug. 1739.

A Magistro Generali conceditur Priori conventus S. Agathae, ut vendat agrum in Patria Clivensi.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Reverendissimo ac illustrissimo Domino D. Joanni Reinders, Sacri canonici Ordinis Sanctae Crucis Magistro Generali.

Reverendissime Domine.

Cum debita infrascripti observantia ac respectu supplicant pro Rmae Dignit. vestrae licentia ac consensu vendendi, tempore opportuno, agros aut prata, praesertim F. Laici Adriani, quae recenter accepimus et non confiscata, in patria Clivensi sita, ca tamen conditione, ut pecuniae ex hac venditione proventurae in reditus perpetuos applicentur, quorum venditionem sicuti conventui certo proficuam, ita consensus vestri indubie speramus gratiam.

Hac 2ᵃ Aprilis 1739.

F. Christianus Golt, Prior.
F. Gerardus Lubbers, Supprior.
F. Godefridus Blitterswyck.
F. Wilhelmus Briebl.
F. Joannes Coebbergh.
F. Michael Vogelvanger.

Permittimus et consentimus in venditionem agrorum, prout hic petitur de subapposita conditione, ut nummi ex illis provenientes applicentur ad reditus perpetuos. Ita concessum in capitulo generali hac 27ᵃ Aprilis 1739.

F. J. Reynders, Generalis.

Continuamus hanc licentiam sub clausula apposita etiam sub Rdo. Adm. Domino Priore moderno. Ita datum hac 4ᵃ Aug. 1739.

F. J. Reynders, Generalis.

N°. 346. 1741—1778.

Acta septem capitulorum generalium, praeside Lamberto Engelberto de Fisen, Magistro Generali.

(Acta anni 1749).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec definita et ordinata sunt per nos Lambertum Engelbertum Fisen, Generalem, Henricum Seulen, Christianum Mela, Joannem Petrum Leonardum Coenen, Henricum Kohle, respective Leodiensem, Ruremundensem, Coloniensem et Glindtfeldensem Priores et Definitores generalis capituli anni millesimi septingentesimi quadragesimi noni mensis Maii 4[ta] et duobus subsequentibus diebus in primaria Stae Crucis domo Clari Loci apud Huum.

Igitur decretum fuit, ut e pluribus articulis aute hac ordinatis et approbatis, iterato approbetur et confirmetur, ille de reformatione constitutionum ordinis nostri conditus in comitiis generalibus anni 1686[ti] aliisque posterioribus, prout hisce approbatur et confirmatur, ideoque ordinatur imprimis, ut exemplar constitutionum, jam dudum opera reverendissimi efformatarum, debite communicetur et examinetur, et si quae rejicienda aut addenda vel immutanda putentur, haec sedulo annotentur et reverendissimo reverenter significentur.

Quaecumque in his constitutionibus contenta non tamquam jus novum condentia; sed solum ut declarativa aut modificativa illorum, quae in antiquis constitutionibus et capitulorum generalium relictis substantialiter continentur, talia ex nunc vim obligandi habere censeantur, caetera vero, quibus conditur jus plane novum, qualia tamen illic reperiuntur paucissima, ulteriori ordinationi reservata sunt.

Postquam semestre aut circiter constitutionibus istis examinandis concessum, elapsum fuerit, licebit reverendissimo de assensu definitorum ad executionem illarum procedere, eas nimirum sanctissimae sedi pro obtinenda approbatione praesentando, typis mandando etc.

Attendentes quod in breviario nostro reperiantur mendae quam plurimae, ac nobis quodammodo probrosae, hinc districte mandamus omnibus et singulis ordinem nostrum professis, ut juxta scedulam communicandam mendas illas in suis breviariis corrigant, et si quas ipsi praeter recensitas repererint, ut easdem indilate reverendissimo significent, pariter dein ordini communicandas.

Quandoquidem in pluribus ordinis nostri domibus reperiantur litterae apostolicae, aliaque diplomata principum, quae non illis dumtaxat, sed et toti ordini prodesse queunt; hinc volumus, ut per copiam authenticam transmittantur ad hanc domum primariam, quatenus illorum fieri queat usus bene visus, ac insuper transmittatur summaria recensio bonorum et proventuum, sive ex originali fundatione, sive aliunde habitorum, idque juxta ordinationes factas in capitulis generalibus de annis millesimo quingentesimo septuagesimo octavo et millesimo sexcentesimo tertio.

Quia ob misera tempora taxas ordinis plurimas remitti oportuit, ea propter, ut interim necessitatibus ordinis nostri succurri queat, ordinandum duximus; prout hisce ordinamus, ut unaquaeque canonia juxta propositionem facultatum ejus teneatur annue contribuere certam pecuniae summam, a reverendissimo et definitoribus opportuno tempore determinandam, cujus pecuniae solutio tunc primum exigetur aut fiet, dum propter occurrentiam necessitatis videbitur applicanda.

Ad obviandum abusui jam dudum saepius reprobato indeque imminenti canoniarum quarumdam periculo, districte et sub poena privationis officii aliisque arbitrariis inhibemus, ne quis

Prior sine consensu totius aut majoris partis capitularium ac licentia expressa reverendissimi praesumat bona immobilia aut mobilia praetiosa alienare, oppignorare aliasque in summis paecuniarum capitalibus dispositiones facere, quales sine consensu et licentia praetactis aliunde noscuntur interdictae.

Ut habeatur numerus requisitus definitorum pro casu electionis praepositi generalis (quem tamen Deus misericorditer elonget) hisce nunc pro tunc in definitores denominamus plurimum Rdum Dnum Seyl, Priorem Beyenburgensem et plurimum Rdum Dnum Mazure, Priorem Tornacensem; in Vicarios Generales denominamus ad tractum Rheni quidem plurimum Rdum Dnum Tyssen, Priorem Wickradiensem, ad tractum Mosae vero plurimum Rdum Dnum Reynders, Priorem Weghbercanum: quibus etsi alia jurisdictio non censeatur competere, nisi quae per specialem commissionem eisdem delegabitur; generatim tamen monentur, ut dum aliqua in suis districtibus eveniunt, quae reverendissimum scire oportet, talia eidem indilate notificare non desint; monentur etiam, ut in obeundis hisce muniis a senioribus praelatis ordinis nostri et signanter quidem ab Amplissimo Dno Golt, Priore Altinemorensi, consilium capere non [de]sinant.

Studium sive philosophicum sive theologicum, ut minus infra annum, inchoabitur in Alto-Nemore sub reverendo doctissimoque D. Vogels, professo in domo nostra Dulkensi, poteruntque Priores vicinarum aliarumque domuum illuc juniores suos, mediantibus obedientialibus reverendissimi, huic studio aggregare: pariter inchoabitur novus cursus philosophicus ac dein theologicus in canonia nostra Coloniensi sub reverendo ac eruditissimo Dno Weyler, Sacro-sanctae theologiae licentiato, poteritque amplissimus Dnus Definitor ac Prior localis eidem aliquem bene visum substituere, ac pariformiter poterunt Priores ad tractum Rheni juniores suos illuc mittere, suppositis obedientialibus reverendissimi.

(Acta anni 1752).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec definita et ordinata sunt per nos Lambertum Engelbertum Fiseu Generalem, G. Tissen, Hubertum Rynders, Wilhelmum Meyer, Michaëlem Jorissen, respective Wickradiensem, Wickbercanum, Dusseldorpiensem, Trajectensem, Priores et Definitores generalis capituli 1752, mense Maii 1ma et duabus sequentibus diebus in primaria Stae Crucis domo Clari Loci apud Huum.

Confirmamus approbata in capitulo generali 1739 et approbamus ordinata in capitulo generali de anno 1749.

Districte sub poena arbitraria mandamus, ut in omnibus ecclesiis nostris chorus sit clausus et separatus, quantum fieri potest a reliqua ecclesiae parte, prohibentes, ne ordinarie sexus femineus illum intrare permittatur.

In sacris canonibus dudum praedamnatam clericis et religiosis negotiationem, uti vectigalium defraudationem, sub gravissimis inhibemus poenis.

Sub poena mulctae unius taxae ordinariae a Prioribus localibus solvendae volumus, ut in singulis canoniis nostris sit, aut quam primum procuretur cista tribus distinctis seris instructa, quarum unam clavem habeat Prior, alteram Subprior, tertiam Procurator, quae cista maneat in quarterio Prioris aut archivo, ab illo reproducenda Reverendissimo Domino Generali tempore visitationis, in qua reponantur et conserventur dotes, capitalia, summae notabiles, ex divenditionibus granorum, lignorum etc. provenientes, donec detur occasio ex illis emendi reditus vel agros, salvo consensu quorum interest.

Ad instantiam Amp. D.D. Priorum ac Procuratorum Generali hocce capitulo congregatorum, Reverendissimus cum Am-

plissimis D.D. Definitoribus decrevit in posterum singulis dumtaxat 6 annis, capitulum generale esse convocandum, et singulis dumtaxat sex annis visitationem a Reverendissimo esse instituendam.

Pro meliori et majori manutenentia regularis disciplinae, insuper ordinatum est, et injunctum Amp. Priori Helenae Montano, a Reverendissimo et Amp. D.D. Definitoribus mandatum, ut 12 carceres ad castigationem rebellium in sua canonia ad usum totius ordinis nostri curet.

(Acta anni 1756).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec definita sunt per nos Lambertum Engelbertum de Fisen, Generalem, Henr. Seulen, Ant. Loverix, Mathiam Francken Marii, N. A. de la Tour, respective Leodiensem, Altinemorensem, Colensem, Sanignacensem, Priores et Definitores capituli generalis 1756 anni 16 Maii et duobus sequentibus in primaria Ordinis S. Crucis canonia apud Huum.

Confirmamus approbata in capitulo generali de anno 1749 et signanter quidem quoad confirmationem constitutionum ordinis nostri, ideoque volumus, ut imposterum in capitulo septimanali legantur alternatim cum constitutionibus antiquis, tum ut quibuslibet ordinem nostrum professis pateat, novas illas ab antiquis constitutionibus posterioribusque capitulorum generalium definitionibus non differre, saltem quod ad rei substantiam attinet; tum etiam ut quisque judicare suamque mentem exponere valeat, an et quae illic mutanda sint, antequam typis mandentur, Sanctae sedi pro approbatione illarum obtinenda praesententur, etc.

Approbamus ordinata in capitulo generali de anno 1752; [quod vero attinet ad celebrationem capituli generalis singulis

sexenniis], quandoquidem directe opponatur bullae Innocentii XI (*a*), sicut et constitutionibus ordinis nostri, declaramus eumdem [articulum] nullius efficaciae et roboris, nec ullatenus posse aut potuisse obligare.

Attendentes, quod capitula generalia, sicut et visitationes religiosarum domuum juxta ecclesiae mentem, et sanctorum canonum sanctiones non modo spirituali, sed et temporali bono prodesse debeant: ea de causa, et una simul ut occurratur querimoniis bene notis, quasi nempe facta capitula et visitationes statui temporali canoniarum nostrarum potius obsint, quam prosint, districte mandamus, ut eorum vitentur expensae inutiles, adeoque ut proficiscentes ad capitulum generale, indeque redeuntes, neque ad dextram nec ad sinistram declinent, sed rectam viam tenentes, in domibus ordinis nostri, ubi reperiuntur, hospitium sumant, ibidemque singulariter et religioso modo tractentur.

Et similiter dum Reverendissimus peraget visitationem ordinariam, omni cura vitabuntur expensae non necessariae, nec fiant prandia sumptuosa, sed una die dabitur fratribus pitantia honeste, invitatis personis canoniae utilibus, praevie Rdissimo notificatis.

Continuabitur studium tum philosophicum tum theologicum sub iisdem professoribus usque ad aliam Rdissimi ordinationem,

(*a*) Hanc Innocentii XI bullam, quae incipit: »Honestis petentium votis", anno 1677 promulgatam, frustra quaesivi. In ea confirmavit S.S. Pater decretum capituli generalis anni 1614 et quidem his verbis: »Ut fratres canonici S. Crucis imposterum quolibet triennio tantum capitulum generale servare possint et valeant, indulgemus et concedimus". Haec desumpsi ex casus positione anni 1757 quorumdam fratrum dolentium, quod Mag. Generalis noluerat transferre capitulum generale in sexennium. Acta cap. gen. anni 1614 selecta videsis pag. 129, ex quibus tamen non petet, decretum esse aliquid de differendo cap. gen. in singula triennia, licet postea numquam citius quam singulis tribus annis celebrata sint. Conf. *commentat. in const. ordinis* M. S. fol. 41 vso.

et casu quo studium philosophicum alicubi desideretur, poterit illuc erga condignum salarium mitti R. D. van Dael aut R. D. Jacobs canoniae Altinemorensis professi, quos hisce philosophiae professores denominamus.

Iisdem hisce denominamus Vicarios Generales ad tractum Rheni plurimum R. etc. Dominum Coenen, Priorem Coloniensem, ad tractum Mosae plurimum R. Dominum etc. ab Oyen, Priorem Venlonensem.

(Acta anni 1764).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec sunt definita per nos Lamb. Engelb. de Fisen, Generalem, Joannem Wilhelmum Cramer, Walterum Pinnenburg, Henricum Vossen, Joannem Henricum Breyel, respective Coloniensem, Udensem, Mosacensem et Embricensem, Priores et Definitores capituli generalis anni 1764, 20 Maii et duabus subsequentibus diebus in primaria Ordinis S. Crucis canonia apud Huium.

Approbata in ultimo capitulo generali [anni] 1756 confirmamus: articulum [de celebratione capituli generalis singulis sexenniis], pro nunc uti tunc reprobamus.

Insistentes ordinatis in omnibus comitiis generalibus ab anno 1686, pro statutorum nostrorum renovatione, volumus et mandamus, ut quo citius fieri poterit, exemplar illorum, opera Reverendissimi Dni efformatum, communicetur, subjiciendum examini omnium ordinis nostri Priorum; qui illud legere, relegere suasque reflexiones, si quas habeant, statim infra quindenam transmittere [tenebuntur] vel Amplissimo Definitori Coloniensi, vel Ampl. D. Definitori Leodiensi, qui duo, attentis reflexionibus sibi communicatis, efformabunt novum exemplar Reverendissimo

Dno nostro praesentandum, ut servatis servandis opus illud diu desideratum typis mandetur; interea tamen temporis capitulum septimanale, uti anno 1756 ordinatum est, servetur.

Licet in statutis nostris Distinct. 2da, n^ro^ 16 de electione Prioris conventualis, mandatum sit, sub poenis relatis, Distinct. 2da, cap. 3, n. 12, ut relicta Priorum localium vita decedentium conserventur, et nullatenus distrahantur, donec conventui de novo Priore fuerit provisum, et ipse novus Prior electus et confirmatus personaliter praesentibus Subpriore et senioribus ea attigerit: relatum tamen nobis est, quod in nonnullis ordinis nostri canoniis contrarium practicatum fuerit; hinc renovandum duximus, sicut hisce renovamus, sub iisdem poenis dictum mandatum, inhibentes insuper sub iisdem poenis, ne defuncto Priore aliquid innovetur, tam quoad officiales quam quoad consuetum vivendi modum.

Continuamus studium tum philosophicum tum theologicum, ubi modo est institutum: resumetur cursus theologicus in primaria domo Huiensi sub professore Rdissimo D. bene viso: in Alto-Nemore denuo incipiet studium Rdus et eruditissimus D. Vogels, in canonia Brugensi incipiet Rdus et eruditissimus D. Schiller, Altinemorensis.

Denominamus in Vicarios Generales ad tractum Rheni Amplissimum D. Priorem Dulckensem, ad tractum Mosae Amp. D. Priorem Dionantensem. De caetero remittimus unumquemque ad regulam et constitutiones nostras, aliasque non revocatas ordinationes, simul atque magnopere recommendantes mutuam ad invicem charitatem et pacem.

(Acta anni 1767).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec sunt definita per nos Lambertum Engelb. de Fisen,

Generalem, Hubertum Reynders, Petrum Ant. ab Oyen, Joannem Petrum Weiler, Joannem Gerardum Mertens, respective Wegbercanum, Venlonensem, Coloniensem et Mariae Pacensem, Priores et Definitores capituli generalis anni 1767, 17 Maii et 2 sequentibus diebus, in primaria Ordinis S. Crucis canonia, apud Huum celebrati.

Attendentes in praecedentibus capitulis generalibus tales factas esse ordinationes, ut sufficere nobis videantur, remittimus unumquemque ad illas, volentes, ut quae non sunt revocatae, executioni mandentur.

Quia tamen innotuit nobis, quod in quibusdam ordinis nostri domibus invaluerit consuetudo seu potius corruptela, ut loco sumptuosorum conviviorum in investitionibus, professionibus et primitiis, certae pecuniae summa in praetactis domibus inter Priorem et confratres communitatis distribuenda sit; et licet consuetudo haec visa fuerit quodammodo justa, equidem cum expost innotuerit, ex hac consuetudine oriri abusum maxime detestabilem, quod scilicet saepe oporteat ad habitum clericalem ordinis nostri prorsus indignos admittere et rejicere dignos, idcirco volumus et districte mandamus, ut hujusmodi casu recurrente distributio illa fiat secundum proportionem allatae dotis pro discretione Priorum localium.

Continuamus studium in domibus, ubi jam est institutum, in Alto-Nemore inchoabitur vel prosequetur a R. D. Franc. Kesseler, inchoabitur in domo Mariae Laudis sub R. D. Gyssens, quem in Professorem denominamus, in Coloniensi assumptis novis fratribus inchoabitur.

In Vicarios Generales denominamus Amplissimos D.D. Priores Ehrensteinianum ad tractum Rheni, et Trajectensem ad tractum Mosae.

—

(Acta anni 1770).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec sunt definita per nos Lamb. Engelb. de Fisen, totius ordinis` can. regularium praepositum Generalem, Wilhelmum Wulfing, Hendricum Peters, Joannem Antonium Cuyten, Hendricum Seulen, respective Priores (*a*) et Definitores capituli generalis anni 1770^{mi}, 13^{tia} Maii et duobus subsequentibus diebus in primaria Ordinis Stae Crucis canonia apud Huum.

Volumus et mandamus in virtute Stae obedientiae, ut statuta in codice anno 1660 impresso contenta, non obstante in contrarium illegitima consuetudine, quae merus est abusus, et statutum in ordine approbatum enervare nequit, exacte observentur,. donec et usque Sta Sedes ab aliquorum observatione nos absolvat.

In eadem virtute Stae obedientiae mandamus, ut quae post annum 1660 a tribus capitulis generalibus successivis edita, approbata et confirmata reperiuntur, exacte observentur et in capitulis septimanalibus legantur.

Scapularia brevia sub veste itineraria sub poena gravioris culpae gestanda, tali modi gestari debent, ut crux, de qua erubescere damnabile est, et a qua canonici Stae Crucis nominamur, sit visibilis.

Exercitia spiritualia per octiduum, singulis annis ab Amplissimis R. D. Prioribus designando tempore, sub poena privationis vacantiarum et omnis exitus, ab omnibus servanda sunt, illorumque saepissime factam in capitulis generalibus ordinationem, approbationem et confirmationem iterato confirmamus.

(*a*) Non hic exprimuntur nomina conventuum, quorum Priores fuerint. Fr. Weynants in nota M. S. recenset Priores Byenburgensem, Pontis Coeli, Ruraemundensem et Leodicensem S. Th. Licentiatum jubilarium, nominibus tamen non additis.

Continuamus in Vicarium Generalem ad tractum Mosae Amplissimum D. Priorem Trajectensem et ad tractum Rheni denominamus Amplissimum D. Priorem Wegbercanum.

(Acta anni 1773).

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Haec definita et ordinata sunt per nos Fr. Lamb. Engelbertum de Fiesen, Generalem, per Wilhelmum Jacobs, per Lambertum Meyers, per Petrum Weyngartz, per Gerardum Mertens, respective Priores (*a*) et Definitores capituli generalis anni 1773, 9 Maii et sequentibus diebus in primaria ordinis canonia S. Crucis Clari Loci apud Huum.

Ut clarior juxta statuta nostra habeatur intelligentia, declaramus per antiqua statuta intelligi non solum statuta illa, quae in libro, [anno] 1660 sub Reverendissimo Dno Hanneffe edito, continentur; si tamen aliqua illorum per tria capitula generalia continua, aut per consuetudinem generaliter recepta, non fuerint legitime abrogata, sed etiam antiqua declaramus ea, quae post editum hunc librum sunt sancita, dummodo per tria capitula generalia existant approbata.

Ut paci et tranquillitati ordinis consulamus, volumus ut graviora negotia, ut sunt novarum constitutionum sanctio, veterum reformatio, antiquarum constitutionum abrogatio, et alia hujusmodi neutiquam a solo definitorio ultimato concludantur, nisi praehabito maturo consilio cum ipsis prioribus et procuratoribus, in capitulo generali praesentibus, qui omnes in unum congregati semper prae oculis habeant textum constitutionum nostrarum, Distinctione 2, cap. 6, num. 6, ubi sic legitur: „statuimus in virtute S. obedientiae ac interminatione anathematis" cet.

(*a*) Priores sc. erant Trajectensis S. Theol. lect., Montis Orientis S. Th. lect., Dusseldorpiensis et Mariae Pacis. Nota M. S., Fr. Weynants.

Prohibemus districte, ne Priores Definitoribus vel Definitores Prioribus per suas definitiones aliquod praejudicium audeant generare, quod si facere attentaverint, eadem districtione prohibemus, ne in hoc aliquis praesumat ipsis obedire.

Ad tollendam omnem controversiam et dissentiones, imposterum Priores sive electi sive denominati in conventibus non suis, si propter culpam ab officiis suis subportentur, redibunt ad nativam domum suam, in qua locum professionis resument, gaudebuntque procuratione in victu et vestitu, sicut et alii confratres, gaudebuntque in electione priorali voce activa tantum, nisi isto jure per sententiam capituli generalis excidisse fuerint declarati.

Dolenter percepimus, quod quidam confratres ordinis nostri de licentia quidem Amplissimorum Priorum localium, non vero de consensu Rmi Dni Generalis, sibi caminos in dormitorii cameris extrui fecerint: hunc abusum, ut adversum ordinis nostri consuetudini, evertere volentes, praecipimus sub poena gravioris culpae, ut imposterum nullus Priorum talem licentiam confratribus suis pro novis construendis dare praesumat, sed praevie Rmi D. Generalis consensum postulet.

In memoriam revocamus articulum 9[num] de anno 1749 et sequentibus duobus capitulis approbatum, qui sic habet: „ad obviandum abusui jam dudum saepius reprobato, indeque imminenti quarumdam canoniarum periculo, districte et sub poena privationis officii, aliisque arbitrariis, inhibemus, ne quis Prior sine consensu totius aut majoris partis capitularium ac licentia expressa Rmi D., praesumat bona immobilia aut mobilia pretiosa alienare, oppignorare aliasque in summis pecuniarum capitalibus dispositiones facere, quales sine consensu et licentia praetactis aliunde noscuntur interdictae."

In Vicarios Generales supra Rhenum Amp. D. Coloniensem (*a*) et ad Tractum Mosae Amp. D. Wickradiensem denominamus.

(*a*) **Prior Coloniensis erat D. Odendahl. Nota M. S. Fr. Weynants.**

N°. 347. 12 Febr. 1742.

Testimonium honorificum a reformatae religionis ministris Fr. Cruciferis conventus S. Agathae datum.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Wy ondergeschreven Theodorus Repelius, Predikant tot Beugen, en Ludovicus Brants, Praedicant tot Cuyck, verklaeren by desen ter requisitie van de Kruys-Heeren tot St. Agatha, resort de Hooftbancke van Cuyck (voor soo veel ons bekent is) dat die requiranten geen bedel-monicken en syn, als gaande op geene termynen ietwets vraagen, maar dat de selve geheel en al van haar eyge bestaan leven, en dus niet en syn tot lasten van iemant, maar ter contrarie, die aen de arme en behoeftige menschen soo tot St. Agatha als tot Cuyck en landen van dien, met hunne genereuse almoessen, seer behulpsaam syn, en onderstant doen, selfs aen gereformeerde, alsmede oock aen alle vremdelinge passegiers en dat de requirante alle personeele en veele lasten neffens andere ingesetene koomen te dragen, en te betalen, boven en behalve de pagt aen syn Hoogheid den Heere Princen van Orange van hunne geconfisqueerde goederen, en dat ons oock noit voorgekoomen is, dat de selve ietwets tegen de placaten en ordinantien van den staat soude gedaan of ondernoomen hebben, maar de selve nagekoomen synde, de selve oock seer ordentlyck van gedrag, en vriendelyck in conversatie en omgang, selfs oock met die van de gereformeerde religie: dienende voor reden van welweetenthyt, dat wy in beide naast gelegenste dorpen wonende, het selve hebben ondervonden; en gemerckt men schuldig is der waarhydt getuygenisse te geven, insonderhyt des versogt synde, soo hebben wy dese aen de requiranten niet konnen of mogen weigeren, maar die aen de selve medege-

deelt, en in teken der waarhyt dese eigenhandig ondertekent, tot St. Agatha, den 12 Feb. 1742.

TH. REPELIUS,
V. D. M. in Beugen.

L. BRANTS,
V. D. M. in Cuyck.

N°. 348. 1744.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

Quandoquidem ob diminutum in hac domo confratrum numerum et quorumdam satis infirmam valetudinem vix possibile sit, quod ecclesiae officia more alias solito peragantur: hinc ordinamus, ut non nisi dominicis et festivis diebus summum sacrum cantetur circa horam decimam, feriis tertiis et quintis autem circa horam septimam, reliquis vero diebus a cantando illo sacro desistatur; item ordinamus, ut imposterum abstineatur a cantandis horis canonicis, dempto tamen completorio, quod omni die cantabitur (dum saltem quatuor bene valentes adesse queunt) prout etiam diebus dominicis et festivis Prima et Vesperae, item in summis solemnitatibus Te Deum ac Laudes. Reliqua materiam istam seu cantandas horas et missas concernentia Rdi Adm. Dni Prioris discretioni relinquimus, omnes simulatque in domino hortantes, ut divinam clementiam implorare satagant, quatenus plebem hanc suam visitare et pusillum istum gregem adaugere dignetur, sicque pristinum divini officii decorem resumere liceat.

Tametsi vita religiosa competenter peracta, habeat se velut exercitium spirituale continuum, quia tamen carnis fragilitate austerior observantia saepe relaxatur, ac de mundano pulvere

etiam religiosa corda sordescunt, hinc insistentes ordinationibus saepissime factis, districte mandamus, ut quisque singulis annis in quadragesima aut alio tempore per octiduum vacet speciali animi recollectioni seu exercitiis spiritualibus.

Ut integrum persistat ac sine salutis dispendio observetur paupertatis votum, mandamus ut quisque pecunias, quomodolibet sibi obvenientes, deponat apud D. Priorem vel Procuratorem, nec inde quidquam notabile expendat sine ejusdem D. Prioris licentia; districte etiam ac velut casum in statutis nostris reservatum inhibemus, ne quis stipendia pro celebrandis missis sine expressa D. Prioris licentia acceptet, aut saltem ut illorum acceptationem indilate notificet, eamque licentiam petat, sive dein concedendam sive negandam. Caveatur autem, ut pecunia taliter accepta non expendatur, nisi postquam onera missarum persoluta fuerint; neque expensio ista in alios usus fiat quam honestati ac religioso statui conformes.

Fr. L. E. Fisen,
Generalis.

De Mandato perillustris ac Reverendissimi Domini mei.
Fr. H. Seulen,
Prior Montis Orientis, qua secret.

No. 349. 6 Martii 1747.

Fundatio Missarum in ecclesia conventus Fratrum S. Crucis Aquisgranensis.

(Chr. Quix, Die Pfarre zum H. Kreuz in Aachen, pag. 62).

Kundt undt zu wissen seye hiemit jeder männiglichen, demnach die wohlachtbare Hr. Wilhelm Rützelfeldt undt Herman Müller Konstablers Kapitain als Vormünder, so dan Hr. Paulus Büngens Stieffvatter deren unmündigen Hr. Petri Nicolai Cardaun seel. uns zu endt unterschriebenen mit mehrerem zu erkennen gegeben, was gestalten vorgemelten unmündigen grosz-

Möhn Maria Cardaun (welche ungefehr vor 16 Jahren im losz-ledigen standt todts verblichen) kurtz vor ihrem Absterben ausz dero Hinterlassenschafft 50 Rthlr., jedem per 56 M. aix gerechnet pro anniversario für jhro, undt deren negsten Anverwandten Seelen praedestinirt hätte, solche Gelder auch ihrem Bruderen Petro Cardaun seel. deren mehrgem. unmündigen Groszvatteren zu ihrem Last überantworthet wären, ab welchem capitali zwarn die darabgekommene interesse jährliche zu H. Meeszen augewendet worden, gedachte vormündere jedoch, damit solche ihnen zum theil auffliegende schuldigkeit künftig hin nicht etwa in Vergesz gerathen mögte, für guth befunden undt beschloszen all solche 50 Rthlr. a 56 M. jeden gerechnet, in einem Kloster, und zwarn bey denen H. Kreuzbrüdern dahier binnen Aachen zu dem endt herzugeben, dasz für obigen stiffterin, undt dero anverwandten seelen von nun ahn bisz zu den ewigen tagen alle jahrs die dritte woch in der fasten auff einem darzu bequämen und ahm Cardaunischem stockhausz im schwartzen ochsen anzusagenden Tag zur obiger intention ein hohes seelenamt mit Diacon undt Subdiacon, samt annoch einer leszmeesz gehalten werden solle. Undt dan wir Prior undt Conventus deren hhn. Kreutzbrüdern ein solches also wie vorschrieben, beliebet, undt uns darzu verbündlich gemacht haben, um de.nehr, als uns obgem. 50 Rthlr. jeder zu 56 M. durch vorgem. Wilhelmum Rützelfeldt, deren unmündigen vormünderen würklich undt baar zu Händen gestellet worden seyndt; also thuen wir Prior undt Procurator nomine totius Conventus ein solches hiemit quittirendt bescheinigen, und obige zwey respective sing- und lesz-meszen zu unszerem Last hiemit übernehmen, welches dan auch also forth unszerem Archiv eingetragen werden solle. Zu mehrerer bestättigung haben wir dieses eigenhändig unterschrieben, so geschehen Aachen den 6ten Martii 1747.

F. Mathias Hammers, Prior.

F. J. W. Gerschoven, Procurator.

N°. 350. 18 Dec. 1750.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Nos Fr. Lambertus Engelbertus de Fisen, totius ordinis canonicorum regularium Sanctae Crucis praepositus Generalis, nec non Primariae ejusdem ordinis canoniae apud Huum Major Prior &c. &c. &c.

Visitantes et scrutantes canoniam nostram Agathanam die nona Junii 1750 et sequentibus, nihilque volentes tunc temporis, ob rationes valde criticas, ut convenisset, ordinare: haec, hac decima octava decembris ejusdem anni, ad manutenendam, imo augendam in ea regularis disciplinae observantiam, statuenda et ordinanda duximus, quae cum ultimo nostro tantum relicto de anno millesimo septingentesimo quadragesimo quarto et non alio, quod pro non facto haberi volumus et annullamus, singulis trimestribus sub refectione refectoriali semel, alte, et non praecipitanter, legentur, ne oblivionis aut ignorantiae horum et fati nostri relicti ultimi praetextus allegari queat, et quae Amplissimus Dominus Prior cum ultimo nostro tantum relicto observabit, et a suis observari curabit.

Volumus ut horae canonicae seu officium divinum, totum et integraliter, ut in aliis nostris canoniis in choro peragatur, etiamsi duo tantum in choro praesentes fuerint, horis et temporibus in ordine consuetis: sic tamen ut tantum psalmodietur, exceptis diebus dominicis et festivis in populo, quibus solis summum sacrum cum vesperis cantabitur: si autem unus tantum in choro comparere possit, nihilominus in choro officium seu horas canonicas intelligibili voce horis et temporibus praedictis legat.

Volumus ut omnibus diebus aliis, quibus in cantando summo sacro dispensatum ad interim [sit], post *pretiosa* celebretur in

summo altari missa privata conformis officio, cui omnes interesse debebunt, et sub cujus fine recitetur, etiamsi solus celebrans in choro sit, antiphona: *Haec est praeclarum vas* et *Da pacem Domine*, cum suis versiculis et collectis.

Inhibemus serio, et sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae et a nobis reservatae, introitum in tabernas animo potitandi seu ludendi: sed dum pro animi relaxatione, aut recreatione exeunt, quod Amplissimus usque ad coenam refectorialem (si illa ante completorium fiat) cuilibet sacerdoti singulis quindenis semel concedat, accedant plurimum reverendos dominos Pastores, aut alios honestiores vicinos, et inter eos, maxime fatae canoniae nostrae amicos et benevolos.

Praeter hunc quindenalem exitum, concedimus fratribus nostris canonicis presbyteris vacantias annuales quatuor septimanarum: et hoc indulgemus, ut tanto alacrius officia suae vocationis Domino Deo exhibeant, et per octiduum singulis annis exercitiis spiritualibus, et speciali animi recollectioni vacent.

Volumus, ut omnes hujus canoniae professi, sint in vestibus sibi et aliis canonicis nostris uniformes: ideoque dum sunt in canonia, gestent togam talarem albam, anterius cum nodulis clausam et cingulo nigro pendente alligatam: item subcollare albi, non vero nigri coloris: et humerale nigrum anterius cum tribus tantum nodulis apertum, ac sub ipso scapulare pariter nigrum cum cruce assuta albi et rubri coloris.

Districte et sub poena gravioris culpae mandamus officialibus hujus canoniae, ut sint sicut alii Amplissimo in omnibus subditi et subordinati ac ab ipso dependentes, etiam quantum ad exitum et reditum ac alia suorum officiorum notabilia: benevolosque et honestos ac alacres se receptores cum Amplissimo exhibeant extraneis, ad canoniam adventantibus, maxime iis, a quibus quocumque modo dependet canoniae manutenentia aut emolumentum.

Monemus Amplissimum, ut non nimis austerum et severum

ac serium se exhibeat fratribus suis: sed imitando sanctos, in se saeviat, et aliis suis fratribus in Domino indulgeat: illosque hilari, quantum poterit, oculo et vultu recipiat, alloquatur, ubi opus erit, puniat, animetque et consoletur.

Mandamus Amplissimo, ut si quid ex canoniae fructibus aut redditibus perceperit, aut pro illa exposuerit, illorum computum coram procuratore suo singulis annis faciat, ut ista percepta et exposita in registris perceptorum et expositorum procuratoriae respective inscribantur: mandantes in virtute Sanctae obedientiae Domino Procuratori, ut infra sex septimanas ab intimatione et praelectione harum, reddat computum coram suo Amplissimo, et interesse jus habentibus, de a se receptis et expositis ab ultima computatione: eumdemque computum singulis annis exacte faciat sub poena depositionis ab officio, et privationis vacantiarum.

Datum manuque nostra propria subsignatum, ac parvo officii nostri sigillo munitum, in canonia nostra primaria apud Huum; anno, mense et die praefatis, Generalatusque nostri decimo anno.

(L. S.)

Fr. L. E. Fisen,
Generalis qui supra.

De mandato perillustris ac Reverendissimi Domini mei,

Fr. J. F. L. Walthery,
qua Secretarius.

N°. 351. 20 Julii 1753.

Ad petitionem Huberti Reynders, Vicarii Generalis, Prioris et Pastoris in Wegberg, nomine Magistri Generalis, factam de novitiis adsumendis in conventu S. Agathae, statuunt Ordines Belgii septentrionalis Generales standum esse resolutioni anni 1730 *(a).*

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 352. 2 April. 1755.

Permittitur conventui S. Agathae octo Confratres assumere.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Extract uyt het Register der Resolutien van de Ho. Mo. Heeren Staten Generael der Vereenigde Nederlanden.

Lunae, den 21 April 1755.

Is gehoort het rapport van de Heeren van Heekeren tot Brandsenborg en andere haar Hoog Mog. Gedeputeerden tot de saaken van de placaaten en reglementen, hebbende ingevolge en tot voldoeninge van derselve resolutie commissoriaal van den 20 July des jaers 1753, met en nevens eenige Heeren gecommitteerden uyt den Raad van Staate geexamineert het gerapporteerde ten selve dage gedaan door de welgemelde Heeren van Heeckeren tot Brandsenborg en andere Haar Ho. Mo. Gedeputeerden tot de zaaken van de placaaten en reglementen, ingevolge en tot voldoeninge van der selve resolutie commissoriaal van den 2 Juny 1750, met en neevens eenige Heeren Gecommitteerden in den Raad van Staaten, geexamineert hebbende de requeste van Hubertus Reynders, Vicaris Generaal van het order der Canoicken Regulieren van het H. Cruys, Prior en Pastor van Wegberg, als speciale last en

(a) Hoc anno 1753 quinque saltem superstites erant in conventu fratres, ut patet ex epistola M. S. Magistri Generalis.

procuratie hebbende van den Generaal der voorsz. orden L. E. Fysen, mitsgaders den Prioor en verdere regulieren canonicken van het clooster S. Agatha, gelegen in den lande van Cuyck, houdende dat het selve clooster en goederen daer by gehoorende, en reeds meer als een eeuwe gelegen had gecompeteert aen het Doorlugtige Huys van Orange en Nassau, van het welcke der supplt^n praedecessuers sedert dien tyd het gem. klooster en goederen in pagt of admodiatie hadden geobtineert en bezeeten voor sekere somme jaarlyks, de selve gunsten quamen te genieten van syn Hoogheyd den Heere Prince van Orange en Nassau, dat of schoon nu de supplt^n in deesen geen monnicken waaren, nogte die van der selver ordre oyt waaren geweest, maar dat zy contrarie alle waaren cannonicken regulier, en voor dusdanige oock alomme bekent, dat zy mit dien oock geensints leefden van den bedelsack, maer van hunne eygen middelen en inkomsten, soodanig dat sy lieden niet alleen niet en waaren tot lasten van iemand, maar integendeel, [sonder] jactantie gesegt, gelyck die van de abdye van Postel, Everbode, St. Bernards, Tongerloo en Bern, op eene genereuse wyse ontrent den arme en behoeftige menschen, soo inwoonderen als vremde passagiers, sonder onderscheid van religie, en dus soo wel aen die van de Gereformeerde, als die van de Roomsche religie quaamen mede te deelen en onderstandt te doen, booven en behalven de bekende hospitaliteit voor luyden van meerder rang en selfs voor die van de eerste geboorte en illustre afkomste, sy supplt^n des niet te min, evenwel het ongeluck hadden gehad, van by Haar Ho. Mo. resolutie van den 28 July 1730 aengemerckt te worden, als of ze effectivelyck monnicken waren, en dat sy lieden daeromme meede souden moeten uytsterven en door geene andere mogten worden verwisselt, of gesuppleert werden, met byvoegingen van dusdanige praecautien, tot voorkoominge van alle contraventien, als breeder bij de selve resolutie van Haar Ho. Mo., dato den 12

Maert 1731. Nog goedgevonden en verstaen, dat insgelycks het Bagynen klooster te Breda, als mede het klooster van Bagynen in het convent van Maria Graaff (*a*), soude moeten uytsterven, en als dan der selver goederen souden moeten werden verkogt, ten behoeve van diegeenen, die daertoe soude geregtigt syn, dog welcke voorsz. resolutie met relatie tot het Bagynhof van Breda, by opgevolgde resolutie van Haar Hoog Mo. de dato den 3 Maert 1747, wederom was verandert ende geinterpreteert: versoeckende supplt[n] om redenen in de voorsz. requeste gealllegueert, dat het Haar Ho. Mog. behaagen moogen de voorsz. genome resolutie ten lasten van de supplt[n] in deesen op diergelycke wyse als in reguarde van die van den voorsz. Bagijnhoven van Breda reeds is geschied, meede goedgunstiglyck, conform het vierde articul van de capitulatie der stad Grave wel te willen interpreteeren, in sulcke effecte, dat de supplt[n] gelyck voor dato van Haar Ho. Mo. op gem. prohibitive resolutie, wederom andere persoonen tot leedemaaten van der selver klooster van St. Agatha in de plaatse der afgestorven sullen moogen aanneemen.

Waerop gedelibereert synde, is goedgevonden en verstaan, dat aen de supplianten voor dit maal sal werden gepermitteert, soo als haar gepermitteert word mitsdeesen, om agt persoonen tot leedemaaten in der selver klooster van St. Agatha van de Kruysbroeder ordre, in de plaets der afgestorvene te moogen aanneemen, werdende Haar Ho. Mo. resolutie van den 28 July 1730, in soo verre hier mede verandert en gealtereert.

En sal extract van deese Haar Ho. Mo. resolutie gesonden worden aan den Amptman der stad Grave en lande van Cuyck, om te strekken tot syne narigtinge.

(Was geparapheert) G. S. Siccama,

Accordeert met 't voorss, register.

(Gecontrasigneert) Fagel.

(*a*) Sc. Conventus monialium in urbe Graviae.

N°. 353. 26 Martii 1756.

Invitatur conventus S. Agathae Prior ad capitulum generale a Magistro Generali.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Nos Fr. Lambertus Engelbertus de Fisen, totius ordinis canonicorum Stae Crucis praepositus Generalis, Primariae ejusdem ordinis canoniae dictae Clari Loci, apud Huum sitae, Major Prior &c. &c. &c.

Amplissimo Domino Joanni Coeberg, canoniae nostrae Agathensi, Priori meritissimo, Paternam Benedictionem.

Elapso ab ultimis ordinis nostri comitiis generalibus non triennio sed quadriennio, timentesque ne, succrescente et serpente bello Gallum inter et Anglum jam accenso, has et vicinas partes, ita tandem ut fere semper contingit, occupet, ut ab illorum convocatione et habitione per plures annos impediamur: ac aliunde considerantes illorum convocandorum et habendorum, et necessitatem et multas nos ligantes leges, comitia ordinis nostri generalia indicenda duximus, et praesentium tenore indicimus: ac in primaria nostra canonia, dicta Clari Loci apud Huum sita, Dominica *Cantate* anni currentis, incidente in diem decimam sextam Maii proxime futuri, et duobus sequentibus diebus, fore celebranda statuimus et declaramus.

Ea propter districte et in virtute Sanctae obedientiae mandamus, ut Amplissima Dominatio vestra, sabbatho praecedente dictam Dominicam *Cantate* et incidente in diem decimam quintam ejusdem mensis Maii, huc se sistat cum socio Procuratore, capitulariter ad hunc effectum electo, ac litteris desuper testimonialibus in debita et consueta forma, sigilloque cononiae vestrae sigillatis et a capitularibus subscriptis munito: cum clara, distincta et veraci status tam temporalis quam spiritualis domus vestrae designatione: cum omnibus taxis non solu-

tis (in quibus tantum abest ut sperari possit remissio, quin e contra, quia in aerario ordinis nihil penitus in ultimo capitulo generali remansit, taxaeque istae vix pro ordinariis ordinis expensis sufficiant, ac extraordinariae non modicae fieri debuerint, praeter jam dictas taxas contribuet et conferet unam pistoletam gallicam) adjunctis nominibus fratrum domus vestrae ab ultimo capitulo generali defunctorum cum pleno et mundo habitu: aliisque juxta constitutiones nostras requisitis, ac sub poenis in illis expressis, irremissibiliter infligendis.

Si tamen praeter spem nostram contigerit dominationem vestram, aliquo urgente impedimento vel infirmitate, quod absit et avertat Deus, detineri, super cujus realitate conscientiam vestram coram Deo oneramus: ex nunc pro tunc in eadem virtute mandamus, ut alium fratrem canonicum presbyterum, ut supra munitum et qualificatum, ac cum clausulis praeinsertis, seclusa omni excusatione mittat, qui vestro, vestraeque canoniae nomine agere, statuere et concludere possit super iis omnibus, quae ad ordinis bonum et decorum ratio et aequitas conducere suggesserint.

Apprecamur vobis spiritus sancti assistentiam, quam per missam solemnem de illo in canonia vestra, dicta Dominica *Cantate*, curabitis nobis et vobis implorari, conformiter ad constitutiones nostras, et in via Angelicam custodiam, cum plena et integra corporis et animae salute.

In quorum fidem et robur praesentes subscriptione nostra propria, et officii nostri sigillo munitas dedimus in primaria nostra ordinaria dicta Clari Loci residentia. Hac 26ta mensis Martii, anno Domini 1756°, generalatus vero nostri 15°.

Fr. L. E. Fisen, qui supra.

De mandato perillustris ac Reverendissimi
Domini mei praefati.

(L. S.) J. F. L. E. Walteri, Secretarius.

N°. 354. 26 Martii 1757.

Sacra Rituum Congregatio concessit Ordini S. Crucis indultum recitandi officium et celebrandi Missam de Sanctis, qui fuerunt canonici regulares S. Augustini.

(Impressum in libello, cui titulus: *Officia Propria Sanctorum ex speciali concessione SS. D. N. Pii Papae V, a canonicis regularibus S. Augustini celebranda cum insertis Officiis Sanctorum novis, post impressionem Breviarii Ordinis S. Crucis, Breviario Romano superadditis.* Trajecti ad Mosam, typis Jacobi Lekens, Bibliopolae. 1757. 8°).

Cum Sac. Rituum Congregatio die 18 Martii 1756 concesserit canonicis regularibus S. Augustini, Ordinis S. Crucis, indultum recitandi officium et celebrandi missam de Sanctis, qui fuerunt canonici regulares S. Augustini sub ritu semiduplicis, cum lectionibus secundi nocturni jam approbatis pro Congregatione SS^mi Salvatoris; propterea Praepositus Generalis et Definitores canonicorum regularium dicti Ordinis S. Crucis cupientes, quod universus suus ordo in persolvendis horis canonicis sit uniformis Congregationi Lateranensi canonicorum regularium ejusdem S. Augustini, Sac. Rituum Congregationi pro elevatione ritus a semiduplici eorumdem officiorum ad ritum duplicem, juxta indultum a S. Mem. Pio. Papa V eidem Congregationi Lateranensi elargitum, humillime supplicarunt, et Sac. Congregatio ad relatum Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Columnae de Sciarra Ponentis, gratiam petitam oratoribus benigne concessit.

Die 26 Martii 1757.

P. F. Card^lis Tamburinus,
Praefectus.

(*L. S.*)

M. Marefuscus S. R. C.
Secretarius.

N°. 355. 8 Junii 1757.

Approbatio Magistri Generalis libelli: de officiis propriis Sanctorum Ordinis S. Crucis.

(Imp. in libello, *Officia Propria Sanctorum*).

Fr. Lambertus Engelbertus de Fisen, totius ordinis canonicorum regularium Sanctae Crucis Praepositus Generalis, ac primariae domus in Claro Loco juxta Huum Major Prior &c. &c.

Omnibus ejusdem Ordinis regularibus praesentibus et futuris salutem in Domino sempiternam.

Informati quod sine Sanctae Sedis facultate in nostris per Galliam ecclesiis jam dudum celebrata fuerint festa seu Officia Propria Sanctorum Ordinis canonicorum regularium Sancti Augustini: quorum celebrandorum sub ritu duplici facultas concessa tantum fuit canoniae nostrae Parisiensi a Fel. Rec. Innocentio Papa XI; huic abusui occurrere volentes, simulque desiderantes, ut quoad ista Officia celebranda sit in Universo ordine nostro uniformitas, recursum sumpsimus ad Sacram Rituum Congregationem, a qua tandem, opitulante Emiuentissimo et Celsissimo Principe, Domino Prospero Columna de Sciarra, ordinis nostri protectore, obtinuimus hic adjunctum ejusdem Sacrae Rituum Congregationis rescriptum (*a*).

Enimvero, etsi forsan recursus ille ad Sacram Rituum Congregationem absolute necessarius non fuerit; attento nimirum quod juxta extractum bullae Pii V, hic pariter adjunctum (*b*), legibus utentium Breviario Romano non simus adstricti: quodque Officia Sanctorum, qui fuerunt ordinis canonicorum regularium Sancti Augustini, nos, qui sub ejus regula militamus,

(*a*) Hoc rescriptum, datum 26 Martii 1757, praecedit hanc chartam in codice nostro.

(*b*) Hanc bullam, ubique obviam, supprimendam hic duximus.

aeque ac alios cujuscumque Congregationis canonicos regulares, sub dicta regula militantes, concernant: cum nuncupatio specifica canonici regularis Sanctae Crucis non excludat, sed e contra implicite complectatur et praesupponat genericam et vulgarem illam nuncupationem canonici regularis Sancti Augustini: equidem quasi ex abundanti et pro majori securitate ac firmitate, aliasque ob causas recursum hujusmodi duximus non praetermittendum.

Eapropter praesentium tenore facultatem facimus Domino Jacobo Lekens, Typographo Trajectensi, quatenus juxta modum ipsi indicatum typis excudat ad usum ordinis nostri opusculum, continens praememorata Officia cum non nullis aliis novis Sanctorum Officiis de praecepto, ab ultima breviarii nostri impressione emanatis: simulatque volentes et mandantes omnibus et singulis ordinem nostrum professis, qui ad horas canonicas tenentur, ut iisdem excusis, tam in, quam extra chorum, accurate se conforment. Datum in Claro Loco apud Huum, hac octava mensis Junii anno Domini 1757, Generalatus vero nostri decimo sexto.

Lambertus Engelbertus de Fisen,
Generalis, qui supra.

De mandato Perillustris ac Reverendissimi Domini mei,

F. Q. F. L. E. Waltheby,
Secretarius.

N. 356. 6 Aug. 1757.

Vicarius Generalis episcopatus Leodiensis ad libellum supplicem Prioris conventus Udensis decernit, in processionibus ad Sacrarium B. M. Virginis in Uden, nihil innovandum.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

Illustrissime ac Reverendissime Domine, D. Vicarie Generalis Leodiensis &c. &c.

Infrascriptus Prior Canonicorum Regularium S. Crucis domus Udensis, dioecesis vestrae Leodiensis, illustrissimae D. V., quo par est respectu ac submissione exponit, qualiter ab hinc centum annis et ultra, seu tempore revolutionis Hollandicae, antecessores sui in civitate Sylvae-Ducensi habentes conventum et ecclesiam, inde ob illic grassantem haeresim Calvinianam expulsi, omnibusque tum mobilibus tum immobilibus bonis spoliati fuerint, ideoque serenissimus Elector Palatinus, qua dominus territorialis de Ravenstein, fecerit eis aedificari conventum in parochia de Uden, prope sacellum Beatae Virginis Mariae, imagine miraculosa ejusdem Beatae V. celebre, ea tamen lege et expressa conditione (prout hisce juncta innuunt) ut concursum populi fidelis, undequaque ad sacellum istud etiam processionaliter venientis, fovere et promovere satagerent eamque fati serenissimi Palatini mentem ac ordinationem serenissimus ac illustrissimus Elector Coloniensis Josephus Clemens, qua Episcopus Leodiensis, per omnia ratam habuerit ac approbaverit, prout ex hisce pariter adjunctis eruitur. Cum autem per litteras patentes serenissimi ac eminentissimi Principis et Episcopi Leodiensis, pro nunc feliciter regnantis de prima Septembris 1756, inter alia ordinatum sit, ut processiones et supplicationes publicae sine ipsius serenissimi seu vestra speciali licentia „in scriptis obtenta, nusquam fiant extra proprias parochiae limites,

et intra eosdem limites non nisi consuetae, quae nusquam sint tam diuturnae aut longinquae, ut vel edendo vel bibendo, minus extra pernoctando, illas interrumpere necesse foret". Hinc idem infrascriptus orator Illustrissimae D. V. humillime supplicat, quatenus hujuscemodi licentiam non gravetur concedere parochis Patriae de Ravenstein dioecesis Leodiensis, ut scilicet juxta immemorialem consuetudinem praememoratum sacellum processionaliter accedere, ac interim necessariam moram pro sumendo cibo et potu, aut etiam somno, trahere valeant, quam gratiam eo confidentius praestolatur, quod sic fovebitur devotio non solum populi fidelis adjacentis, sed et longius distantis et signanter quidem inter acatholicos habitantis, quodque eo ipso adimplebitur mens ac intentio praefatorum serenissimorum Coloniensis et Palatini, qui nimirum saepe fatum sacellum Crucigeris originaliter Silvae-Ducensibus cum suis emolumentis concedendum putarunt et concesserunt, ut illic munia ecclesiastica erga populum fidelem concurrentem exercentes, congruam inde sustentationem percipiant, utpote alioquin omni pene ope humana destituti. Gratiam itaque praestolatam suis suorumque sacrificiis et precibus compensare sataget, qui subscribitur.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis vestrae,

Humillimus Famulus,

F. W. Pynenborg,
Prior Udensis.

Leodii, hac 6ta Augusti 1757.

[Apostilla.]

Servetur usus Leodii hac septima Augusti 1757.

Pro Domino Vicario Generali absente,

J. L.
Episc. Hipponensis Suffrag. Leodiensis.

N°. 357. 29 Sept. 1758.

Praecipit Magister Generalis, ut Prior conventus S. Agathae prioratu cedat.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Amplissime Domine Prior.

Non sine madidis et afflictis oculis intueri possumus vestrum nostri contemptum, domusque Agathanae, curae et sollicitudini vestrae commissae, minimam curam, et ipsius conservationis aut interitus indifferentem aspectum. Ecce enim in Majo currentis anni vobis remonstravimus, certum esse, nobisque notum, quod bona Principis (*a*) sub vestro prioratu canoniae non elocabuntur: et hoc vobis remonstravimus, ut istud irreparabile damnum (si possetis) praeveniretis. Non tantum non praevenistis, sed nec ullum responsum nobis dedistis, sive pro consolatione nostra, sive ut illud omni possibili modo impediremus, et angustiatae canoniae succurreremus. En contemptum nostri, et conservationis canoniac Agathanae aspectum indifferentem, non condonabilem. Insuper nec responsum a vobis accepit Amplissimus noster Definitor Leodiensis, qui nuper ad vos misit copiam irrevocabilis conclusi et resolutionis praenobilium DD. consiliariorum Principis, non elocandi vobis, sed tantum alteri Priori Agathano, bona ejus: et vos adhortatus est, ut prioratui cum honore cederetis. Sed nec nobis minimum dedistis signum istud fatale conclusum vobis cordi esse aut vos anxiare: si autem non anxiamini, ac indifferente animo respicitis ruinam canoniae nostrae Agathanae, nos non sic; et ideo hortamur vos et per viscera misericordiae Dei obsecramus, ac sub formali obedientia et in virtute ejus mandamus (non stante alio medio conservandae dictae canoniae Agathanae) ut prioratui ejus cum

(*a*) Principis, sc. Auriaci.

honore cedatis vestramque illius resignationem, infra quindenam a receptione harum, (res enim urget et vix patitur moram), ad nos mittatis, sin minus, officio nostro et authoritate, conformiter ad jus naturale, divinumque et positivum, respective fungemur et utemur: silentium vestrum pro negata nobis obedientia sumpturi: qui interim vere paterno candidoqne cum affectu perseveramus.

Amplissime Domine.

Vester officiosissimus Famulus,

Fr. L. E. Fisen,

Generalis etc.

Apud Huum, 29na 7^{bris} 1758.

N°. 358. 25 Sept. 1760.

Nuntius Apostolicus nomine S. Congregationis Cardinalium omnes Ordines S. Crucis superiores, qui apud summum Pontificem conquesti fuerant, quod Magister Generalis intra quadriennium capitulum generale convocaverat, citat Coloniam Agrippinam, ut exponant rationes, quare capitulum generale singulo sexennio tantum celebrandum esse satius arbitrentur.

(Apographum authent. in tabulario conventus S Agathae).

Caesar Albericus Lucinius, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archi-Episcopus Nicaenus, Sanctissimi Domini nostri, Domini Clementis D. P. Papae XIII, Praelatus Domesticus et Pontificio Solio Assistens, ejusdemque ac dictae Sanctae Sedis ad tractum Rheni, aliasque inferioris Germaniae partes, cum potestate legati de Latere, Nuntius.

Litteras seu rescriptum sac. congregationis Episcoporum et regularium ea, qua par est veneratione, pro parte DD. Patrum Definitorum Generalium ordinis canonicorum Generalium Stae Crucis, infrascripta die accepimus, tenoris ut sequitur:

Perillustris et Reverendissime Domine, uti Frater.

Ex adjuncto memoriali videbit D. V., quid repraesentatum fuerit Sanctissimo Dno nostro pro parte Patrum Definitorum Generalium ordinis canonicorum regularium Stae Crucis: hujates Em^mi Domini mei, quibus Sanctitas Sua instantiam remisit, mihi injunxerunt, ipsi scribendi, ut auditis superioribus ejusdem ordinis, Sacram Congregationem super expositis distincte informet. Quod exspectamus insimul cum suo voto, et ipsi apprecamur a Deo veram prosperitatem.

Romae, 16 Maii 1760.

D. Vestrae uti Frater affectiosissimus P. Cardinalis.

COLONNA DE SCIARRA.

S. BONACORSI, Secretarius.

Leodiensi Nuntio Apostolico Coloniae.

Inscriptio erat:

Perillustri et Rmo Dno uti Fri Nuntio, Apostolico Coloniae.

Tenor adjuncti memorialis erat sequens.

Beatissime Pater.

Inclitus ordo canonicorum regularium S. Crucis nuncupatus, et apud Belgas, Gallos et Germanos in variis canoniis distributus, quarum major reputatur apud Huyum in dioecesi Leodiensi, ubi residet Prior Generalis, praeter antiquiores constitutiones ejusdem ordinis confirmatorias felic. record. Innocentii IV, Eugenii IV, Innocentii VIII et aliorum Romanorum Pontificum, nuperrime obtinuit a Ven. et S. M. Innocentio XI, anno 1677 quasdam litteras in forma brevis expeditas, quibus ex voto sac. congregationis Episcoporum et regularium ad parcendum frequentibus incommodis, et expensis gravissimis, quas annalis convocatio capituli generalis exigebat, demandatum fuit, ut imposterum generalia comitia quolibet triennio tantum, et

non citius, capitulum vero provinciale in unaquaque provincia singulis annis, excepto anno comitiorum generalium, celebrari debeant, et valeant, ut latius colligitur ab iisdem litteris Apostolicis, praedicto anno datis idibus Octobris. Experientia tamen quia compertum deinceps fuit, adhuc plura incommoda evenire in celebratione capituli generalis quolibet triennio, et multiplices fieri expensas in accessu, et recessu Priorum cum socio cujuslibet canoniae, praeter alias, quae deinde subeundae sunt in visitationibus P. Generalis cum ejus curia, transeundo de una canonia in aliam. Ea propter in comitiis generalibus anni 1752, quibus aderat modernus P. Generalis, qui ab annis 19 et ultra illud munus gerit, statutum fuit, ut imposterum singulis dumtaxat sex annis, capitulum generale esset convocandum et singulis dumtaxat sex annis visitatio a Rmo P. Priore Generali esset instituenda. Approbato ab omnibus istiusmodi decreto, eoque subscripto, a praedicto P. Generali, aliis P. P. Definitoribus Generalibus, sanctitatis vestrae oratoribus, et subinde publicato per universum ordinem: adhuc postea, quarto decurrente anno a praecedenti convocato capitulo, decrevit antedictus P. Generalis rursus capitulum generale convocare pro die 16 Maii anni 1756, cui convocationi tamen solemniter obstiterunt fere omnes Definitores et Priores intimati. At vero quia propter bellum, quod insurrexit inter Gallos et Anglos, Regemque Borussiae, vastatio undique in illis partibus facta est, nec a canoniis licuit cuiquam Definitori discedere, ne ab insolentia militari notabilia praejudicia paterentur, ideo convenire usque adhuc minime valuere Definitores antedicti, ut ad sanctitatem vestram recurrerent, quemadmodum in praesens ad humum provoluti, humiliter confugiunt, exorantes eximiam Sanctitatis vestrae Clementiam, ut dignetur per suas litteras Apostolicas confirmare praenarratum decretum, in supradictis comitiis generalibus anni 1752, editum, ac publicatum, recedendo pro hujusmodi effectu, quatenus opus sit, ab ordinatione praelaudati Ven. et S.

M. Innocentii XI, quamvis idem summus Pontifex demandando, ut fieret convocatio capituli quolibet triennio, non ideo inhibuisse videtur, ne posset in longius prorogari hujusmodi terminus juxta necessitatem ordinis, et ad illius expensas minuendas, quibus ad amussim de causis in antedictis comitiis generalibus anni 1752, prorogatus fuit terminus ad unum quodque sexennium, et ut etiam in quolibet sexennio unica fieret visitatio generalis, ne ultra ordinarias taxas, quibus gravantur canoniae, frequentius subire cogantur alias extraordinarias, cum gravissimis itinerum incommodis, in citiori convocatione capituli generalis et annalis visitationis, quod Deus etc.

Nos igitur hujusmodi rescripto omni, qua decet reverentia et promptitudine obsequi volentes, D. Dnis superioribus ordinis canonicorum regularium Stae Crucis cuncta praemissa ad notitiam per praesentes deducimus, iisdem demandantes, ut intra quindenae cursum ab intimatione praesentium, coram nobis deducere haud omittant ea omnia, quae nos ad assequendam plenam hujusce negotii informationem conducere possunt, ut Sacram Congregationem super expositis distincte instructam reddere, ac votum nostrum aperire valeamus. Datum Coloniae 25 7bris 1760. Pontificatus Sanctissimi D. N. anno tertio.

C. A.

(L. S.) Archiepiscopus Nicaenus Nuntius Apostolicus,

De mandato etc.

PET. JAC. BUSCH,
Abbreviator.

N°. 859. 28 Nov. 1761.

Prior conventus S. Agathae resignat prioratum.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

In nomine Domini. Amen.

Ego infrascriptus senio confectus ac viribus corporis fractus adeoque physice impotens diutius fungi officio Priorali: sub sequentibus honorificis et religiosis conditionibus resigno officio et dignitati priorali, simul et omni mihi per electionem canonicam competenti juri, ex nunc consentiens in novam electionem novi Prioris hujus canoniae Agathanae.

Conditiones resignationis sunt sequentes:

1ma. Reservo mihi libertatem manendi aut habitandi in propria, vel juxta gratiosum beneplacitum perillustris et Reverendissimi Domini Generalis in alia canonia Sacri Ordinis nostri, vel etiam in alia domo apud consanguineos meos, sic tamen ut canonia Agathensis mihi victum et amictum et omnia necessaria, scilicet in casu necessitatis aut infirmitatis doctorem medicum, chyrurgum, omniaque medicamenta subministrare et solvere teneatur, et casu quo in alia canonia, aut apud consanguineos meos habitarem, canonia mea nativa Agathensis sine contradictione, sine et solutionis haesitatione singulis annis mihi solvat 50 imperiales Hollandicos, et similes 20 imperiales pro honesta et religiosa recreatione.

2da. In casu, quo intenderem manere in propria canonia nativa aut ad eam redire, canonia nativa mihi singulis diebus dabit medium pocullum vini, singulisque mensibus imperialem Hollandicum.

3tia. Peto exemptionem a choro ac omnibus canoniae hujus oneribus, qualitercumque nominentur, ut eo quietius sponso meo inservire valeam.

4ta. Quamdiu in propria canonia habito, mihi assignabitur honestum cubiculum cum igne ac famulo mihi inserviente.

5da. Reservo mihi titulum exprioris cum cucullo nodulato, et sessionem in mensa post R. adm. Subpriorem cum caeteris privilegiis in statutis expressis.

6da. Si quando exire voluero, cum cognitione tamen Prioris localis, hic exitus sine contradictione concedetur, cum carruca, equo et famulo; et si Prior localis non adesset, sufficiet intimatio exitus Domino Subpriori, vel seniori vices gerenti, facta.

7da. Post electionem et confirmationem Neo-Prioris me obligo ad fideliter extradenda omnia documenta, concernentia hanc canoniam, tam libros receptorum quam expositorum, item libros conscriptorum capitalium, eorumque originales obligationes, sicuti a fortiori, singulo debita et credita.

8da. Similiter me obligo ad extradendum inventarium omnium meorum supellectilium, eo fine, ut fideliter meae nativae canoniae restituantur vel in reditu meo ad eam vel post mortem.

Has supradictas conditiones singulas ad ratificandum et approbandum hisce remitto ad perillustrem Dnum Generalem meum, et iterum resigno Prioratum Agathanum ad manus Hujatis capituli in nomine Domini. Amen.

In quorum fidem et robur has propria manu subsignavi.

Dabam ad Sanctam Agatham hac 28 9bris anno Domini 1761.

(*L. S.*) Fr. Joannes Coebergh.

Hanc oblatam resignationem et spontaneam, qua deputati commissarii, acceptamus vice et nomine Reverendissimi Generalis nostri anno et die, ut supra.

(*L. S.*) Fr. A. Loverix,
Commissarius, Prior et Definitor mpp.

(*L. S.*) Fr. P. A. Ab Oeyen,
Commissarius, Prior Venlonae, Vicarius Generalis ad tractum Mosae mpp.

Fr. Henricus van Mensel,
Subprior.
Fr. Joannes Wilhelmus Eycken.
Fr. Wilhelmus Wynantz.
Fr. Joannes Arnoldus Beyertz.
Fr. Petrus Joannes de Cocq,
Procurator.
Fr. Jacobus Versteegen.
Fr. Joannes Reynerus Swartz.
Fr. Joannes Adolphus Waghemantz.
Fr. Gysbertus van Iperen.

N°. 360. 14 Dec. 1761.

Creatur novus Prior conventus S. Agathae.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Fr. Lambertus Engelbertus de Fisen, totius ordinis canonicorum regularium Sanctae Crucis praepositus Generalis, nec non Primariae ejusdem ordinis domus in Claro Loco apud Huum Major Prior &c. &c. &c.

Amplissimo Domino Francisco Wilhelmo Loverix, canoniae nostrae Embricensis professo, et canoniae nostrae Agathanae electo Priori, salutem et Paternam Benedictionem.

Vacante Prioratu fatae canoniae Agathanae per spontaneam liberamque cessionem et resignationem Amplissimi Domini Joannis Coeberg, canonice electus es in Priorem illius, ut patet ex actu capitulari de 3ª currentis X^bris. Cum igitur nec in ista electione, nec in tua persona ullum noscamus canonicum impedimentum, authoritate qua fungimur, Te Franciscum Wilhelmum Loverix, electum Priorem Agathanum confirmamus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Dantes tibi plenariam potestatem, tam in spiritualibus quam in temporalibus, ut ita praesis, ut

prosis. Mandantes omnibus dictae canoniae religiosis canonicis et laicis, ut tibi reverentiam et honorem ac obedientiam exhibeant et praestent secundum regulam et constitutiones ordinis nostri. Datum manuque nostra propria signatum, ac majori officii nostri sigillo munitum in canonia nostra Primaria Huensi, dicta Clari Loci, hac 14ta Decembris, anno 1761.

(*L. S.*) Fr. L. E. Fisen, qui supra.

De mandato perillustris ac Reverendissimi Domini mei.

Fr. J. F. Walthery, Secretarius.

N°. 361. 27 Sept. 1763.

Clemens XIII, P. M. largitur indulgentias Christi fidelibus, in festis inventionis et exaltationis S. Crucis, visitantibus ecclesiam conventus S. Agathae; indulto hoc septem annos duraturo.

(Apographum authent. menbran. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 362. 22 April. 1765.

A definitoribus rogatur auctoritas typis mandandi novas ordinis constitutiones, et a Magistro Generali datur.

(Impressum in Libri Novarum Constitutionum *Accessorio*).

Nos infrascripti ordinis canonicorum regularium S. Crucis Priores, nec non capituli generalis de anno 1764 et 1756, respective primarii Definitores, praesentium tenore declaramus ac fidem facimus, quod juxta ordinationem novissime praeteriti capituli generalis, et speciale mandatum Reverendissimi nostri, receperimus ac attente examinaverimus reflexiones super statutis renovatis ordinis nostri ab ejusdem ordinis Prioribus nobis

transmissas, indeque colligere potuerimus, et certo colligimus: 1mo. quod horum numerus constituat, ut minus duas tertias Priorum ordinis nostri; 2do. quod hi omnes, uno dumtaxat aut altero excepto, consentiant in illorum statutorum impressionem; 3^{tio}. quod juxta reflexiones, nobis ceu verbo ceu scripto communicatas, fecerimus in ipsis statutis mutationem illam, quae post maturam deliberationem facienda apparebat. Rogamus proinde alte fatum ordinis nostri Reverendissimum praepositum gegeralem, quatenus non gravetur statuta illa taliter mutata typis mandare, caeteraque eo circa facere, quae videbuntur facienda.

Fr. J. W. Kramer,
Prior Coloniensis et Definitor.

Fr. H. Seulen,
Prior Leodiensis.

[Magistri Generalis consensus].

Attentis supra jacentibus, ac aliis tum verbo tum scripto nobis communicatis, volumus et mandamus, ut exemplar manuscriptum statutorum ordinis nostri simulatque nobis exhibitum, servatis servandis, indilate praelo submittatur ac imprimatur, ejusque impressionis sedulam curam gerat ... D. Prior ... Leodiensis.

Datum in Claro Loco apud Huum 22 Aprilis 1765.

Fr. L. E. Fisen,
totius Ordinis S. Crucis Praepositus Generalis.

No. 363. 1765.

Magistri Generalis praefatio, libro constitutionum Ordinis S. Crucis praefixa.

(Liber Constitutionum Sacri et Exempti Ordinis Canonicorum S. Crucis sub regula S. Augustini, per sedem Apostolicam radicaliter, id est, vigore Bullarum Pontificiarum, dudum huic Ordini concessarum, approbatus. Trajecti ad Mosam, typis Jacobi Lekens. 1765. 8o, 150 pagg.). (a).

Fr. Lambert. Engelbertus de Fisen totius Sacri et Exempti ordinis canonicorum regularium S. Crucis praepositus Generalis, ac primariae ejusdem ordinis canoniae in Claro Loco apud Huum Major Prior &c. &c.

Universis praefati ordinis Definitoribus, Prioribus, caeterisque Fratribus, praesentibus et futuris, salutem in Domino sempiternam.

Novitis, Amplissimi plurimumque Reverendi ac caeteri Fratres dilectissimi, aut certe norunt hi, quibus placet inspicere et examinare vetera, tum manuscripta, tum typis edita, Sacrum Ordinem nostrum concernentia, monumenta; norunt, inquam, quod fel. record. praedecessor noster Nicolaus de Haneffe, tradens ordini nostro statuta, anno Domini 1660, Coloniae typis

(a) »Libellus hic continens nova statuta anno 1766 enormes causavit in ordine crises, quibusdam conventibus pro-aliquibus contra agentibus. Ipse Rdissimus, assistentibus Walonibus, ursit summopere ad observantiam horum, ipsi Germani confoederati acriter contra dimicarunt in capitulo generali anno 1767 (cui praesens fui) electis 4 Definitoribus Germanis, praetendentibus hoc opusculum destitutum esse materia et forma debitis.

»Adeoque non potuit Rdissimus quidquam efficere; deinde litigatum Romae, Roma rescripta venere, causa finita est: omnesque ordinis S. Crucis fratres professi, sunt via Romana adjudicati ad observantiam veterum constitutionum de anno 1660, prout jacent.

»Rdmus praepositus Generalis Lamb. Engelb. de Fisen Executor Apostolicus anno 1771 canonias ordinis visitans, ursit ad antiqua, maxime in his punctis de abstinentia in adventu ac feriis 4tis per annum, quae pro parte maxima jam dudum abrogata erant". Fr. Wynants, nota M. S.

edita, eorumque observantiam cunctis eundem ordinem professis inculcans, praeter alia significet, necessitatem mutandorum statutorum regularium aliarumque legum humanarum; eo ipso tacite innuens, tunc temporis non defuisse, qui statuta illa tamquam nova seu ab antiquioribus plus minusve discrepantia arguerent.

Id ipsum sane etiam nostris temporibus experimur! Siquidem ex quo suprema ordinis nostri gubernacula, meritis nostris licet imparibus, sed sic disponente, qui, „ut mirabilem faceret gratiam suam, in eum sua merita contulit, in quo meritorum suffragia non invenit (*a*)", suscepimus, nulla major nos pressit sollicitudo, quam ut executioni mandaremus, quae dudum in capitulis nostris Generalibus ordinata, pluriumque votis ardenter optata sunt: ut, inquam, statuta nostra antiqua praefato anno 1660, typis edita, committantur quibusdam, qui ex his bene perscrutatis excerpant, communi bono proficientia, praetermissis illis, quae vel in usu non sunt, vel ad profectum vix quidquam conducunt; ac insuper ut ipsis addantur, quae in capitulis generalibus post annum praedictum 1660, servatis, ordinata, ac respective approbata et confirmata sunt; sicut etiam, ut iisdem inserantur, quae visa fuerint necessaria ad quorumdam in ipsis antiquis statutis contentorum uberiorem expositionem ac intelligentiam.

Hoc igitur opus aggressi sumus, et eo usque perduximus, ut ordinis nostri Definitores caeterique Priores, quorum examini et reflexionibus tradendum duximus, nobis significari fecerint, sibi placere et praelo dignum apparere, dummodo mutentur nonnulla inibi ab ipsis notata, quae et mutatio ex post facta est. Attamen sicuti ob interea superveniens funestum bellum, ipsumque tum externum tum et intestinum, impedita sunt capitula generalia aliaque ordinis nostri negotia, sic et similem sortem nacta est praefati operis executio; eo magis

(*a*) S. Leo Serm. I. in Anniv. suae Ass.

quod hi quibus placuerat, aut certe horum plurimi partim defuncti, partim viribus destituti sint, eorumque successores ejusdem operis revisionem ac placituram praetenderint, fundantes se in vulgari juris regula; quod „quae omnes tangunt, ab omnibus approbari debeant".

Licet autem hujusmodi praetensio nobis appareret minus bene fundata (quippe hanc inferre ex ista regula juris, manifeste probat nimium, adeoque nihil) equidem pacis et concordiae fraternae intuitu eidem annuentes, in novissime praeterito capitulo generali de anno 1764 tales dispositiones fecimus, quibus saepe fati operis executio videbatur tandem obtinenda; uti reipsa obtenta est, uno forsan aut altero ordinis nostri prae aliis notabiliori membro hanc executionem minus gratam habente, idque ob motivum falso supposito innixum, ac proinde pariter infundatum.

Enimvero relatum est nobis, nonnullos supponere, quod ista statutorum nostrorum renovatio ac impressio, et signanter in capitulis Generalibus ordinatorum additio, principaliter eo colliment, ut stabiliantur puncta quaedam domui nostrae Huensi plus aequo, prout opinantur, faventia: E. g. quod domus illius Supprior debeat convocare et praesidere electioni Magistri Generalis, quod ad hanc electionem convocari debeant quotquot in illa domo sunt professi, tametsi alibi potiantur Prioratu etc. Verum advertant illi, quod quamvis et nos ibidem professi simus, eoque titulo, qua Prior Montis-Orientis electioni praedecessoris nostri, et qua Prior Dionantensis propriae nostrae Electioni astiterimus; nunc tamen ministerii nostri apprime memores, non magis quae domus Huensis, quam quae reliqui ordinis nobis ex Alto concrediti, sunt jura, tueri conemur.

Unde licet praememorata puncta taliter per capitula generalia stabilita sint, ut firmiori stabilimento non egeant (etenim parum aut nihil roboris censetur adjectum actis authenticis, sive typis edita sive in solis manuscriptis asservata fuerint)

equidem ad avertenda, quantum authoritati nostrae competit, reliqui ordinis nostri detrimenta, immerito a quibusdam formidata, praesentium tenore solemnissime protestamur ac declaramus, mentem nostram nullatenus esse, ut sive praelum, sive typi, sive quidlibet ad impressionem concurrens mutent statum illorum, quae in capitulis nostris generalibus more solito decreta sunt; quin potius econtra, ut ipsis capitulis generalibus maneat facultas ab Innocentio Pp. IV, ejusque Successoribus Romanis Pontificibus concessa, decernendi scilicet ac statuendi quidquid pro salubri regimine ordinis nostri videbitur congruere; attento maxime quod, sicut ad reipublicae tum spiritualis tum temporalis subsistentiam ac directionem requiruntur statuta seu leges, sic et requiratur statutorum illorum firmitas simul ac mutabilitas. Firmitas quidem, quia „ridiculum est et satis abominabile dedecus, ut traditiones, quas antiquitus a Patribus suscepimus, infringi patiamur (*a*)". Mutabilitas autem, nam „lex temporalis, quamvis justa sit, commutari tamen per tempora juste potest (*b*)".

Utramque illam humanarum legum conditionem, firmitatem scilicet et mutabilitatem comprehensam habetis, Venerandi et charissimi fratres, in his renovatis statutis, quae tum corporis, tum et praesertim mentis oculis vestris subjicimus. Habetis in eis firmitatem, quatenus a Patribus nostris suscepta non omnino tolluntur, sed econtra, cum justo quodam delectu ac discretione utilium ab inutilibus, substantialiter retinentur et firmantur. Habetis etiam mutabilitatem, attento nimirum, quod haec statuta nostra, quantumlibet firma, equidem futuris temporibus accidentaliter, id est, salvis essentialibus, mutari poterunt, ac verisimiliter mutanda erunt.

Hoc tamen ne fiat authoritate indebita, per praesentes districte et in virtute Sanctae Obedientiae inhibemus, ne quis-

(*a*) In Decretis. dist. 12.
(*b*) S. Aug. lib. 1, de lib. Arb. cap. 6.

quam, quantavis etiam eruditione vel dignitate in ordine nostro effulgens, hisce renovatis statutis quidpiam addere aut adimere, aliterve illa mutare praesumat, absque scitu et consensu, qualibus condita seu renovata sunt. Ac insuper ne in statutis illis contentorum queat obtendi ignorantia, earumdem praesentium vigore mandamus, ut omnes et singuli canonici obedientiae nostrae adscripti, statuta illa diligenter evolvant ac examinent, sicque ea sciant et inviolabiliter observent.

Caeterum quia „nullum, Fratres charissimi, ab aliis majus praejudicium, quam a sacerdotibus, tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit (*a*)", eapropter ordinis nostri praelatos caeterosque aliorum directioni expositos monendos duximus, prout hisce serio monemus, et per Viscera Christi Crucifixi obsecramus, ut suae obligationis memores haec renovata statuta et ipsi accurate observent, ac aliis suae directioni commissis eorumdem observantiam, tum verbo tum exemplo, inculcent; quatenus per hoc in utrisque compleatur divini numinis promissio, dum per os sapientis *(b)* ait: „Fili mi, ne effluant haec ab oculis tuis, custodi legem atque consilium, et erit vita animae tuae".

N°. 364. 1765.

Gravamina numero 38, *contra innovationes in novis ordinis statutis factas.*

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 365. 1765.

Fr. Hyacinthi Franck, Ord. Praed. S. Theol. Doctoris ac Professoris Coloniae Agrippinae, responsum theologicum super novum librum statutorum Ord. Can. reg. S. Crucis.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

(*a*) S. Greg. Hom. 17, in Luc. (*b*) Prov. 3.

N°. 366. 1765.

Fr. H. Franck, „Reflexiones" in nova statuta.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 367. 1765.

Fr. H. Seulen responsio ad gravamina quaedam, in novis statutis a quibusdam Ordinis Patribus animadversa.

(Impr. in calce Libri Constitutionum, in *Accessorio*).

N°. 368. 1765.

Libellus supplex Priorum provinciae Rhenanae et Mosanae ad Nuntium Apostolicum Coloniae Agrippinae, querentium se novis statutis esse gravatos.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Humillima Remonstratio in causa novi libri statutorum Ordinis Stae Crucis, pro parte Priorum et Confratrum Nationis Germanicae ejusdem Ordinis.

Excellentissime ac Illustrissime Domine Nuntie Apostolice.

Filialis erga Stam Sedem observantia, supplex in Illustrissimam Excellentiam suam fiducia, ac ipsius justissimus in ordinem nostrum amor nos adigunt, ut in paternum sinum vestrum seponamus gravamina nostra, quibus in praesentiarum contra jus et aequitatem premimur: siquidem pro casu in ordine nostro tam extraordinario extraordinaria quoque arripienda videbantur remedia (salvo semper inculpatae tutelae moderamine) praecipue cum suprema periclitantis jam ordinis necessitas ulteriorem haud patiatur moram, ut justitiae locus aperiatur.

Jam dudum in pluribus capitulis generalibus ordinis nostri

actum et tractatum fuit, quatenus antiquus liber constitutionum nostrarum corrigeretur ac emendaretur novusque conderetur, in quo ex una parte omitterentur ea, quae vel in usu non sunt, vel ad spiritualem profectum vix quidquam faciunt; ex alia vero parte adderentur illa ordinata, quae a tempore edicti antiqui libri, scilicet ab a° 1660, per tria capitula immediate succedentia, essent confirmata. In hunc finem postremum capitulum generale de a° 1764 sequens inhaesivum posuit decretum: „Insistentes ordinatis in omnibus commitiis generalibus ab a° 1686 pro statutorum nostrorum renovatione, volumus et mandamus, ut quo citius fieri poterit, exemplar illorum, opera Rndi efformatum, communicetur subjiciendum examini omnium ordinis N. Priorum, qui illud legere, relegere, suasque reflexiones intra quindenam facere tenebuntur, illasque reflexiones, si quas habeant, statim submittere vel Amplissimo Dno Coloniensi vel Amplissimo Dno exdiffinitori Leodiensi, qui duo, attentis reflexionibus sibi communicatis, efformabunt novum exemplar Reverendissimo praesentandum, ut servatis servandis opus illud diu desideratum typis mandetur. Conformiter huic decreto exemplar novorum statutorum immediate post postremum capitulum generale Prioribus ordinis nostri ad examen fuit submissum, quorum aliqui rerum novandarum cupiditate allecti, aut potius metu reverentiali adacti, minime ad patrias leges et jura ordinis attendentes, in novorum statutorum impressionem simpliciter consenserunt, reliqui vero Priores una cum suis capitularibus exemplar illud ad strictum (*a*) (uti fas erat) vocantes et advertentes, hunc novum librum in multis substantialiter deficere, neutiquam praelo dignum censuerunt. Quare sibi reservantes jus desuper in proximo capitulo generali agendi, praevie quasdam reflexiones super inibi contenta submiserunt Applissimis Prioribus Coloniensi et Leodiensi, quibus tamen non attentis, imo capitulo generali neutiquam exspectato (uti tamen secundum praxim ordinis si-

(*a*) *Ad strictum*, puto, *ad strictum jus.*

milia negotia concludi solent ac debent) liber hic novus contra omnem juris ordinem in publicum prodiit, et per ordinem distributus fuit cum mandato Rdissimi, ut omnes ordinis nostri confratres, Priores et subditi, librum hunc ceu statutarium habeant. Quot quantisque in novo, insolito ac impraeviso procedendi modo ordo noster gravetur praejudiciis, humillime exponere cogimur:

1°. Hic liber nunquam fuit capitulariter et collegialiter approbatus, cum tamen vi juris in ordine nostro recepti, omnino necessarium sit, quod, ut aliquid in vim statuti obligetur, id ipsum debeat in ipso capitulo generali decerni et statui; et quamquam in diversis capitulis tractatum fuerit, an antiquus liber sit corrigendus, admisso etiam quod per tria capitula generalia immediate succedentia fuerit capitulialiter conclusum, quod novus liber possit efformari (hoc non spectat ad ordinem intentionis, ubi finis semper est Prior, ipsis mediis) neutiquam tamen in ordine executionis (ubi media semper debent praecedere finem intentum) capitulares in unum congregati unquam elegerunt et approbarunt ea, quae in hoc libro statuuntur. Nec quidquam facit quod aliqui (dato etiam plurimi) Priores, legentes exemplar a reverendissimo efformatum, simpliciter consenserint in illius libri impressionem, qui consensus hic, utpote extra capitulum et per litteras datus, prorsus est nullus.

2°. Dum Priores et capitulares congregati saepius consenserunt, utpote antiquus liber statutorum corrigeretur, novusque moderno usui magis accommodatus efformaretur, eo non spectabat animus et cogitatio capitularium, ut Rvdissimus legitimis et veteribus statutis propria authoritate adderet alia nova statuta sibi bene visa; hanc enim authoritatem contra praescriptas ordinis leges capitulum suo Rvdissimo dare non poterat, sed mens capitularium unice eo collimabat (uti etiam Rvdissimus in prologo sui novi libri attestatur) ut ex antiquis statutis, omissis iis, quae vel in usu non sunt vel ad profectum spintualem nil faciunt,

excerpantur, communi ordinis bono proficientia, iisque addantur illa, quae a tempore editi antiqui libri, per tria capitula generalia immediate succedentia, essent confirmata; et ideo dum postremum capitulum generale de aº 1764 duobus Prioribus Coloniensi et Leodiensi commisit, ut reflexiones aliorum Priorum legerent, et attentis reflexionibus, novum conderent exemplar, neutiquam illos posuit correctores omnium aliorum Priorum, quasi reflexionibus pro suo libitu correctis, istud 2dum exemplar ab ipsis efformatum continuo typis edi possit et pro statutario valeat. Sed capitulum tantum decrevit, quatenus hi duo Priores NB. attentis reflexionibus, novum conderent exemplar Rvdissimo praesentandum, ut NB. servatis servandis, typis mandetur: id est, postquam in proximo capitulo generali per consensum capitularem, in ordine nostro de jure requisitum, istud 2dum exemplar conformiter ad reflexiones efformatum, fuerit approbatum et confirmatum.

3º. Non pauca in novo libro statuuntur, E. G. de restrictione potestatis Prioralis, dispensandi in esu carnium, de scrutatoribus in electione Priorum, de puniendis fratribus, recurrentibus ad sacram nuntiaturam, de graviori culpa, scilicet quod si aliquis frater sine licentia extra septa monasterii repertus fuerit, aut ultra terminum sibi constitutum uno aut altero die emanserit, quod sit privatus voce activa et passiva, nec fungatur officio sacrorum ordinum. Item de formula praescripta in professione laicorum, et plurima alia, quae numquam capitulariter fuere tractata, multo minus per 3 capitula approbata, cum tamen constitutiones nostrae in prologo indispensabiliter requirant, ut imposterum quidquam vim constitutionis habeat, quod debeat per 3 capitula, immediate succedentia, id ipsum confirmari. Sane! si ita paternas leges et ordinis jura impune infringere fas est, jam licet, quod libet et totus ordo noster ad interitum ruat, necessum est. Generalis est quidem caput et rector ordinis, sic ut omnes religiosi seorsim et distributive sumpti, teneantur

illi obedire, ipse tamen capitulo generali subjicitur, et ad ejus leges adstringitur. Inanis ergo est nulloque jure suffulta authoritas, quam sibi Rvdissimus extra capitulum, et sine consensu capitularium pro condendis novis statutis tantopere arrogat.

4°. Protestatur quidem Generalis in prologo sui novi libri, quod in eodem omiserit solummodo aliqua in veteri libro contenta, quae vel in usu ordinis nostri vel ad profectum spiritualem vix quidquam faciant: aut dum librum hunc attentius perlegimus (praecipue ubi agitur de authoritate Priorum et capitularium) deprehendimus, vix textum aliquem constitutionum veteris libri reperiri, qui in novo non sit notabiliter corruptus aut substantialiter immutatus. Et ne longiores simus, unum aut alterum adducimus.

1°. In veteri libro, Dist. 2da, cap. 6to, n. 19 habetur: „Generale statutum ordinis vel consuetudinem diu obtentam et in ordine approbatam nec Prior Huiensis nec definitores aliquatenus valeant immutare, nisi per 3 capitula fuerit approbatum". In novo autem libro Rvdissimus substituit hunc textum, Dist. 2da, cap. 5, n. 9: „Caveant Diffinitores, ne generale statutum ordinis vel consuetudinem, communiter receptam, abrogent, nisi forte id faciendum suadeat communis Priorum aliorumque fratrum sensus". Quantum et in quibus hi duo textus ad invicem discrepent, nemo non videt. Antiqua constitutio nostra, perpetuae praxis authoritate solidata, minime soli diffinitorio potestatem immutandi statuta et nova condendi attribuit, sed jus illud toti ordini, id est, Prioribus et capitularibus, expresse reservatur. Verum textus recens ad condendas leges consensum capitularium excludit, aut ad summum exposcit eorum consilium, siquidem verba ultima: nisi NB. forte id faciendum NB. suadeat communis Priorum aliorumque fratrum sensus, utpote multum aequivoca, idem sonare videntur ac si ita Rvdissimo videbitur. Aut si requirant votum capitularium, de voto consultivo intelligenda erunt. Quaeso, Excellentissime Dne, ad quid necesse erat, textum veteris libri adeo clarum

immutare? nonne hoc pacem et concordiam fraternam in ordine religioso aperte perturbat et animos subditorum scindit, aut forte hic textus non est in usu, aut ad profectum spiritualem nil facit? judicet Sacra Sedes.

2°. In antiquo libro, Dist. 2da, cap. 6, n. 6 sic legitur: „Statuimus in virtute Spiritus Sti et obedientiae, ac sub interminatione anathematis prohibemus districte, ne Priores diffinitoribus vel diffinitores Prioribus per suas diffinitiones aliquod praejudicium audeant generare, quod si facere attentaverint, eadem districtione prohibemus, ne in hoc aliquis obedire praesumat". Hic textus sicuti diffinitoribus ita et Prioribus (utique in negotiis arduis ordinem concernentibus) attribuit suum votum decisivum, quo cavetur in casu, quo hi illis, aut illi his per suas respective N.B. definitiones aliquid causare attentarent praejudicium, ne subditus obedire praesumat. Ast hic iterum subintrat novus textus, qui omnem authoritatem Priorum et capitularium funditus evertere conatur: Dist. 2da, cap. 5, n. 8: Ea vero sic diffinita (scilicet a solis diffinitoribus) volumus, ut ab omnibus praelatis et fratribus ordinis nostri sine contradictione recipiantur. In veteri libro similes diffinitiones, utpote in praejudicium Priorum factae, declarantur irritae, ne subditus obedire praesumat. Per novum vero textum jubentur Priores indistinctim quascumque diffinitiones, a solo diffinitorio factas, sine contradictione recipere.

Sit et maneat sua diffinitorio authoritas judicandi et diffiniendi ea, quae particulares confratres aut conventus concernunt, ast circa ardua ordinis negotia disponere, et absque consensu Priorum et capitularium statuta in ordine recepta (in quae confratres in sua professione jurarunt) immutare, imo abrogare, minime soli diffinitorio permissum erit. Generale statutum nec Prior Huiensis, nec Diffinitores ullatenus valeant immutare, ait textus; si namque talia et tali quodam modo in comitiis generalibus actitanda erunt, ad quid Priores et capitulares om-

ni triennio, non absque maximis sumptibus suorum respective conventuum, ab exstremis ordinis terminis conveniunt, et ad quid conscribuntur, non audiendi sed excludendi a praecipuis ordinis tractatibus?

Pro 3º. In antiquo libro Dist. 2da, cap. 6, n. 32 statuitur: „Procurator (capitularis) ad capitulum iturus, portabit secum litteras testimoniales sigillo sui conventus sigillatas et manibus fratrum capitularium subscriptas, in quibus continebitur authoritas per conventum sibi data consentiendi et concludendi in causis et casibus ordinem concernentibus". Qui textus, cum aperte in negotiis ordinis requirat consensum et votum Procuratoris capitularis, in novo libro corruptus et omnino quoad substantiam diversus exstat. Nam loco NB. consentiendi et concludendi ponitur peragendi in non alium finem, quam ut hac occasione Rvdissimus in posterum in consessu generali excluderet a jure suffragii ferendi ipsos capitulares.

Qua authoritate Rvdismus hos et alios quam plurimos textus pro regimine ordinis saluberrimos corrumpere ac mutilare, qua licentia sine capitulo generali vetera statuta permutare praesumpserit, non capimus. Ad antiqua statuta secundum quae vivere ac mori sancte promisimus, provocamus, et ea observare parati sumus, usque dum legitima authoritate ea immutare aut penitus abrogare contigerit, ne per privatam alicujus ambitionem viis non rectis subdamur statutis, contra omnia jura obtrusis.

Et cum certi simus nihil ab Apostolica Sede magis alienum fore, quam quod ordinis nostri leges et sacerrima jura mereantur funditus conculcari, hinc fidenter accedimus illustrissimam Excellentiam suam, pro solius justitiae incolumitate humiliter et filialiter interpellantes, ut in hac urgente fluctuantis justitiae tempestate, opportuna et efficacia juris remedia adhibere haud dedignetur.

Unicum enim quod superest medii et solatii in hac causa,

speramus, id brevi a Sede Apostolica mediis peroptimis obtenturos. Desuper etc.

Illustrissimae Excellentiae suae etc.

Humillimi et obedientissimi clientes et filii,

Fr. A. Ab Oeyen,
P. Venlonensis et conventus.

H. Peters,
P. Brugensis et conventus.

W. Gersthoven,
P. Aquensis et conventus.

Ant. Loverix,
P. in Altonemore, Diffinitor et conv.

H. Vossen,
P. Mosacensis et Diffinitor actualis et conv.

Fr. W. Loverix,
P. Agathensis et conv.

Ignat. Mertens,
P. Mariae Pacis et conv.

Petrus Wyler,
P. Coloniensis et conv.

H. Rynders,
P. in Wickberg et Diffinitor.

Conventus Ruremundensis.

F. Longen,
P. Dulckensis Vicarius Generalis.

F......
P. Bendlacensis et conventus.

N°. 369. 1765.

Nomina Priorum et conventuum, nova statuta approbantium et improbantium.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Protestantes contra nova statuta, quae contra juris formam sunt intrusa, sunt Priores Germani.

Prior Venlonensis et Vicarius Generalis, a caeteris deputatus Commissarius Generalis actualis et conventus.
Prior et Definitor Altinemoris, exdefinitor et Conventus.
Prior et Pastor Wegbercanus, exdefinitor.
Prior Dulkensis, Vicarius Generalis actualis et Conventus.
Prior Mosacensis, Definitor actualis et Conventus.
Prior Pontis Coeli, et Conventus.
Prior Coloniensis, S. Theol. Licent. et Conventus, Definitor actualis.
Prior Mariae Pacis et Conventus et Definitor.
Conventus Ruraemundensis et Prior.
Prior Agathensis et Conventus.
Prior Aquensis et Conventus.
Conventus Embricensis.
Prior Bentlacensis et Conventus.
Prior Glindfeldensis et Conventus.
Prior Wickradiensis.
Prior Nigrae Paludis.
Prior Byenburgensis.
Prior Dusseldorpiensis.
Prior S. Helenae Montis.
Et Conventuales Capitulares sex Leodienses.

Pro novis statutis defendendis et urgendis stabant.

Reverendissimus Dominus Magister Generalis Ordinis Stae Crucis et conventus Huyensis, et Prior Leodiensis, S. Th. Professor emeritus et exdefinitor, cum parte majore capituli conventus, quibus adhaerebant:

Quinque Priores Walones.

Et Prior Udensis Definitor actualis et conventus, olim S. Theol. Professor.

Prior Dionantensis.

No. 370. 7 Jan. 1767.

Nuntius Apostolicus Coloniae rogat Magistrum Generalem et Priorem Leodiensem, ut causae, a conventu Leodiensi de novis statutis Romam missae, respondeant.

(Apographum authent. in tabulario conventus S Agathae).

Caesar Albericus Lucinius, Dei et Apostolicae sedis gratia Archiepiscopus Nicaenus, Sanctissimi Domini nostri, Domini Clementis divina providentia Papae XIII, praelatus domesticus et pontificio assistens, ejusdemque ac dictae Sanctae Sedis ad tractum Rheni, aliasque inferioris Germaniae partes cum potestate legati de latere Nuntius.

Litteras seu rescriptum Sacrae Congregationis Episcoporum et regularium ea, qua par est, veneratione pro parte canonicorum regularium S. Augustini, mon̄asterii S. Crucis Leodii, infrascripta die accepimus, tenoris ex Italico in Latinum translati, ut sequitur, videlicet:

Perillustris ac Reverendissime Praesul, uti frater.

Jussu horumce Eminentissimorum, quos uti Dominos veneror, ad dominationem suam adnexas supplices litteras mitto, exhibitas

nomine canonicorum regularium S. Augustini, monasterii S. Crucis Leodii, ut postquam illos, qui in re, de qua agitur, partem habent, audiverit, distincte Sacram Congregationem certiorem faciat de eo, quod in illis exponitur: quod una cum sententia sua exspectans, maximas ei a Deo apprecor felicitates.

Romae, quarta Decembris 1766.

D. V.

Uti Frater affectiosissimus.

C. A.

Cardinalis Cavalchini Can. Quir. Mola Vice-Secretarius,
Coloniam Nuntio Apostolico.

Inscriptio est sequens.

Perillustri ac Reverendissimo Praesuli ac Fratri Nunti Apostolico Colouiae.

Tenor adnexarum supplicum litterarum est sequens.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini.

Moderni canonici regulares S. Sedi immediate subjecti, monasterii S. Crucis civitatis Leodiensis, Ordinis S. Augustini canonicorum regularium, devotissimi E. E. V. V. oratores humillime exponunt, quod Henricus Seulen, illorum Prior jam ab anno 1756 novas ibidem constitutiones cum maxima animarum et pacis perturbatione introducere conatus fuit, propter quod ad nuntiaturam Coloniensem reclamare coacti sunt.

Ab inde citra licet tria habita fuerint capitula generalia ordinis, in quibus deliberari debuisset usus vel abusus ipsarum novarum constitutionum, prout regula et antiqua statuta exigunt, nil tamen in eis de illarum introductione et observantia deliberatum extitit, ita quod canonici regulares hujus monasterii in antiqua suarum constitutionum observantia pacifice permanserint.

Supervenit autem, quod sub 24 Decembris anni proxime elapsi, dictus P. Prior Seulen, adhaerente sibi forsan Priore Generali, et procurata prius Trajecti in Hollandia impressione praetensarum novarum constitutionum, has in capitulo ordinario ipsius monasterii promulgari conatus fuerit: quare pro parte dictorum oratorum, habito iterum recussu ad dictum Rmum Nuntium Coloniensem, hic decreto suo sub 19 Julii proxime elapsi lato, partes et causam super confirmatione vel infirmatione novarum constitutionum ad hanc S. Congregationem remisit: qua stante remissione et pendentia coram eadem S. Congregatione, partes erant Dni novatoris, huic exhibere novas suas constitutiones [et] transmissis actis, instare pro illarum confirmatione, auditis et vocatis interesse habentibus: ast loco submittendi novitates suas auctoritati ejusdem S. Congregationis, recursum habuit ad dictum Dnum Priorem Generalem, qui citra facultatem capituli generalis, et abutens privata auctoritate sua sub die 15 Octobris proxime elapsi, sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, praecepit et injunxit oratoribus receptionem et observantiam assertarum novarum constitutionum, sin minus causam introducant et prosequantur coram dicta S. Congregatione.

Cum autem oratores non sint ipsi novatores, nec aliud exigant, quam observantiam antiquarum regularum et constitutionum suarum, huc usque in usu immemoriali existentium, sed ad Dnum Priorem novatorem spectet, novitates suas in capitulis generalibus spretas et rejectas, a S. Sede approbari facere: supplicant propterea humiliter E. E. V. V. oratores praefati, quatenus, praevia abrogatione dicti praecepti Prioris Generalis, committere dignentur praefato Nuntio Apostolico Coloniensi, ut injungat dicto Dno D. Priori Seulen transmissionem actorum, et novarum constitutionum, ut desuper statui et decerni possit, quid magis expediat, quod etc.

Nos igitur hujusmodi litteris seu rescripto omni, qua decet, Reverentia et promptitudine obsequi volentes, Rmo Domino Priori Generali et Domino Priori Seulen supradictis aliisque omnibus, hac in re partem habentibus, cuncta praemissa ad notitiam per praesentes deducimus, iisdem insimul demandantes, ut intra quindenae cursum ab intimatione praesentium ea omnia coram nobis legaliter deducant, quae ad assequendam veram rei, de qua agitur, informationem conducere possunt; ad hoc ut praedictam Sacram Congregationem super expositis distincte instructam reddere valeamus, reddite litteras sigillatas debite executas.

Datum Coloniae, die septima Januarii 1767.

Signatum erat: C. A.
Archiepiscopus Nicaenus Nuntius Apostolicus.

De mandato et subsignatum.

FRANC. JOS. WERY,
(*L. S.*) **Sacrae Nuntiaturae Notarius.**

Per copiam originali conformem, quod attestor,

N. DAMBOIS,
Prothonotarius Apostolicus.

N°. 371. **Jan. et Febr. 1767.**

Epistola eximii F. Hyacinthi Franck, Ord. Praedic. ad F. H. Seulen, Priorem Ord. S. Crucis Leodiensem, qua probat librum constitutionum peccare defectu formae et materiae; conatur ejus argumenta refellere F. Seulen, quare F. Franck altera epistola denuo probat, nova statuta nullam obligationis vim habere.

(Trium epistolarum apographa in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 372. 20 Febr. 1767.

Indicit capitulum generale Magister Generalis.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 373. 1767.

Rogatur Nuntius Apostolicus, ut capitulum generale indictum, in annum sequentem differre velit.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Humillima expositio una cum petitione, ex parte F. P. Antonii ob Oeyen, Ordinis Sanctae Crucis Prioris Venlonensis et consortium ejusdem Ordinis, pro gratiose differendo capitulo generali in eodem ordine.

Excellentissime ac Illustrissime Dne Nuntie.

Infrascripti Nationis Germaniae ordinis canonicorum regularium Stae Crucis Priores, nomine suo et suorum respective capitularium, Illustrissimae Excellentiae suae humillime exponunt, quod Dominica 4ta post Pascha hujus anni comitia generalia Huii pro more ordinis celebranda veniant. Cum vero eo in loco, ubi fortiter agetur pro partium studio, eo quod Rvdissimus in suo novo libro Prioribus et capitularibus omnem authoritatem in capitulo generali cousentiendi et concludendi ademerit, et soli diffinitorio attribuerit) votorum suorum libertati metuendum sit, atque ipsi jurgiis, minis, convitiis personas suas ibidem securas et tutas degere posse timeant; studebit namque Rvdissimus omnibus viis ac modis Priores et capitulares in proximo consessu inducere, ut librum hunc novum constitutionum tamquam legitimum ac statutarium approbent atque recipiant, quem tamen (ne error posterior fiat pejor priore) ceu talem admittere infrascripti neutiquam possunt, non discordiae, schismatis, aut

rixarum studio, sed vel maxime, quia substantialia juris in edendo isto libro haud observata fuere, et insimul plurimae inibi statuantur, quae numquam capitulariter tractata, multo minus per tria capitula generalia immediate succedentia) uti apud nos juris recepti est) approbata et confirmata fuerunt.

Quia tamen hoc non obstante prudenter suspicamur, quod aliqui Priores et capitulares ex ignorantia, alii ex metu, alii iterum ex reverentia erga suum Generalem, neque attendentes ad bonum commune ordinis, sed privatum commodum unice intendentes, in hunc librum sint consensuri.

Hinc infrascripti Priores Nationis Germaniae humillime supplicant, quatenus Illustrissima Excellentia sua, attento recursu ad Sacram Congregationem Episcoporum et regularium a Leodiensibus confratribus instituto, ad impediendam divisionem et schisma in ordine nostro, autoritate Apostolica Rvdissimo nostro ac capitularibus demandare dignaretur, quatenus instantia comitia generalia in sequentem annum differantur, ne stante lite aliquid innovetur, sicque authoritas Priorum et capitularium illaesa consistat, usque dum causa a Sacra Congregatione decisa fuerit.

Desuper Illustrissimae Excellentiae suae.

Humillimi et obedientissimi filii et clientes.

N. 374. 28 Febr. 1767.

Prior et Conventus S. Agathae adhaerent nova statuta improbantibus.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Visis decretis Eminentissimorum D. D. Cardinalium ac insuper Eminentissimi D. Nuntii Apostolici Coloniensis, nos infrascripti Sacri et exempti Ordinis S. Crucis canonici ad S. Agatham, in Patria Cuyckensi, Prior et confratres unanimiter pro-

testamur contra nova statuta, anno 1765 Trajecti ad Mosam apud J. Leekens impressa, utpote requisita materia et forma destituta, constituimusque hinc Ampl. D. P. A. ab Oeyen, ejusdem ordinis Priorem Venlonensem, ut in optimam formam agat in Sacram Nuntiaturam contra praetensa statuta et eo pertinentia, adhibitis juris peritis ac doctoribus, et in casu, quo casta ordinis ad hanc litem sustinendam non obligaretur, promittimus solvere expensas eo causandas, pro rata juxta taxam in capitulo generali factam anno 1612 pro studio generali (*a*).

Datum ad S. Agatham, hac 28va Februarii 1767.

F. F. W. Loverix, Prior.
F. H. van Mensel, Subprior.
F. Joannes W. Eycken, Senior.
F. Wilhelmus Wynants,
F. J. Arnoldus Beyertz.
F. J. A. Waghemans.
F. J. Verstegen.
F. J. R. Schwartz.
F. G. H. van Iperen.

N°. 375. Oct. 1767.

Epistola F. Hyacinthi Franck, ord. praed. Romam missa, in causa novorum statutorum.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Copia refutationis ab agente nostro Romam mittendae, contra fundamentum, quod noster Rvdissimus ponit in relictis capitulorum generalium de annis 1749, 1752 et 1756, imo 1764.

(*a*) »Domus nostra (S. Agathae) in causa litis circa nova statuta solvit commissario Generali, Priori Venlonensi, pro sumptibus Coloniae et Romae anno 1768 et (17)69, quatuor taxas, quamlibet ad 42 imperiales Clivenses, facit 72". Nota M. S. Fr. Wynants.

Praenobilis Domine!

In penultimis meis (dum copiam actorum capitularium generalium de annis 1749, 1752, 1756 et 1764 in causa novi libri statutorum Ordinis S. Crucis factorum submisi) memini quidem inter alia quod licet istis in capitulis ordinatum fuerit, quod liber isthic Prioribus et capitularibus examinaretur, attamen non ante annum 1765 ad lucem venerit. Quomodo ergo liber, qui a Prioribus non fuit visus, antecedenter ab iisdem potuit approbari? Verum deceptus fui a Priore Coloniensi, qui taliter me instructum reddidit. Nunc modo melius informatus ab aliis Prioribus senioribus corrigo errorem istum, et notifico, quod post capitulum generale de anno 1749 in vim ordinationis exemplar novi libri a praeposito generali efformatum, statim Prioribus dicti ordinis (non tamen capitularibus aliis uti oportebat) fuerit transmissum, ut examinarent, suasque reflexiones desuper praeposito generali reverenter submitterent.

Ex quo tamen praepositus Generalis male infert: ergo cum Priores hunc librum legerint, et examinaverint, atque nihil contra obmoverint, videntur illum acceptasse et approbasse.

Respondeo enim: Priores super librum illegaliter (extra capitulum) ad examen sibi communicatum noluerunt extra congregationem capitularem suam mentem declarare; probe intelligentes, quod approbatio aut reprobatio novorum statutorum capitulariter fieri deberet; unde Priores reservantes sibi plenum jus desuper in ipso capitulo loquendi, avide exspectabant tempus proximi capituli anno 1752 celebrandi, ut ibidem, si interrogarentur, quid de libro examinato sentirent, collegialiter congregati, juxta modum in ordine praescriptum, sententiam suam desuper dicere possent; ast in hoc capitulo 1752 nihil Prioribus et capitularibus de novo libro fuit propositum: quid? quod praepositus Generalis cum suo diffinitorio, irrequisitis Prioribus et capitularibus, approbat ordinatum in hoc capitulo de anno 1749.

Post hoc capitulum Priores et capitulares domum reversi, tacuerunt iterum, et bene: eo quod in ipso capitulo congregato non erant legaliter interrogati, an vellent acceptare librum nec ne; quod tamen vi juris statutarii omnino necessarium erat.

Anno 1756 nulla facta de isto libro, coram Prioribus et capitularibus in unum congregatis, mentione, praepositus Generalis cum suo diffinitorio privative confirmat acta duorum capitulorum immediate praecedentium, cum hoc addito: „quatenus iste novus liber statutorum cum antiquis in capitulo septimanali alternatim legatur, ut quisque judicare suamque mentem exponere valeat, an et quae illic mutanda sint". Post celebrata haecce comitia generalia Priores et capitulares domum reversi iterate tacuerunt, firmiter tenentes: et iterum bene! quod ratione admissionis vel rejectionis istius libri deberent in ipsa sessione capitulari interrogari. Similia enim gravia negotia, totum ordinem concernentia, uti est statutorum novorum factio et antiquorum abrogatio, non per litteras et extra capitulum, sed in ipso capitulo examinari et pertractari solent ac debent.

Interim Prior Leodiensis, utpote compilator istius libri novi et in capitulo 1756 primus diffinitor et consequenter dictator decreti hujus: „quod in capitulo septimanali iste novus liber cum antiquis statutis alternatim legeretur", eodem anno attentavit, hunc librum in sua canonia praelegi, ut observaretur. Contra quem tamen librum, ceu nunquam legitime approbatum, in debita forma protestati sunt religiosi Leodienses, adeo ut illorum Prior (ne pacem turbaret) ab ulteriore urgentia istorum novorum statutorum destiterit, et antiquae constitutiones in quieta et pacifica possessione usque ad annum 1765 manserint, uti loquitur relatio Excellentissimi D. Nuntii Apostolici ad S. Congregationem in hac causa 2da Augusti praesentis anni remissae.

Haec sunt tria illa famosa capitula generalia pro quibus quasi pro aris et focis pugnat praepositus Generalis, tamquam illa

hunc suum novum librum approbassent. Quaeso! quis in jure communi aut statutario ordinis vel obiter versatus, ex actis in tribus hisce capitulis factis, eruet legitimam aut capitularem et quidem trinam (uti jus statutarium ordinis postulet) immediatam approbationem hujus novi libri? Nemo sane.

NB. Si praepositus ille habuisset oculos tum corporis tum mentis sat bene dispositos, vidisset utique, quod in his actis et factis trium praedictorum capitularium agitur de examine instituendo super istum librum, ut quisque postquam examinaverit, suam mentem desuper exponere valeat. Et nunquid praepositus generalis, post primum examen istius libri anno 1749 indictum, statim in proximo sequente capitulo generali, anno 1752 celebrato, inquirere debuisset, quid Priores et capitulares de novo libro examinato sentirent? Etsi tunc Priores et capitulares anno 1752 in haec nova statuta consensissent, hoc ipsum capitulum fuisset 1^{mum} approbativum istius libri. Quod si iidem anno 1756 iterum capitulariter congregati, pariter consensissent in novum librum, illud capitulum fuisset 2^{dum} approbativum: sicque equidem novae illae constitutiones per tria capitula necdum essent approbata, nisi forte praepositus Generalis velit, quod anno 1764 iste liber 3^{tio} fuerit capitulariter approbatus: ast in hoc capitulo denuo praecipitur, quatenus liber novus subjiciatur examini omnium Priorum, uti acta capitularia ad Urbem remissa ad oculum demonstrant.

Ex his clare deducitur, hunc librum in pluribus capitulis fuisse praescriptum ut examinaretur a Prioribus et capitularibus, nusquam tamen et neutiquam approbatum, ut qua statutarius observaretur: quare recommendo me et causam hanc omni meliori modo et persisto cum debito cultu.

Praenobilis Domine.

Coloniae, 8^{bris} 1767.

Famulus devotissimus,

F. H. Franck, Ord. Praed.

N°. 376. 7 Nov. 1767.

Decretum Nuntii Apostolici pro scribendis apographis authenticis, quae in causa novorum statutorum ab utraque parte requiri possint.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Decretum.

Pro facienda extractione, de qua agitur, deputamus pro parte Priorum denominatum Protonotarium Dambois; exparte vero Praepositi Generalis vel ipsemet assistat, vel deputet personam sibi magis bene visam. Extrahantur ex protocollo seu protocollis capitularibus clausulae, quae una aut altera pars quoquomodo conducere existimabit ad decisionem causae super novis statutis: fiat extractio spatio trium septimanarum expensis communibus, et fiat a Notario de consensu partium eligendo, qui clausulas extractas in forma authentica auditori nostro generali bene clausas transmittat.

Datum Coloniae 7ma 9bris 1767.

J. B. Ar^ius^ Sionii,
Nuntius Apostolicus.

F. Jos. Wery,
S. Nuntiaturae causarum Notarius.

N°. 377. 19 Nov. 1767.

Loca ex actis capitulorum generalium selecta, quae in causa novorum statutorum ab utraque parte requiri possint.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Extractio originalium actorum capitulorum generalium ab anno 1686 *usque ad annum* 1764 *inclusive, ex protocollo seu protocollis, penes Rd^mum D^num Praepositum Generalem Ordinis S. Crucis existente sive existentibus.*

Desumpta hac 19na Novembris 1767.

In capitulo generali de anno 1786.

Verba art. 1^mi sic sonant: Ut statuta antiqua, atque ex statutis eis annexis excerpta, quae communi bono proficerent, Sanctae Sedi exhibeantur, ut deletis iis, quae non sunt in usu, reliqua praesentarentur pro confirmatione a S. Sede impetranda.

In capitulo generali de anno 1698.

Verba 1^mi art. sic loquuntur: Approbamus art. 2^dum praecedentis capituli generalis anno 1686 12ma Maii et duobus diebus sequentibus servati: ut spiritualia exercitia singulis annis infallibiliter a quolibet observentur.

In capitulo generali de anno 1715.

Die 19na Maii in art. 1mo sic legitur: Articulos 3^tium, 4^tum, 5^tum, 6^tum, 7^mum et 8^vum praecedentis capituli generalis anno 1698, 28va Aprilis et duobus sequentibus diebus servati, approbamus. In capitulis generalibus habitis annis 1718, 1721, 1724, nullum verbum habetur de novis statutis.

In capitulo generali de anno 1727.

11ma Maii et duobus immediate sequentibus diebus art. 2do

ordinationum, sic ordinatum reperitur: ut statuta antiqua et recentiora committantur aliquibus, ut ex illis bene examinatis et perscrutatis, excerpantur illa, quae communi bono proficiunt, deletis iis, quae vel in usu non sunt, vel ad profectum vix aut nihil conducunt.

In capitulo generali de anno 1749.

Mensis Maii die 4[ta] et duobus sequentibus diebus, art. 1[mo] igitur decretum fuit, ut e pluribus articulis ante hac ordinatis et approbatis, iterato approbetur et confirmetur ille de reformatione constitutionum ordinis nostri, conditus in comitiis generalibus 1686 aliisque posterioribus, prout hisce approbatur et confirmatur. Ideoque ordinatur imprimis, ut exemplar constitutionum jam dudum opera reverendissimi efformatum, debite communicetur et examinetur, et si quae rejicienda aut addenda vel immutanda putentur, haec sedulo annotentur, et Rdsimo reverenter significentur.

De art. 2[do]. Quaecunque in his constitutionibus contenta, non tamquam jus novum condentia, sed solum modificativa aut declarativa illorum, quae in antiquis constitutionibus et capitulorum generalium relictis, substantialiter continentur, talia ex nunc vim obligandi habere censeantur; caetera vero, quibus jus plane novum (qualia tamen illic reperiuntur paucissima) ulteriori ordinationi reservata sunt.

De art. 3[tio]. Postquam semestre aut circiter, constitutionibus istis examinandis concessum, elapsum fuerit, licebit Rdissimo de assensu definitorum ad executionem illarum procedere, eas nimirum S. Sedi pro obtinenda approbatione praesentando, typis mandando.

In capitulo de anno 1752.

Mense Maii 1[ma] et duobus subsequentibus diebus, art. 1[mo] confirmamus approbata in capitulo generali de anno 1739 et approbamus ordinata in capitulo generali de anno 1749.

In capitulo generali de anno 1756.

16ta Maii et duobus subsequentibus diebus art. 1mo: confirmamus approbata in capitulo generali de anno 1749 et signanter quidem quoad reformationem constitutionum ordinis nostri, ideoque volumus, ut imposterum in capitulo septimanali legantur alternatim cum constitutionibus antiquis, tum ut quibuslibet ordinem nostrum professis pateat, novas illas ab antiquis constitutionibus, posterioribusque capitulorum generalium definitionibus non differre, saltem quoad rei substantiam attinet, tum etiam, ut quisque judicare suamque mentem exponere valeat, an et quae illic mutanda sint, antequam typis mandentur [et] S. Sedi pro approbatione illarum obtinenda praesententur.

In capitulo generali de anno 1764.

20ma Maii et duobus sequentibus diebus art. 3tio: insistentes ordinatis in omnibus comitiis generalibus de anno 1686, pro statutorum nostrorum renovatione, volumus, et mandamus, ut quo istius fieri poterit, exemplar illorum opera Rdissimi D. N. efformatum, communicetur subjiciendum examini omnium ordinis nostri Priorum, qui illud legere, relegere, suasque reflexiones, si quas habeant, statim intra quindenam transmittere vel Amplissimo Dno Definitori Coloniensi, vel Amplissimo D. exdefinitori Leodiensi, qui duo, attentis reflexionibus sibi communicatis, efformabunt novum exemplar Rdissimo D. N. praesentandum, ut servatis servandis, opus illud diu desideratum typis mandetur.

Per extractum ut supra.

N. Hardy, Notarius immatriculatus Leodiensis in fidem, hac 19 Novembris 1767.

Ita est: quod testor N. Dambois, Protonotarius Apostolicus,

B. 44.

ad praemissa ab Illustrissimo et Rdissimo Dno Nuntio Apostolico Coloniensi deputatus, in fidem subscripsit.

Idem attestor F. J. F. Waltery, Perillustris et Rdissimi Dni Generalis Secretarius, ad hunc actum specialiter ab illo deputatus M. Pp.

Extractum capituli generalis habiti anno 1767, 17ma *Maii et duobus subsequentibus diebus.*

Articulo 1mo. Attendentes in praecedentibus capitulis generalibus tales factas ordinationes, ut sufficere nobis videantur, nec quidquam iis addendum noscamus, remittimus unumquemque ad illas, volentes ut quae non sunt revocatae, executioni mandentur.

Extractum ut supra.

N. Hardy, Notarius immatriculatus Leodiensis in fidem hac 20 9bris.

Ita est: quod attestor N. Dambois, Protonotarius Apostolicus ut supra.

Idem attestor F. J. F. Walthery, Perillustris et Rdissimi Dni Generalis Secretarius, ad hunc actum ab illo specialiter deputatus.

N°. 378. 3 Jan. 1768.

Literae patentes, in quibus „particula ex Ossibus S. Bernardi Senensis confessoris, in theca argentea ovalis figurae, crystallis ab utraque parte munita", genuina declaratur. Has reliquias fidelium venerationi in ecclesia conventus S. Agathae exponi permittit administrator Apostolicus, Rev. J. B. R. van Velde de Melroy, 30 *Nov.* 1806.

(Apographum auth. in tabulario conventus S. Agathae, ubi reliquiae etiam nunc venerationi sunt fidelibus).

N°. 379. 9 et 26 Martii 1768.

Max. Roli „Agentis Romae" duae epistolae de statu causae novorum statutorum ad Fr. H. Frank, „agentem" Coloniae.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Admodum Rde Pater Patrone Colendissime.

Elapsis diebus recepi binas P. V. A. R. litteras, una cum reflexionibus circa novum librum statutorum, ex quibus clare convincitur, illum capitulariter non fuisse approbatum, juxta praescriptum veterum constitutionum religionis canonicorum regularium Stae Crucis: interea disceptatur in Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium cum procuratore adverso pro concordatione dubiorum, quibus decidi debeat haec causa post proximam pascham resurrectionis, prout subsequentibus meis certiorem reddam P. V. A. R. et singulari obsequio permaneo.

Romae, 9 Martii 1768.

R. V. A. R. Addictissimus et obsequentissimus servus,

MAX. R[OLI].

A. R. P. Patrone Colendissime.

Certum est, quod Dominus Madresanta defensor noster proposuit Eminentissimo De Rubeis ponenti connotae causae eadem dubia, a P. V. A. R. mihi descripta in sua humanissima 10 currentis, illaque Domino Mucciolini etiam communicavit: at procurator adversarius usque nunc se opposuit praedictis dubiis ex eo, quia existimat esse nimis praejudicialia Praeposito Generali, suo principali, nec adhuc quaestio super hoc articulo finem habuit: interea P. V. A. R. optime gessit remittendo mihi praeinserta documenta, summopere consona praesenti controversiae, et de quibus patrocinator noster in sua defensione accurate valebit, dum assueto obsequio constantissime permaneo.

Romae, 26 Martii 1768. MAX. R[OLI].

N°. 380. 2 Dec. 1768.

Sacra Cardinalium Congregatio decidit nova statuta antiquanda et antiquis standum esse.

(Apogr. auth. typis impressum in 4° juxta exemplar Romanum).

In causa Leodiensi, seu canonicorum ordinis regularis Sanctae Crucis super Renovatione Statutorum pro PP. Praeposito, seu Abbate Generali, ac Definitoribus, Prioribus et Canonicis ejusdem ordinis, propositum fuit infrascriptum dubium, nempe:

An statuta, de quibus agitur, typis data anno 1765, substineantur? ita ut sint servanda, seu potius servanda sint antiqua statuta in casu etc.?

Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, referente Eminentissimo De Rubeis Ponente, visis videndis, consideratis considerandis, ac re mature perpensa, ad supradictum dubium sequentem in modum respondit, videlicet: Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et amplius causam hujusmodi non proponi mandavit. Romae, 2 Xbris 1768.

C. A. CARD. CAVALCHINI.

(L. S.) F. A. PATRARUM, Secretarius.

N°. 381. 20 Jan. 1769.

Magistri Generalis libellus supplex ad S. Cardinalium Congregationem, in quo dubium proponit, an statuta post an. 1660 *condita etiam sint antiquata.*

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Eminentissimi et Reverendissimi Signores.

Exponitur humillime Eminentiis vestris ex parte illorum oratoris praepositi Generalis, ordinis canonicorum regularium Stae

Crucis, sub regula S. Augustini viventium, in oppido Huyensi, dioecesis Leodiensis, residentis, qualiter ex fundamentalibus constitutionibus ordinis per S. M. Innocentium IV confirmatis, amplissima fuerit tributa authoritas capitulo generali, singulis trienniis in dicta primaria domo Huyensi convocari solito, novas leges juxta temporum et eventuum exigentiam pro meliori spirituali ac temporali regimine condendi, condita revocandi, mutandi, reformandi, mitigandi, vel addendi, salvis semper essentialibus, ea tamen conditione, quod ordinationes, a capitulis generalibus edendae, nequeant vim statuti habere, nisi per duo capitula fuerint approbatae, et in sequenti immediato capitulo confirmatae. Ita semper practicatum fuit usque ab ordinis initio, ut succedentibus diversimodo temporum agitationibus ac rerum mutationibus, morumque corruptionibus, varia antidota statutaria, per tria capitula sibi invicem succedentia, approbata fuerint et antiquis essentialibus constitutionibus a sede apostolica (ut supra) approbatis sive in scriptis, sive praelo datis, inserta et adjuncta. Cum vero postea in decursu plurimorum succedentium annorum, aliae plures emanare consueverint ordinationes, in triennalibus capitulis approbatae, confirmatae et jugiter in toto ordine observari jussae, postpositis praecedentibus vel revocatis seu mutatis aut mitigatis, sicut novae hujusmodi ordinationes frequenter in actis capitulorum generalium repetitae, sine ullo ordine et connexione sparsae, magna inter eas confusio exoriebatur; consuevit post longum annorum decursum de illis in unum colligendis in iisdem generalibus capitulis determinari, et praevio eorundem examine et capitulari approbatione in parvum codicem una cum antiquis non reformatis redigi singulisque Domibus canonicalibus earundum exemplar, sive manuscriptum sive praelo datum, distribui; quemadmodum sub Nicolao de Hannefe Magistro seu Praeposito Generali dicti ordinis anno 1660 factum extitit. Ita punctim observatum fuit sub devoto Eminentiarum vestrarum oratore in editione novi

codicis ordinationum, factarum in praecedentibus capitulis generalibus de dicto anno 1660 usque ad annum 1764; quo tempore a capitulo generali mandatum fuit, ut quo citius fieri possit, exemplar statutorum communicaretur et subjiceretur examini omnium Priorum ordinis, qui suas reflexiones facerent, et intra quindenam transmitterent vel Priori Definitori Coloniensi anni 1764 vel Leodiensi exdefinitori; a quibus attentis dictis reflexionibus sibi communicatis efformaretur novum exemplar, ipsi oratori subinde praesentandum, et ab eo opus tam diu desideratum typis mandandum. Communicato itaque omnibus Prioribus dicto exemplari, acceptisque per Dominos primarios definitores Coloniensem et Leodiensem, reflexionibus a nonnullis prioribus factis, retulerunt, testatique fuerunt oratori, quod juxta ordinationem ultimi capituli generalis, attente examinaverant reflexiones super statutis renovatis ad eos transmissas a Prioribus ordinis, et consideraverant, quod numerus eorum constituebat ad minus duas tertias dictorum Priorum partes, quodque hi omnes uno duntaxat excepto consentiebant in illorum statutorum impressione, adjicientes, quod juxta reflexiones a dictis Prioribus, seu verbo seu scripto communicatas, fecerant in ipsis statutis mutationem illam, quae post maturam reflexionem facienda apparebat, et tamen rogarent oratorem, quatenus non gravetur statuta illa taliter mutata typis mandare. Hisce itaque attentis humillimus orator die 22 Aprilis 1765 mandavit, ut exemplar dictorum statutorum manuscriptum praelo committeretur, ut haec omnia patent ex actis publicis capitularibus; quin et subinde fuit etiam exposita ratio, cur non omnibus reflexionibus a prioribus, utpote sive imbecilliter sive erronee factis, mos geri nequiverit. Nihilominus idem orator, ut omnibus satisfaceret, suum subinde decretum universo ordini dedit, novisque statutis praemisit epistolam, per quam declaratis rationibus, causis et motivis, ad novam dictorum statutorum compilationem et editionem impellentibus et cum

nonnullae a Prioribus exhibitae reflexiones non fuerant admissae, conclusit, quod licet praememorata puncta taliter per capitula generalia stabilita sint, ut firmiori stabilimento non egeant, quia parum aut nihil roboris censetur adjectum actis authenticis capitulorum generalium, sive typis editis, sive in solis manuscriptis existant. Solemniter quoque declaravit, mentem suam nullatenus esse, quod, etiamsi dicta statuta impressa sint, mutare debeant statum illorum, quae in capitulis generalibus more solito decreta sunt; quin potius contra ipsis capitulis generalibus maneat facultas ab Innocentio IV [et] ejusmodi successoribus Romanis pontificibus concessa, decernendi scilicet ac statuendi, quidquid pro salubri regimine ordinis nostri videbitur congruere. Factaque postmodum nova compilationis dictorum statutorum impressione, ea fuit per oratorem exhibita Domino Nuntio Apostolico Coloniensi cum supplicatione, ut praevio illorum examine aliquibus doctis viris ab eo nominandis, si nihil aut regulae aut aequitati aut legibus aut decisionibus Apostolicae Sedis dissonum comperiebatur, de sua apostolica authoritate confirmare dignaretur, responsumque accepit: „abstinendum putare a tali confirmatione, interim tamen confirmatione hac etiam deficiente, ipsa suum habent robur, prout habuere antiqua, licet nunquam fuerint confirmata". Subdens „ut eorum observantiae fortiter insistat, illamque urgeat; decurrentes enim ad obedientiam debito modo compellam". Et successive in capitulo generali anni 1767 omnes ordinationes in praecedentibus capitulis generalibus factae et approbatae, decretum fuit ut executioni mandarentur, et ut antea, observarentur. Contigit tamen, ut nedum executioni non conmittantur ordinationes tales, quales in praecedentibus capitulis factae sunt, verum neque illae in novum impressum codicem ordinatim digestae, factum est idipsum, quod factum fuit a Prioribus et canonicis refractariis in editione statutorum impressorum anno 1660, quo tempore complures tantam, tamque pertinacem malitiosam

confoederationem et conjurationem fecerunt, tunc temporis contra Superiorem ordinis Generalem ob impressionem et demandatam dictorum statutorum compilatorum observantiam, ut comprimi et extingui nequiverit nisi post viginti et amplius annos, nempe anno 1682, mediante inflicta poena privationis omnium officiorum et verae obedientiae. Ast longe pejori modo factum est ab hodierna refractariorum turba, qui libertatem amantes et sine lege vagari cupientes, potius quam disciplinae regularis jugo sese submittere, a vix demandata per oratorem observantia dictarum ordinationum, in unum codicem redactarum, coeptum primo fuit blaterari adversus eas, et etiam adversus fratrem eorum Superiorem Generalem, per recursum habitum ad D. Nuncium Apostolicum Coloniensem, coram quo allegarunt se totumque ordinem per nonnullas ordinationes esse gravatos. Rejecit tamen Apostolicus Nuncius hujusmodi recursum, et recurrentes ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium remisit.

Interea temporis pauci unius canoniae (*a*) refractarii, ad parandum ampliorem ad S. Congregationem recursum, complures alios sibi similes ex Germanis canoniis seu domibus ordinis in rebellionem contra oratorem excitare, sibique cooptare curarunt, quorum aliqui acutioris ingenii non se continuerunt in assumptis allegandis gravaminibus, sed potius toti fuerunt in deducenda nullitate compilationis et editionis dictorum statutorum, ex quo non fuerint per tria capitula generalia consecutiva approbata, confirmata, et imprimi jussa, atque hinc evenit, ut praelaudata S. Congregatio ex capite dictae assertae nullitatis responderit, dicta statuta *non sustineri*, et in consequentia dictae suppositae nullitatis absque ullo peculiari examine super allegatis gravaminibus edixit etiam: „Servanda esse antiqua statuta anni 1660.

Ex hujusmodi resolutione datae secundae parti dubii in sequelam declaratae nullitatis, magnum pernecesse debet sequi in-

(*a*) Sc. Leodiensis.

conveniens in convulsionem statutorum fundamentalium ordinis, quibus cavetur, ut non obstantibus ordinationibus capitulorum generalium in codicem redactis, semper manere debeat integra potestas successivis capitulis generalibus illas revocandi, mutandi, vel reformandi, prout ab anno 1660 plures in codicem tunc redactae fuerunt, in capitulis generalibus ab eo tempore usque ad annum 1764 revocatae, mutatae vel reformatae et in tribus capitulis successivis adprobatae, confirmatae, et observari jussae, quin in unum codicem fuerint unquam redactae; et si servari praecise deberent statuta anni 1660 juxta responsum ex adverso subscriptum a dicta S. Congregatione, illud sequeretur inconveniens, quod omnes ordinationes usque ad praesens (ut supra) factae et confirmatae, etiam in capitulo generali anni 1767 abolitae censeri deberent, quod recte a mente Sacrae Congregationis (cui hoc incognitum fuit) alienum fuisse opinari licet.

Quare ne universus ordo vagetur sine certa lege, quia observare debet posteriores ordinationes, factas in capitulis generalibus post annum 1660, et consequenter non debet generaliter servare statuta in codicem redacta anno 1660. In hoc itaque rerum statu orator antedictus, una cum saniori parte Priorum et canonicorum regularis disciplinae quietisque religiosae, nec non spirituale ac temporale bonum ordinis vere amantium, iterum confugiunt ad E. E. V. V., quatenus adversus praedictam resolutionem (ut supra) editam super nullitate pertactae compilationis et impressionis codicis statutorum anni 1765, novam audientiam indulgere dignentur, simulque providere tranquillitati totius ordinis ex praetacto motivo resolutionis generaliter datae secundae parti propositi dubii de observandis statutis, contentis in codice anni 1660, sine ullo delectu et cognitione illorum, quae revocata, vel moderata seu mitigata sunt per subsecuta capitula generalia atque approbata et confirmata, quaeque in viridi observantia semper fuerunt usque ad novam editionem

novi codicis anni 1765; nam stare poterit bene simul, quod ordinationes capitulorum generalium, factae post annum 1660, fuerint forsitan nulliter in unum codicem collectae et typis mandatae, quodque tamen illic tanquam legitime factae debitam executionem, prout antea, et imposterum, obtineri debeant, prout jam edixit et statuit de unanimi omnium capitularium consensu capitulum generale anni 1769.

Agitur ergo de re magni momenti, quae exigere videtur, ut S. haec Congregatio dignetur revidere seu revisioni committere utrumque statutorum codicem, atque demptis ab antiquo codice illis per successiva capitula generalia revocatis, mutatis, reformatis seu mitigatis, benigne praescribere, sub quibus legibus, sub quo capite, et sub Priore Generali vivere debeat universus ordo; ne sequatur inconveniens et schisma, quod partim coecis veluti oculis inhaereant, generaliter omnibus statutis in codice anni 1660 contentis, licet in majori parte subinde per capitula generalia revocatis et mutatis; et partim despectis, iis revocatis et reformatis, observare pergant, ut par est, dictorum capitulorum generalium ordinationes, prout aperte statutum fuit anno 1767; quod nempe ad illas tantum respiciendum esset, et consequenter confidit orator, quod eminentiae vestrae petitam novam audientiam concedere dignabuntur, prout iterum humillime supplicat et Deus etc. etc.

Rubrica:

Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium, 20 Jan. 1769, ad eundem Eminentissimum de Rubeis ponentem,

pro

R. Praeposito Generali Canonicorum Regularium S. Crucis in dioecesi Leodiensi.

N°. 382. 29 Maii 1769.

Magister Generalis sententiae Romae latae se obedire profitetur, praecipitque ut omnes Ordinis S. Crucis Fratres antiqua statuta accurate observent.

(Apographum auth. typis impressum in folio in tabul. conv. S. Agathae).

Fr. Lambertus Engelbertus de Fisen, totius Ordinis Canonicorum Regularium Sanctae Crucis Praepositus Generalis, primariae ejusdem Ordinis domus in Claro-Loco, apud Huum, Major Prior, etc.

Universis et singulis RR. DD. Definitoribus, Prioribus, Canonicis, aliisque quibuslibet ejusdem nostri Ordinis Sanctae Crucis personis salutem in Domino. Noveritis nobis nuper praesentatum fuisse infrascriptum publicum instrumentum sententiae, ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Francisco de Ilcio, Causarum Camerae Apostolicae Generali Auditore, Romanaeque Curiae Judice Ordinario, ac uti Executore resolutionum ac rescriptorum Sac. Congregationum Urbis, a Summo Pontifice specialiter deputato, profectae ac pronunciatae, in debita forma expeditum, sigilloque munitum, nobisque praecipue qua superiori Generali totius dicti ordinis pro plenaria praetactae Sententiae executione directum, illudque nos debita cum reverentia accepimus, et legimus hujusmodi tenoris, videlicet:

Franciscus de Ilcio, utriusque signaturae referendarius, nec non Causarum Curiae Camerae Apostolicae Generalis Auditor, Romanaeque Curiae Judex Ordinarius specialiter electus et deputatus. Noverint universi et singuli hoc praesens publicum sententiae instrumentum visuri, lecturi, legique pariter et audituri, qualiter in causa et causis coram nobis uti generali Executore Resolutionum, et Rescriptorum sacrarum Urbis Congregationum, vertente in prima instantia inter adm. RR. PP. Definitores, Priores, et Canonicos Regulares Ordinis Sanctae

Crucis Leodii, Cruciferos nuncupatos, actores ex una, et Reverendissimum Patrem Praepositum Generalem ejusdem ordinis, nonnullosque eidem adhaerentes reos conventos ex altera partibus, de et super exequutione definitivae resolutionis a Sacra Congregatione Episcoporum et regularium emanatae, super sequenti dubio ab Eminentissimo Domino Cardinali de Rubeis Ponente sub die 2 mensis Decembris superioris anni 1768, proposito, nempe, „An Statuta, de quibus agitur, sustineantur, ita ut sint servanda; seu potius servanda sint antiqua Statuta in casu", etc. cui per eandem Sacram Congregationem responsum fuit: „Negative ad primam Partem, et affirmative ad secundam"; ac mandatum, ne amplius causa hujusmodi proponeretur, et alias prout in actis causae et causarum hujusmodi ad quae, etc. in eaque causa visis juribus in actis productis, aliisque visis videndis, et consideratis considerandis, citatoque insuper Domino Antonio Dominico Franci, Procuratore Reverendissimi P. Praepositi, seu Abbatis Generalis Ordinis Canonicorum Regularium Sanctae Crucis Leodii, hic in Curia per Cursores ser. ser. ut moris est, tandem die infrascripta nostram tulimus et promulgavimus definitivam sententiam hujusmodi sub tenore videlicet: Christi Nomine invocato, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam nos de jurisperitorum consilio, uti Generalis Executor resolutionum, et rescriptorum Sacrarum Urbis Congregationum, in his scriptis ferimus in causa, et causis, quae coram nobis in prima, seu alia veriori vertuntur instantia, inter adm. RR. PP. Definitores, Priores et Canonicos regulares Ordinis Sanctae Crucis Leodii, Cruciferos nuncupatos, actores ex una, et Reverendissimum P. Praepositum Generalem ejusdem ordinis, nonnullosque eidem adhaerentes reos conventos ex altera partibus, de et super exequutione definitivae resolutionis a Sacra Congregatione Episcoporum et regularium emanatae, super sequenti dubio ab Emi-

nentissimo Domino Cardinali de Rubeis Ponente, sub die 2 mensis Decembris superioris anni 1768, proposito, nempe: „An Statuta, de quibus agitur, substineantur, ita ut sint servanda, seu potius servanda sint antiqua statuta in casu etc", cui per eamdem Sacram Congregationem responsum fuit. „Negative ad primam partem, et affirmative ad secundam": ac mandatum, ne amplius causa hujusmodi proponeretur et alias prout in actis causae et causarum hujusmodi, ad quae, etc. dicimus, decernimus, declaramus, pronunciamus, ac definitive sententiamus praedictam resolutionem, seu rescriptum, per dictam Sacram Congregationem super utraque parte dicti dubii editum, exequendum fore et esse, prout exequi volumus et mandamus, et pro effectu exequutionis hujusmodi, dicimus, decernimus, declaramus, ac definitive sententiamus ante dicta nova statuta, seu istorum collectionem et compilationem typis datam anno 1765, de mandato praedicti Reverendissimi Praepositi Generalis, uti nulliter, et non servata forma (*a*) per fundamentalia statuta supradicti ordinis praescripta, factam, nullatenus substineri, ideoque praedicta statutu non fuisse, nec esse servanda; sed ex diverso ab universo RR. PP. Canonicorum regularium Sanctae Crucis ordine omnino observanda antiqua omnia ejusdem ordinis statuta, et juxta „eorumdem praecisam dispositionem et tenorem", exequutioni demandanda fore et esse, prout ab omnibus et singulis personis religiosis cujusvis gradus, et conditionis quarumcumque domorum Canonicalium praedicti ordinis, in quacumque civitate ac dioecesi, seu regno, vel provincia existentium observari, ac ut supra, exequi volumus, et mandamus in omnibus et per omnia ad formam praedictae generalis resolutionis per dictam Sacram Congregationem editae de antiquis statutis *indistincte* observandis, ad quam, etc. et pro effectu exequutionis hujusmodi omnes et singulas religiosas

(*a*) *Forma* in apographo impresso manu Magistri Generalis additum.

dicti Ordinis Sanctae Crucis personas, ipsumque Reverendissimum P. Praepositum Generalem, caeterosque omnes superiores ad dictorum antiquorum statutorum praecisam observantiam per suspensionem a divinis, excommunicationem, aliasque ecclesiasticas censuras, et poenas cogendas, et compellendas fore, et esse, prout cogi, et compelli volumus, et mandamus; et contra renitentes, ac DD. antiqua statuta praecise, „et prout jacent quovis sub praetextu, vel quaesito colore", servare reluctantes, nisi infra quindecim dies a die intimationis praesentis nostrae sententiae, seu illius instrumenti eis faciendae computandos, realiter et cum effectu non paruerint, ex nunc prout ex tunc, in supradictas ecclesiasticas censuras damnabiliter incidisse et incurrisse, declaramus, eosque uti DD. censuris suppositos ab omnibus Christi Fidelibus vitandos, literasque declaratorias, ac exequutoriales in forma desuper necessarias et opportunas decernendas, et relaxandas fore, et esse, prout decernimus, et relaxamus, ac exequi volumus, et mandamus, partemque victam victrici in expensis condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de jure, imposterum reservamus; et ita dicimus, pronuntiamus, decernimus, declaramus, ac definitive sententiamus, etc. Non solum, etc. sed et omni, etc. Ita pronunciavi, F. de Ilcio, A. C. Lecta, lata, data et in scriptis promulgata fuit supradicta sententia, die septima Aprilis 1769. Quam quidem sententiam, ac omnia, et singula in illa contenta, demandata, et expressa, vobis omnibus, et singulis supradictis intimamus, notificamus, significamus, et ad vestram notitiam deducimus, ne de praemissis ignorantiam aliquam ullo unquam tempore praesumere, seu allegare valeatis. Et successive „Reverendissimo P. Praeposito Generali totius Ordinis Sanctae Crucis, in primaria apud Huum ejusdem ordinis domo residenti, ac universis, et singulis Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, omnibusque aliis Reverendis Dominis Judicibus ecclesiasticis, quacumque authoritate

et dignitate fungentibus, et functuris aliisque ad quos spectat, et spectabit, ac praesente nostrae ostensae, aut alias quomodolibet praesentatae fuerint, committimus et virtute Sanctae Obedientiae mandamus, quatenus statim visis, seu receptis praesentibus, et postquam praesentium vigore fueritis requisiti, seu alter vestrum requisitus fuerit, sub ecclesiasticis censuris damnabiliter ex nunc prout ex tunc incurrendis, rescriptum Sacrae Congregationis Episcoporum et regularium emanatum, die 2 Decembris anni 1768 in causa inibi ventilata, inter praefatos RR. PP. Definitores, Priores et Canonicos ordinis Canonicorum regularium Sanctae Crucis Leodii ex una; et supradictum Reverendissimum P. Praepositum, seu Abbatem Generalem ejusdem ordinis partibus ex altera, cum quo demandatum fuit, omnia antiqua ejusdem ordinis Statuta ab universo RR. PP. Canonicorum regularium Sanctae Crucis ordine observanda esse, nec non supra descriptam nostram sententiam pro dicti rescripti executione, ut supra, emanatam observari, ac debite et omnimode executioni demandari faciatis, curetis, et mandetis, prout nos in omnibus, et per omnia juxta illius formam observari, et exequi volumus, et mandamus per praesentes taliter, etc. In quorum fidem, etc.

Datum Romae ex Curia Innocentiana Montis Citatorii, hac die 15 Aprilis 1769.

Signatum: F. DE ILCIO, A. C.

Nec non LEONARDUS ANT. PACE,

Causarum Curiae Camerae Apostolicae Notarius, cum appositione sigilli Illustrissimi ac Rmi Domini Judicis, A. C.

Post cujus publici instrumenti sententiae praesentationem nobis, et receptionem per nos respective factam, volentes mandatis praelibati Illustrissimi et Reverendissimi Domini Auditoris Generalis Reverendae Camerae Apostolicae, seu verius Apostolicis nobis directis, ut par est obedire, eaque debitae executioni

committere, vobis omnibus et singulis RR. DD. Definitoribus, Prioribus, Canonicis, aliisque quibuslibet nostri Ordinis Sanctae Crucis personis, et vestrum cuilibet districte praecipiendo mandamus, quatenus statim visis praesentibus ex parte nostra, imo verius Apostolica, qua in hac parte fungimur, authoritate, praeinsertam sententiam, et quaecumque in ea contenta, infra quindecim dierum spatium, quorum quinqne pro primo, quinque pro secundo, et reliquos quinque pro ultimo et peremptorio termino, ac monitione canonica vobis assignamus per praesentes, sub poenis et censuris ecclesiasticis ipso facto damnabiliter incurrendis, de quibus in dicta sententia debeant, et vestrum quilibet debeat realiter et cum effectu omnimodae executioni demandasse, et adimplevisse, et pro effectu praedictae executionis antiqua omnia ejusdem nostri Sacri Ordinis Statuta „juxta eorumdem praecisam dispositionem et tenorem, prout jacent" quacumque excusatione, ac exceptione remotis, inviolabiliter observasse, attendisse et adimplevisse, ac debitae et plenariae executioni demandasse ad formam praedictae sententiae, et praecedentis generalis resolutionis Sacrae Congregationis Episcoporum et regularium de antiquis omnibus praedictis Statutis *indistincte* observandis, quibus in omnibus et per omnia inhaerere intendimus, et declaramus: absolutionem vero omnium et singulorum, qui in praetactas censuras, et poenas ecclesiasticas incurrerint, superiori nostro tantummodo reservamus. In quorum fidem praesentes signatura et sigillo nostris munivimus, et respective communiri jussimus. Datum in nostra primaria domo Clari Loci, apud Huum, anno Domini millesimo septingentesimo sexagesimo nono, mensis Maii die vigesima nona.

Fr. G. E. de Fisen,
Totius ordinis Sanctae Crucis Praepositus Generalis,
et Executor Apostolicus etc.

De Mandato Reverendi Domini mei.
Fr. J. P. Noiville, Prosecretarius.

N°. 383. 12 Dec. 1769.

Magister Generalis, fultus decreto Romano, monet omnes ordinis sui religiosos, habere vim legis, quaecumque per tria capitula generalia subsequentia sint approbata et confirmata.

(Apographum auth. typis impressum in folio in tabul. conv. S. Agathae).

Frater Lambertus Engelbertus de Fisen, totius Ordinis Canonicorum regularium Sanctae Crucis Praepositus Generalis, Primariaeque ejusdem ordinis domus in Claro Loco, apud Huum, Major Prior, etc.

Universis et singulis RR. DD. Definitoribus, Prioribus, Canonicis, aliisque quibuslibet ejusdem ordinis nostri Sanctae Crucis personis, paternam Benedictionem.

Non est per sententiam Sacrae Episcoporum et regularium Congregationis, de secunda Decembris 1768, sublatus sacer ordo noster; non est inversus vel immutatus, ejus in condendis legibus, vel statutis vim legis habentibus, modus: neque impeditus illius cursus: non est imminuta nostra, vel capitulorum generalium authoritas, neque laesa. Unde S. Congregationis Episcoporum et regularium mens in ferenda dicta sententia neque esse potuit, tollere obligationem statutorum per tria capitula generalia immediate consequentia approbatorum et confirmatorum, dum statuit: „Ab universo RR. PP. Canonicorum regularium S. Crucis Ordine omnino observanda antiqua omnia ejusdem ordinis statuta, et juxta eorumdem praecisam dispositionem et tenorem, et indistincte, et prout jacent, etc." quod vobis praecipiendo mandavimus in litteris nostris ejusdem sententiae executorialibus de 29na Maii 1769, nuncque iterato praecipiendo mandamus.

Hinc in suo vigore manent omnia statuta per tria immediate subsequentia capitula generalia approbata et confirmata; ideoque nostra authoritate mandamus et praecipimus, ut omnia

et singula, quae in Codice nostro anno 1765 impresso, ita approbata et confirmata reperiuntur, „juxta eorumdem praecisum tenorem indistincte et prout jacent", respective observetis, et ab omnibus vobis subditis observari curetis et invigiletis.

Ne quis autem ausu temerario huic nostro mandato obedientiam detrectet, vel, ut ejus obligationem eludat, ad supradictam S. Congregationem recursum habere praesumat: notum omnibus facimus decretum nostrae et capitulorum generalium authoritatis confirmativum, illamque praesupponens, nuper ab Eminentissimo Domino de Rubeis, Ponente, emanatum.

Decretum.

Ferdinandus Maria S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbyter Cardinalis de Rubeis, Sacrae Congregationis Episcoporum et regularium in hujusmodi causa et causis Ponens.

Noverint universi et singuli hoc praesens publicum decreti instrumentum visuri, lecturi, legique pariter audituri, qualiter pro parte, et ad instantiam Reverendissimorum Patrum Definitorum, Priorum et Canonicorum ordinis regularis Sanctae Crucis Coloniae principalium, citato coram Sacra Congregatione Episcoporum et regularium, sive nobis infrascripto Ponente per Cursores sanctissimi, ut moris est, D. Antonio Franci, Procuratore Reverendissimi Praepositi Generalis ordinis regularis S. Crucis Leodiensis ex adverso principalis, ac alias omni, etc. ad comparendum coram nobis infrascripta die hora $20^1/_2$ et videndum aperiri terminum pro servato habitum a nobis die 11 currentis mensis, nec non audiendam voluntatem super propositione causae in proxima Sacra Congregatione ad effectum obtinendi, seu reportandi declarationem rescripti ejusdem Sacrae Congregationis editi sub die 2 Decembris 1768 et decretum quodcumque fieri, et interponi. In termino hujusmodi citationis comparuit in judicio legitime coram nobis D. Joseph Madresanta, Procurator petiit, ut supra. Ex tunc nos declarando re-

scriptum Sacrae Congregationis editum, die 2 decembris 1768, mandavimus observari omnes et singulas leges, constitutiones, ordinationes, et reformationes, etiam editas post annum 1660, quas tamen constat fuisse conditas, typis datas, seu impressas, et compilatas in Codice de anno 1765, acceptatas, et approbatas per tria sequentia conformia capitula generalia, et interim supersederi per mensem, Procuratore ex adverso praesente.

Quae omnia et singula praemissa vobis omnibus et singulis supradictis tenore praesentium intimamus, insinuamus, et ad vestram notitiam deducimus, ne ullo unquam tempore ignorantiam aliquam allegare valeatis taliter, etc. In quorum fidem, etc. Datum Romae, ex Aedibus nostris, die 18 Septembris 1769.

Signatum erat: F. M. Cardinalis De Rubeis,
Ponens cum appositione Sigilli ejusdem
Eminentissimi Cardinalis.

Subsignatum vero: Pro D. Leonardo Ant. Pace,
A. C. et Sacr. Congregationum Notario.

P. Laurentius de Montibus,
Connot.

Concordantiam hujus Decreti cum suo Originali testor,

F. L. H. Meyers,
Prior Montis Orientis Perill. ac Rmi Generalis Secretarius.

Haec est, perdilecti Filii, mens et decisio nostra, circa tam antiqua quam renovata statuta: cui ut vos conformetis, mandamus in virtute Sanctae Obedientiae. Datum, nostrisque signatura et sigillo munitum, in Claro Loco apud Huum, anno 1769, die duodecima Decembris.

Fr. G. E. Fisen, qui supra.

N°. 384. 20 Febr. 1770.

Magister Generalis indicit capitulum generale.

(Autographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 385. 5 Maii 1770.

A conventu S. Agathae ad capitulum generale mittitur procurator Fr. W. Wynantz.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

[In his testimonii literis hujusmodi apponitur expensi et accepti computus:]

Quod teneamur solvere receptori Principis Orangiae pro admodiationis debitis	fl.	3000-„-„
Pro panno vestitus	-	900-„-„
Pro mediciuis doctori medico circa	-	200-„-„
Pro vino	-	1200-„-„
Fatri ferrario, lignario etc.	-	270-„-„
Pecuniae sub mutuo àcceptae	-	350-„-„
Summae capitales levatae.	-	8000-„-„
	fl.	13920-„-„

Credita bona locationis 900.

In grenario reperiuntur 200 maldra granorum.

Provisio carnium, buteri, vini (Laus Deo) satis congrua et oeconomica.

N°. 386. 17 Junii 1770.

Suffraganeus Episcopi Leodiensis consecrat ecclesiam et altaria in Canonia Aquisgranensi Ordinis S. Crucis et fidelibus largitur indulgentias.

(Chr. Quix, Die Pfarre zum H. Kreuz in Aachen, pag. 63).

Carolus Alexander S. R. J. Comes ab Arberg et Vallengen, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Amyzonensis, Celsissimi Caroli Nicolai Alexandri Episcopi et Principis Leodiensis, S. R. J. Principis etc. Vicarius in Pontificalibus Generalis etc. omnibus has litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus, nos anno Domini 1770, mensis Junii die decima septima consecravisse Canonicorum regularium Stae Crucis Aquisgrani ecclesiam et altare majus in honorem Stae Crucis et S. S. Martyrum Juliani, Odiliae, et Sebastiani, et Altare in cornu Epistolae ad honorem Sti Juliani Martyris, ac Altare in cornu Evangelii ad honorem Divae Virginis, et in dictis altaribus reliquias Sanctorum Martyrum Casti et Deodati inclusimus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi praefatam ecclesiam seu altaria visitantibus, quadraginta dies de vera indulgentia, in forma ecclesiae consueta, concessimus, et per praesentes concedimus, dictumque anniversarium Dedicationis diem in Dominicam primam Augusti ex causis moventibus statuimus. In quorum fidem has manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus Aquisgrani anno, mense, ac die supratactis. Carolus Episcopus Amizonensis suffrag. Leodiensis.

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini mei praefati.

C. Winand, Secr.

N°. 387. 20 Dec. 1770.

Clemens XIV, P. M. largitur indulgentias, ecclesiam conventus S. Agathae visitantibus, in festo inventionis S. Crucis et per ejus octavam; hoc indulto per septennium duraturo.

(Apographum authent. menbran. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 388. 27 Jan. 1771.

S. Theol. Doctor in universitate Coloniensi, suadet Magistro Generali, ut in observatione jejunii, Fratribus Ordinis S. Crucis praescripti, nihil relaxet.

(Apographum in tabulario conventus Udensis).

Resolutio Eximii Doctoris Kaupffmans ad litteras Reverendissimi Domini Generalis Ordinis Sanctae Crucis.

Reverendissime Perillustris Domine, Domine Generalis Dignissime.

Quorum statutorum abolitio speciatim aut fuerit intenta, aut nunc intendatur, nec in litteris Reverendissimae vestrae Dignitatis, quas Dominus Prior mihi communicavit, exprimebatur, neque ab eo Domino Priore mihi fuit indicatum, agi de abolendo praecepto statutario abstinentiae a carnibus per adventum et hebdomadatim feria 4ta et in hebdomada quinquasimae feria 2 et 3. Absit a me, ut improbo consilio talem statutorum saluberrimorum relaxationem qualitercumque promoverem; scio statuta sub peccato non obligare, ast inde plus non sequitur, quam quod superior localis, raro tamen seu infrequenter, dispensare possit, et dum dubia est valetudinis conditio, in aliquo eorum dierum promptior contra abstinentiam resolutio fieri possit, quam si pro feria 6ta aut sabbatho super licentia vescendi deliberaretur propter infirmitatem; etiam minime aliqua acerbiori censura perstringerem licentiam vescendi

carnibus toti conventui concessam, si electio superioris, primitia investitio, professio aliave solemnitas in tempus adventus inciderit et postridie absumerentur quae supererant; prudenter etiam in sepultura aut exequiis, praesertim dum cognati aliive ad mensam invitandi sunt, hanc dispensandi facultatem superior exerceret; neque videtur reprehendenda permissio per discretionem provide temperata extra domum prandendi in adventu aut in feria 4ta apud parentes, patronum aut amicum manducandi quae apponantur: at vero universam obligationem statutariam observandi abstinentiam in adventu et feriis quartis per annum penitus absolvere, aeque illicitum existimo ac si ex ratione, quod nulla statuta obligent sub peccato, tolleretur obligatio cantus choralis aut uniformitas vestimentorum, aut si particulari cujuscumque religiosi arbitrió concederetur exeundi et redeundi facultas, generali concessione superioris, quae regularis disciplinae conservationem subvertunt et saecularibus scandalum faciunt, cautissime sunt fugienda et avertenda ab his, qui vigilare debent, tamquam rationem reddituri pro animabus.

Hi, qui in postremis capitulis generalibus zelati sunt pro observantia statutorum, in superiori saeculo impressorum, prae caeteris operam et consilia conferant, ut hoc, quod inter praecipua vestri instituti momenta censeri debet, minime negligatur: ex obedientiae voto tenentur omnes et singuli obedire Summo Pontifici tamquam supremo omnium religiosorum Generali, ut recte inquit Castro Palao jesuita: ex eo voto etiam vestri omnes et singuli tenentur obedire definitis per capitula generalia, omnes per statuta praescriptas solemnitates, habentia per uniformitatem constantissimam.

Superior localis non foret in statu salutis, qui aut constanti aut valde frequenti relaxatione illud statutum de abstinentia praesumeret abolere.

De feria 2 et 3 quinquagesimae puto, ubi tenuiores sunt domus, facultates consumi posse quae supersunt, non tam recrea-

tionis quam parcimoniae titulo, exitum vero ad aedes saecularium eo biduo minime concedi oportere, ut qui praecipuus est statuti scopus, observetur.

In dispensationibus Archiepiscopalibus super abstinentia 40^{mae} in hac dioecesi semper exprimitur: *Exceptis regularibus*; ideo intra hanc dioecesim valide dispensari non potest, nisi facultas papalis concessa fuerit: talis, attenta severa constitutione Benedicti XIIII, non praesumitur: saecularibus scandalo est talis relaxatio disciplinae regularis. Aetatis sexagesimum primum superavi, numquam tamen hujus dispensationis fui particeps, neque ero, nisi infirmitas coegerit. Si qui sint infirmi, reficiantur ex medici dictatu, sed extra locum refectionis communis.

Chiliarcha Franciscus de Muis, cum hic Coloniae hyberna faceret, per totam 40^{mam} a carnibus abstinuit, quia eques ordinis militaris erat, judicabat sibi obstare clausulam ordinarii, *exceptis regularibus.*

Si alii Episcopi forsan eam omittant, non ideo eorum facultas et voluntas praesumenda, quod et possint et velint regulares comprehendere. Caveatur omnino, neque mensae communi, praeter cibos lege permissos, inferatur, ni imaginaria infirmitas observantiam perstringeret: ova et lacticinia, cibis lege permissis, hic accensuit longa consuetudo, cui se regulares accommodant vel expresso vel tacito superiorum suorum permissu, exceptis religionibus rigidioribus, ut est Carmelitaria rereformata.

Cum integerrimo reverentiae cultu sum.

Reverendissimae Perillustris Dignitatis vestrae

Obsequiosissimus servus,

Erat signatum: H. Kauffmans,

Coloniae, 27 Jan. 1771.

N°. 389. 15 Julii 1771.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Apographum authent. in tabulario conventus S Agathae).

(Loca Selecta).

Fr. Lambertus Engelbertus de Fisen, totius ordinis Canonicorum regularium Stae Crucis Praepositus Generalis primariaeque ejusdem ordinis Canoniae in Claro Loco juxta Huum Major Prior etc. etc.

Sub acta visitationis canoniae nostrae Agathanae anno 1771, 15ta Julii et sequentibus diebus instituta, compertum est nobis, quod ab anno 1765, quo ultima praefata canoniae visitatio instituta est, irrepserint defectus nonnulli iique graves, etiam tunc ordinatis directe repugnantes, quos ex officio et tanquam rationem reddituri pro animabus vestris corrigere et eradicare tenemur: quare sequentia ordinanda et statuenda duximus.

Monemus Amplissimum Dominum Priorem, quatenus in frequentandis divinis officiis, admittendis hospitibus non necessariis, vitandis saecularium consortiis, deinceps sic se gerat, ut in ipso verificari queant haec verba S. Leonis Pápae: „validiora sunt exempla quam verba, et plenius opere docetur quam voce".

Sub poena gravioris culpae, et correctionis delicto proportionatae, prohibemus, ne quis frequentet personam, domum vel locum, unde vel minima mali suspicio posset oriri.

Inhaerentes decreto S. Congregationis Episcoporum et regularium de 18ra 7bris 1769, praecipienti observantiam omnium legum et ordinationum, per tria sequentia capitula generalia approbatarum, volumus ut statutum abstinentiae a carnibus, certis quibusdam anni temporibus, quod inter praecipua instituti nostri momenta censeri debet, quodque abrogare aut pe-

nitus dissolvere non possumus, in suo vigore maneat, donec et usque S. Sedes ab ejus observatione nos absolvat.

In quorum fidem ac robur praesentes sigillo et signatura nostris munitas [literas] dedimus in canonia nostra Agathana, hac 17 Julii 1771.

Fr. L. E. Fisen.

De mandato Perillustris ac Rdissimi Domini mei praefati,

F. L. Meyers,

Prior Montis Orientis, qua Secretarius.

N°. 390. 19 Julii 1771.

Acta visitationis conventus Udensis.

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis).

(Loca Selecta).

Fr. Lambertus Engelbertus de Fiseu, totius ordinis Canonicorum regularium Stae Crucis Praepositus Generalis primariaeque ejusdem ordinis Canoniae in Claro Loco juxta Huum Major Prior etc. etc.

Sub actu visitationis Canoniae nostrae Udensis 19na Julii et sequentibus diebus anni 1771 institutae, compertum est nobis, quod ab anno 1765, quo ultima praefatae Canoniae visitatio instituta est, irrepserint defectus nonnulli, etiam tunc ordinatis directe repugnantes, quibus proinde ex officio occurrere volentes, sequentia ordinanda ac statuenda duximus.

Intendentes omnimodam uniformitatem non solum in vita et disciplina regulari, sed etiam in habitu religioso, volumus ut imposterum manicae togarum inferius sint clausae non vero apertae, et anterius aequaliter omnibus cum nodulis, utque omnes sub toga alba talari subcollare non nigri sed albi coloris [gestent], monentes Amplissimum Dominum Priorem, ut unifor-

mitati seduloi nvigilet, et pro facultate domus, unicuique, sicut cuique opus erit, paterne subministret.

Pro comperto habentes, cellariatum aliaque notabilia officia Fratribus laicis commissa, non solum murmurationis et dissentionis motiva praebuisse, sed et honorem sacerdotibus debitum, saepius in hac domo abstulisse, monemus amplissimum Dominum Priorem, sicut et Reverendum Dominum Subpriorem, ut deinceps Fratres laicos melius instruant, subordinationem, obedientiam, humilitatem eos doceant, et delinquentes corripere non omittant.

Attentis infirmitatibus Amplissimi Domini Prioris ejusque provecta aetate, ut a nimio onere sublevetur, nominamus ei in adjutorem in temporalibus Reverendum Dominum Confratrem Smits et in cellarium simul et sacristam Rdum Dominum Confratrem Princen.

Inhaerentes decreto Sacrae Congregationis Episcoporum et regularium, de 18va 7^bris^ anni 1769, praecipienti observantiam omnium legum et ordinationum, per tria sequentia capitula generalia approbatarum, volumus, ut statutum abstinentiae a carnibus certis quibusdam anni temporibus, quod inter praecipua instituti nostri momenta censeri debet, quodque abrogare aut penitus dissolvere non possumus, in suo vigore maneat, donec et usque S. Sedes ab ejus observatione nos absolvat (*a*).

(*a*) „Rdmus Praepositus Generalis anno 1771 Canonias Ordinis visitans, ursit ad antiqua, maxime in his punctis de abstinentia in adventu ac feriis 4tis per annum, quae pro parte maxima jam dudum abrogata erant". Fr. Wynantz in notis ad statuta anni 1765 in capite libelli.

N°. 391. 29 Sept. 1771.

Scedula obitus Fr. Henr. Seulen, Prioris conventus Leodiensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Anno reparatae salutis 1771, mensis 7bris die 29 circa undecimam vespertinam, in domo nostra canonicorum regularium Ordinis S. Crucis Leodii, consuetis S. Romanae ecclesiae sacramentis rite munitus, post longam infirmitatem patientissime toleratam, pie obdormivit in Domino, Reverendus admodum, Amplissimus ac Doctissimus Dominus D. Henricus Seulen, ejusdem canoniae per annos 25 Prior meritissimus, ac pluries ordinis Definitor, annum aetatis agens 76; Religiosae Professionis 56; Jubilaei 6; Sacerdotii vero 51; vir cujus discreta ac indefessa subditorum cura amorem desideriumque sui plurimum commendavit: ad omnia vigilantissimus: vitam agens solitariam, plus Deo quam hominibus placere studuit.

De cujus salute valde quidem confidimus, ast, quia alia sunt Dei et hominum judicia, ideo siquid purgantibus flammis luendum supersit, preces et sacrificia vestra ex charitate postulamus ut quantocius aeterna requiescat in pace.

[Adscripsit Fr. W. WYNANTZ].

Successit ex capitularibus Josephus Namur, obiit 1774 aet. 76.

Successit Jacobus Sequer; hic cum majore parte conventus tentans saecularizationem, sumptuosam litem (triumphante ordinis Praeposito Generali) amisit, deinde sub notabili annua pensione a° 1778 Prioratum resignavit.

Successit Augustinus Husquin Senior, olim Prior Parisiensis, obiit a° 1786.

Successit Mathaeus Billart.

Hic ab officio deportatus est, et successit Franc. Bertho, obiit 1793; successit Petrus Fossoul.

N°. 392. 20 Nov. 1771.

Rogant Prior et conventus Trajectensis consensum Magistri Generalis, ad novitium admittendum.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

[Subscripserunt Fr. W. Jacobs Prior et novem Fratres].

N°. 393. 1771.

Misera egestatis conditio conventus Duysburgensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Frater Lambertus Engelbertus Fisen, totius ordinis Canonicorum regularium Sanctae Crucis Praepositus Generalis.

Dilectis nobis in Christo Fratribus Sacri Ordinis nostri Definitoribus, Vicariis Generalibus et Prioribus salutem.

Fratres nostri Duisburgenses, uti fere toti ordini notum est, ad magnam sunt redacti penuriam; non habentes unde vel tenuiter alimententur: coacti ergo erunt pro solvendis Regi contributionibus, accisiis, aliisque necessitatibus singulis annis contrahere debita, quae tandem paucos ipsorum redditus absument, et ecclesia ac aedificia defectu debitae reparationis corruent, sicque fiet, ut ista Canonia a Rege Prusiae detur reformatis, qui illam jam pridem reclamaverunt, allegantes, illam non esse in statu aedificia intertinendi, nec alendi religiosos sufficientes pro choro et servitio populi. Compassi modo sunt Amplissimi Domini Priores Byenburgensis, Mariae Pacensis et Dusseldorpiensis, qui promiserunt ipsis ad aliquot annos singulis annis unum ducatum, et nos duos: sed quid hoc pro tanta miseria? Partium nostrarum esse credimus, ne interitus et jactura istius Canoniae, nostrae desidiae et incuriae imputari queat, omnes Amplissimos Dominos Priores hortari, uti hisce per Sacratissima Christi vulnera hortamur, ut pro posse suo pauperibus istis

fratribus nostris succurrant, considerantes, ipsos aliis pauperibus esse praeferendos [Caetera humore chartae evanuere, legi tamen adhuc potest annus 1771].

N°. 394. 21 Maii 1773.

Scedula obitus Rev. Ant. Loverix, Alti Nemoris Prioris.

(Scedula obitus, typis D. Mackay, Ruraemundae, in fol.).

Jesus Christus Crucifixus.

Anno reparatae salutis 1773, die 21 Maii circa horam quintam postmeridianam in domo nostra Altinemorana, vulgo Hohenbusch, Canonicorum regularium S. ac exempti Ordinis Sanctae Crucis, consuetis Sanctae Romanae ecclesiae Sacramentis, ac generali absolutione praemunitus, pie in Domino obdormivit plurimum Reverendus ac Amplissimus Dominus, D. Antonius Loverix, praefatae domus Prior et quondam Definitor, anno aetatis suae 67 completo, professionis 46, sacerdotii 43, Prioratus 22, cujus perdilectam animam (si a coelesti beatorum consortio retardaretur) precibus, et respective, sacrificiis enixe recommendamus, ut quantocius aeterna requiescat in pace.

Supprior et Confratres.

N°. 395. 29 Nov. 1773.

Major Prior de Fisen mandat Priori Agathensi, ut praesideat electioni Prioris domus Udensis (*a*).

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis).

(*a*) Ex epistola Prioris S. Agathae ad Magistrum Generalem scripta patet misera egestatis conditio conventus Udensis, ita ut fratres vix vitae necessaria habuerint.

N°. 396. 22 April. 1774.

Plenaria indulgentia in perpetuum Ordini S. Crucis concessa, lucranda in utroque festo S. Crucis.

(Apographum auth., impressum in tabulario conventus S. Agathae).

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam, ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, coelestibus ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus, et singulis utriusque sexus Christi Fidelibus, vere poenitentibus et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis ordinis Canonicorum regularium Crucigerorum, nuncupatorum vulgo Croisier, ubique existentibus, in inventionis et exaltationis Sanctae Crucis festis diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint; quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumtis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, in judicio et extra, adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, XXII Aprilis MDCCLXXIV, Pontificatus nostri anno quinto.

Sign. N. Card. Nigronus.

Per copiam conformem originali quod testor,

Leonardus Bottin,

Notarius Apostolicus.

Praesentes sigillo meo munivi hac 20ma Augusti 1774.

F. L. Meyers,

Prior Montis Orientis, Ordinis S. Crucis Definitor, ac
Protonotarius Apostolicus (a).

N°. 397. 14 et 15 Junii 1774.

Praecautionis actus, ut, mortuo Magistro Generali, quam primum successor possit eligi.

(Apographum in tabulario conventus Udensis).

In nomine Domini.

Praesenti instrumento omnibus, quorum interest, notum sit, quod anno Domini 1774, mensis Junii 14ta et sequente, praeside Rdissimo Domino Engelberto de Fisen, totius ordinis Canonicorum regularium Stae Crucis Praeposito Generali, nos infrascripti ultimi capituli generalis definitores, in domo primaria Huyensi, specialiter comparuerimus ex una parte, ex altera vero Rdus Adm Dominus Subprior et RR. DD. confratres primariae canoniae capitulares, qui expresse in unum congregati, ad effectum tollendi et praecavendi quascumque confusiones et difficultates, praesertim in puncto electionis Rdissimi Domini ordinis nostri Generalis, jam dudum ortas et imposterum forte orituras, condeliberatione habita et unanimi voto procedentes, proposita dubia resolverunt, et pro temporibus futuris sequentia ordinanda duxerunt.

Ad primum dubium. Ad quos vacante generalatu spectet jus convocandi absentes et determinandi diem electionis.

Respondetur. Juxta decisionem capituli generalis de a° 1478 et sequentibus capitulis approbatam et confirmatam, nec non juxta

(a) Hic scripsit ad Priorem S. Agathae epistolam, cui bullae exemplar involutum erat, ex qua patet, ejus ministerio hanc gratiam ordini acquisitam: rogat proinde a Priore quatuor solidos pro expensis.

praxin ducentis annis usitatam, jus convocandi et determinandi electionis diem manebit penes capitulares de gremio, in canonia primaria existentes. Citatoriae vero sub ordinaria forma exaratae diemque obitus Rdissimi Generalis exprimentes, debito modo, id est, a secretario capitulariter electo subscribentur, et cum ex ipso jure detur trimestre ad electionem principalium dignitatum, ac constet ex ipsis praecedentium electionum instrumentis, trinum ultra mensem fuisse protractum, hinc deinceps pro termino congruo et discreto ad minus sex septimanae absentibus ad comparendum dabuntur, et juxta praxin antiquam citatoriae, ab absentibus definitoribus et excondefinitoribus (*a*) receptae, subsignabuntur, et pro sufficiente notitia Huyum remittentur.

Ad 2[dum] dubium. An scilicet Subprior Huyensis sit praeses et scrutator primarius in electione Rdissimi Generalis, an hoc competat primario ordinis definitori?

Resp. et via compositionis statuitur pro futuris electionibus, primarium definitorem esse electionis Rdissimi Generalis, qua totius ordinis capitis, praesidem et primarium scrutatorem, ita tamen ut Rdo admodum Domino Subpriori, qua primariae canoniae capiti, praesidi et juxta praxin antiquam scrutatori, competat proclamare Generalem neoelectum, tanquam majorem et Priorem proprium.

Ad 3[tium] dubium. An Confratres Huyenses a Rdissimo Domino Generali denominati et instituti Priores in partibus, habeant votum in electione Majoris Prioris?

R. Cum nobis relatum sit, praefatos Priores esse ad nutum amovibiles et mere titulares, declaramus et statuimus hos esse et manere conventuales cum voce elocatos; consequenter jus conservare ad electionem Rdissimi Domini Generalis, quod tamen intelligi nequit de confratribus Huyensibus in alienis domibus canonice electis, et irrevocabiliter ad canonias, ubi fieri

(*a*) Sc quatuor actualibus et quatuor ultimis exdefinitoribus, ut utar verbis Fr. Wynantz in notis ad statuta anni 1660, pag. 87.

potest electio, denominatis. In quorum omnium fidem, praesentes subscripsimus. Actum ut supra anno mense et die.

Erat signatum: F. LAMBERTUS ENGELBERTUS FISEN,
Generalis.

F. WILH. JACOBS,
Prior Traject. et ord. Definitor.

F. LAMBERTUS MEYERS,
Prior Montis Orientis et Definitor.

F. PETRUS WINGAERTS,
Prior Dusseldorpiensis et ord. Definitor.

F. J. MERTENS,
Prior et ordinis Definitor.

F. J. P. NOVILLE,
Subprior.

F. J. BIME,
Procurator.

[Sequuntur adhuc nomina septem Fratrum Canoniae Huyensis].

N°. 398. 15 Junii 1774.

Recursus Romam pro obtinenda venia celebrandi capitulum generale singulis sexenniis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Decretum Definitorii.

Infrascripti Perillustris ac Rdissimus D. Praepositus Generalis, et Definitores ultimi capituli generalis, attendentes ad n. 36, dist. 2, cap. 6, *Constitutionum* ordinis nostri, incipientem: „porro ad communem necessitatem et utilitatem ordinis" et signanter ad proficuum seu utile, resultans ex dilatione visitationum ac capitulorum generalium, casu quo dispensatione pontificia haec dilatio valeat impetrari: ea propter praesentium tenore re-

quirimus et mandamus omnibus et singulis ordinis nostri Prioribus, quatenus ad effectum praemissorum unam taxam indilate solvant.

Actum in primaria ordinis nostri canonia juxta Huum, hac 15ta Junii 1774.

Erat subsignatum: F. L. E. de Fisen,
Generalis.

F. W. Jacobs,
Prior Trajectensis ac Ordinis Definitor,

F. L. Meyer,
Prior Montis Orientis ac Ordinis Definitor.

F. Weingart,
Prior Dusselanus Ordinis Definitor.

F. G. Mertens,
Prior Mariae Pacis ac Ordinis Definitor.

N°. 399. 11 Martii 1775.

Prior et conventus Leodiensis coram protonotario Apostolico cedunt aedes monasterii Episcopo Leodiensi, ut inde nosocomium fiat.

(Apographum in tabulario conventus Udensis).

Anno Domini 1775 mensis Martii die 11ma, coram me protonotario Apostolico ac testibus infra nominandis comparuerunt R.R. D.D. Jacobus Zeguers, Augustinus Hustsin, Joannes Louvat, Petrus Fossoul, Lambertus Devenne, Andreas Philippart, Franciscus Bertho, Petrus Renardi, Mathaeus Billart, omnes respective Prior et Canonici regulares Stae Crucis, Cruciger nuncupati, domus Leodiensis, qui sponte sua nobis declararunt se consentire, prout consentiunt, suppressioni sui monasterii, favore hospitalis generalis sub conditionibus sequentibus, scilicet:

Primo. Quod post dictam suppressionem cuique eorum liberum sit, sese recipere vitamque suam transigere apud parentes

consanguineosque suos, sub regimine ac jurisdictione celsissimi Episcopi Leodiensis, ac de rebus ab ipsis possessis disponere per testamentum aut alio quovis honesto ac beneviso modo.

2do. Quod sustentationi R. admodum Domini Prioris provideatur per annuam ac vitalitiam pensionem mille quingentorum Brabantiae florenorum, affectandam super bonis dicti monasterii, facta eidem R. D. Priori facultate, asportandi secum in exitu e monasterio, sibique habendi mobilia designanda in inventario, conficiendo coram Perillustri Domino Vicario Generali Leodiensi, aut ejus deputato.

3tio. Quod sustentationi singulorum canonicorum capitularium praedictorum, pariter provideatur per annuam ac vitalitiam pensionem mille florenorum similium, super iisdem bonis affectandam, facta similiter iisdem potestate, asportandi secum in exitu e monasterio ac sibi habendi mobilia suorum respective cubiculorum, pariter specificanda in inventario, ut supra conficiendo; ultra quae cuilibet canonico e domo suppressa exeunti semel numerabuntur quingenti floreni, ad ulteriora mobilia sibi comparanda.

4to. Quatuor Fratribus laicis professis ejus monasterii providebitur, per pensionem annuam ac vitalitiam quadringentorum Brabantiae florenorum, facta etiam iisdem potestate, mobilia suorum cubiculorum, ut supra specificanda, asportandi ac sibi habendi cum ducentis florenis in exitu e suppresso monasterio, iisdem semel numerandis, pro ulterioribus sibi comparandis mobilibus.

5to. Dictae pensiones singulis trimestribus ipsis anticipative persolventur.

Quibus mediantibus consensum suum ut supra praestant, ad quem ubilibet et coram quibuslibet renovandum, constituunt quoscumque praesentium latores. Acta sunt Leodii in supra dicto monasterio, anno et die quibus supra; praesentibus tanquam testibus ad id specialiter vocatis ac requisitis, R. D. P. F.

Henault et R. D. J. H. J. E. Bovi, qui cum supradictis canonicis comparentibus hujus minutam signarunt.

Signatum erat: J. Defays,
Protonotarius Apostolicus in fidem.

N. B. Confratres Hustzin, Devenne et Bertho declararunt et attestati sunt coram Notario et testibus, quod nullatenus, ut sese eximerent ab obedientia, quam Rmo Domino suo Praeposito Generali debent, subsignaverint petitionem suppressionis canoniae suae Leodiensis; verum quod illam non nisi maximis importunitatibus ac vehementissimis sollicitationibus, tam ex parte Rmi Domini Vicarii Generalis Leodiensis ac ejus Secretarii quam sui Prioris factis, subsignaverint, quam proinde signaturam pro nulla et invalida et non adventa existimant et haberi volunt, utpote facta ipsis invitis deficientibusque similis negotii discussione ac examine etc. etc.

Finaliter tandem declararunt se velle vivere et mori in dicta sua canonia Leodiensi, quam gratiam humillime a Sanctissimo Domino nostro, Domino Papa obtinere deprecantur (*a*).

N°. 400. 1775.

Respondet Fr. L. Meyers ad citationem Nuntii Apostolici de suppressione canoniae Leodiensis.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Tenor informationis Domini Meyers in Nuntiatura Coloniensi.

Excellentissime Illustrissimeque Domine Nuntie Apostolice, cum potestate legati de latere etc.

Infrascriptus, qua capitularis canoniae S. Crucis Leodiensis

(*a*) »N. B. Vicarius Generalis Leodiensis est pro parte rebellium, verum Rdmus D. Generalis supplicat Viennae pro manutenentia privilegii Caesarei *de non turbando*". Fr. Wynantz in notis ad statuta anni 1765.

B. 47.

citatus, ad informandum Excellentissimam dignitatem vestram super contentis in supplica a Rmo Generali meo, Sanctissimo Pontifici Pio VI praesentata, in fidem veritatis sequentia declarabit.

Primo. Quod gravamina, de quibus in supplica Rmi Domini Generalis mei, non tangant me, utpote omnino mihi extranea, et tanquam negotium seu res inter alios acta.

2do. Quod quidem emiserim solemnia religionis vota in canonia regularium Ordinis S. Crucis Leodii, et in ea fuerim Philosophiae et Theologiae Professor per quinque annos et procurator per octo.

3tio. Quod a Rmo Generali meo nominatus fuerim ad Prioratum titularem, in partibus Lutheranis situm, et Montis Orientis nuncupatum, cujus fructus et proventus sunt omnino exigui et ad victum prorsus insufficientes, nec reddiderint annue 35 imperiales a tempore possessionis meae.

4to. Quod domus istius Prioratus titularis a saeculo funditus sit diruta, ejus pertinentiae ab acatholicis possessae et occupatae; consequenter non reperiatur tutus ad locum accessus, nec ulla residentia religiosa.

5to. Quod intuitu praemissorum vi nominationis ad hunc titularem Prioratum, tenear sub poena privationis ac nullitatis collationis, fixam habere ac tenere residentiam in canonia professionis meae, nempe Leodiensi.

6to. Quod in hunc usque diem cameram, libros, ornamenta sacerdotalia etc. in dicta professionis meae canonia retinuerim, et celebrationem caeteraque religiosa munia praestiterim ac sine intermissione servaverim.

7mo. Quod qua capitularis ad ultimam electionem Prioralem fuerim citatus et canonice vocatus, licet pro hac vice voto meo activo et passivo renuntiaverim.

8vo. Quod jure naturali et canonico, a fortiori statutario, cuilibet religioso, maxime Priori ac ordinis definitori, ex propria

professionis domo debita sit congrua ad vitam portio, deficientibus aliunde mediis.

9no. Quod praemissis attentis, jus verum, reale et locale habeam ad propriam canoniam professionis meae, jus agnitum a caeteris confratribus et ab ipsomet Rmo Vicario Generali Leodiensi fassum.

10mo. Consequenter quod non censear aliam canoniam sponsasse, sicut sponsant Priores in alienis domibus electi, in quibus plenum jus, domicilium integrum et statum perfectum acquirunt, vi quorum de jure mittunt votum et capitularitatem in domibus suae professionis, ac ideo Leodienses jus meum agnoscentes, Priorem Colensem formali protestatione excludunt.

11mo. His consideratis et agnitis, Rmus Dominus Vicarius Generalis expresse vocavit me et informavit de intentione celsissimi Episcopi principis, in favorem hospitalis generalis atque de consensu omnium confratrum parato, et sequenti die notarialiter praestito, juxta mentem et desiderium aulae praefati celsissimi principis.

12mo. Rogatus a Rmo Domino Vicario Generali, quatenus de praemissis informarem Generalem meum, personaliter adivi eum, communicavi et informavi: ast nec suasit mihi ullam protestationem nec oppositionem, sed intentum aegre ferens, respondit mihi, „si Roma concedat, fiat voluntas".

13mo. Qua Prior ac ordinis definitor, exposui quidem Rmo Domino Vicario Generali exempla et inconvenientia ex suppressione istius canoniae oritura: ast mihi respondit juxta hanc juris regulam: „quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum". Reg. LXXXIV. Ac insuper declaravit necessitatem formandi hospitale generale in urbe capitali patriae; nocere non posse canoniis extra civitatem jacentibus et maxime curam animarum habentibus, adeoque juxta regulam juris LXXVIII „in argumentum trahi nequeunt, quae propter necessitatem aliquando concessa sunt", ut praesertim, si atten-

datur, quod canoniae Leodiensi nulla sit annexa animarum cura, qua propter quoad caeteras ordinis nostri canonias oblata est ex parte Episcopi tota protectio ac securitas.

14mo. His accedit notitia, quam habet Episcopus fundationum et eleemosynarum, summa cum injustitia neglectarum, notitia otii et inscitiae plurimorum religiosorum, notitia clausularum apostolici brevis Innocentii IV, ad Henricum Episcopum Leodiensem, qua delegatum S. Sedis nempe pro erectione, „postulata concedas, si videris expedire" salva Episcopi dioecesani canonica justitia etc. tandem notitia suppressionis variarum ordinis nostri canoniarum hisce temporibus sola auctoritate aut regali aut principis territorialis penitus extinctarum,

15mo. Quod attinet oppignorationes exprobratas, cum in his nullam habuerim partem, ut fatebitur ipsemet Generalis, hinc quia longius foret earum causas et originem recensere, abstraham ab illis, nec de me loquitur praefatus Generalis, allegans excussionem jugi obedientiae, desiderium independentis et liberae vitae etc. cum abunde sciat, quae et quanta quotidie patiar et praestem pro tuitione et conservatione variarum ordinis mei canoniarum, tum in Westphalia, tum in Germania, sub forti manu principum existentium etc. Praemissa submitto perspicacissimo excellentissimae dignitatis vestrae judicio ac perenni cum respectu profundissimo excellentissimae dignitatis vestrae.

Signatum: Obedientissimus ac devinctissimus filius.

F. L. MEYERS,
Prior Montis Orientis, Canoniae Stae Crucis
Leodiensis Capitularis.

N°. 401. 27 Oct. 1775.

Rogantur ordinis Priores, ut libello supplici, Romam mittendo, subscribant, si desiderant, ut capitula generalia singulis sexenniis celebrentur.

(Autographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Circulares ab Amplissimo Definitorio 27 8^{bris} 1775.

Infrascripti Priores ac Procuratores Ordinis S. Crucis, ad ordinationes capitulorum generalium votum et interesse habentes, enixi motivis et rationibus hodiedum aggravatis, quibus Patres nostri anno 1677 ydibus 8^{bris} benigne obtinuerunt dilationem capitulorum generalium ad triennium, vigore bullae Innocentii XI, S. Pontificis, hic adjunctae, praesertim vero attendentes ad placita et mandata regalia, quibus nunc obnoxiae sunt variae ordinis nostri Canoniae etc., praesentium tenore declaramus, nos requisiisse, prout per praesentes requirimus et enixe efflagitamus, quatenus modernum definitorium exponenda exponat et supplicet in curia Romana pro expeditione capitulorum et visitationum generalium ad sexennium. In quorum fidem et robur praesentes subscripsimus.

F. Golsheim, Prior Duisburgensis.
F. A. Basten, Procurator Mariae Pacis.
F. H. Gossens, Prior Embricensis.
F. G. Martens, Procurator Embricensis.

Plurimum Reverendi Amplissimi Domini Priores ac Reverendi Domini Procuratores.

Notum sit omnibus, ad quos hae pervenerint litterae, quod anno praeterito in Junio, Definitorium ordinis in primaria canonia Huyensi, ad instantiam Rmi Domini Generalis nostri, fuerit extraordinarie congregatum, varia ordinis negotia inter Rmum, capitulum Huiense, nec non definitorium, fuerint trac-

tata et ab iis decisa, inter alia etiam definitorium proposuerit ac supplicaverit, quatenus Rmus pro bono ordinis consentire vellet, ut deinceps capitula et visitationes singulis sexenniis dumtaxat serventur. Precibus et motivis inductus Rmus gratiose consentiit, ut nomine sui et ordinis Definitores in curia Romana pro impetranda *brevi di*lationis supplicarent, quod et statim factum est. Verum gratia differendi capitula generalia ad sexennium expediri nequit, nisi conformiter ad preces expressas in bulla Innocentii XI, nempe „supplicantibus praevie omnibus, aut fere om*nibus ad* ca*pitulu*m generale votum habentibus"; hinc congregatio Ep*iscoporum et regularium res*pondet: „proponantur in capi*tulo* ad de*cretum legitimum faciendum*. *Ag*ens noster Romanus res*cripsit* (*a*) nobis, unicum dari medium supplendi resolutionem proximi capituli generalis, nempe subscribendo adjacens instrumentum. [Quod] hoc subsignato ab omnibus Prioribus et Procuratoribus, aut in eorum loco designato confratre, qua procuratore pro hocce actu, desiderata gratia ante festa Natalia expediri possit, refert agens noster.

Quare Amplissimi Domini Priores et Procuratores Canoniarum Embricensis, S. Agathae, Udensis, Venlonensis, Dulkensis, Brugensis, Ruraemundensis, Mosacensis, dignemini adjunctum commissorium subscribere, et quisque sibi viciniori statim transmittat; Mosacensis vero indilate ad manum Amplissimi Montis Orientis dirigat, queis toto cultu persisto.

Servus Officiosissimus.

F. IG. MERTENS,
Prior et Ordinis Definitor.

Mariae Pacis, 17ma 8bris 1775.

(*a*) Charta a muribus exesa est. Perdita ex mente scriptoris supplevi, literis italicis distincta.

N°. 402. 6 Jan. 1776.

S. Congregatio Cardinalium indulget, ut differatur capitulum generale in aliud triennium.

(Impressum in fol. in tabulario conventus S. Agathae).

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

Nel General definitorio straordinariamente Congregato nel giugno dello scorso anno 1774, dal Praeposito generale dell' Ordine di S. Croce nella primaria Canonica e Monastero della Citta di Hui fu unanimamente risolute che 'attesi i molti cambiamenti, e le molte circostanze col tratto del tempo sopravenute in pregiudizio dell' ordine rendendosi sommamente gravosa ed in parte ancora ineseguibile la visita generale, non meno che la convocazione del general Capitola di triennio in triennio, supplicarsi dovesse la S. Sede, per che le indicate visite, e Capitoli generali dell' ordine si dovessero quindi innanzi celebrare di sessennio in sessennio nella stessa guisa che per decreto della S. me. di Innocenzo XI, fu nell' anne 1677, stabilito, che celebrarsi si dovessero non piú di anno, in anno ma di triennio in triennio.

In sequito di tal resoluzione essendone stata presentata supplica fin dal settembre dello scorso anno 1774 al sommo Pontefice allora regnante, e dal medesimo rimessa a questa sagra congregazione, piacque alla medesima di rescrivere. Proponatur instantia in primo Capitulo Generali, et deinde supplicent.

In venerazione di tal rescritto, si e data tutta la pena il Preposito generale dell' ordine di rimuovere al possibile, quelle difficoltà che troppo gravosa e forse anco inutile renderebbono la prossima convocazione del generale Capitolo, il quale intimar si dovrebbe nel venturo Febraio. Ben cungi per altro dall' esservi riuscito, ne hà trovati sempre maggiori gli ostacoli come l'EE. VV. Potranno rilevare dall' annessa originale rimostranza del definitor generale dell. ordine come specialmente deputato

à questo effetto lett. A in tale stato di cose quanti sono i Priori, Procuratori delle differenti Canonie, e Monasteri dell' ordine sparsi in vari e differenti Principati quali hanno diritto, e voce nel Capitolo generale, si sono creduti nella necessità non pure di prestare il loro consenso à tal richiesta dilazione, di sessennio in sessennio, mà ben anzi di unire ancor essi le loro suppliche, a quelle del general definitorio, perche voglia degnarsi la S. Sede di differire e stabilire le visite, e Capitoli generali dell' ordine di sei in sei anni come l'EE. loro potranno conoscere dall' annesse origiginali due suppliche Dei medesimi segnate lett. B. C.

Si come per tanto in si fatto consentimento ed istanza di tutti i vocali unanimamente concordi nella medefima non pure equivale, ma prepondera per la sua unanimità all' istanza che far se ne potesse dà un Capitolo generale nel quale la sola pluralità de voti terrebbe luogo d'istanza, ed essendo all' incontro imminente il tempo in cui dovrebbe seguire l'intimazione del Capitolo, quindi e che tanto il Preposito generale, quanto il suo definitorio e tutti i vocali unanimamente concordi supplicano l'EE, loro perche voglian degnarsi di ordinare che le visite, e i Capitoli generali dell' ordine debbano differirsi, e tenersi soltanto di sesseunio in sessennio che della grazia, etc.

Ex audientia Sanctissimi habita ab infrascripto Domino Secretario Sacrae Congregationis Episcoporum et regularium, sub die 6 Januarii 1776, Sanctitas sua, attentis expositis, benigne annuit pro prorogatione proximi capituli generalis ad aliud triennium, prorogata etiam facultate superiorum et officialium et deinde proposita instantia in capitulo generali iterum supplicent.

Romae, etc. *Signat.* F. Cardinalis CARAFA,
Loco (+) Sigilli. **Praeses P. Archiepiscopus Sedensis Secretarius.**

Per copiam originali conformem, quod attestor,
F. L. MEYERS,
L. S. **Protonotarius Apostolicus in fidem sub.**

N°. 403. 9 Febr. 1776.

Respondet Fr. L. Meyers ad citationem Magistri Generalis de suppressione canoniae Leodiensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Requirimus et monemus Amplissimum plurimumque Reverendissimum Dominum Meyers, Priorem et actualem ordinis nostri Definitorem, ut coram Notario hisce munito, se (ut alii Priores ordinis et Definitores fecerunt, et in littera circulari ab Amplissimo Primario Definitore Trajectensi ad ipsum missa vidit) declaret super impetitam suppressionem canoniae nostrae Leodiensis, an illam ap- vel improbet.

Datum in Claro Loco, sexta Februarii 1776.

Signatum: F. L. E. FISEN, Generalis.

De Mandato Perillustris et Rmi Domini mei,

Subsignatum: F. LAMB. HAYWEGHEN, Secret.

Sequitur Relatio insinuationis.

Insinuata fuit per me infrascriptum Notarium hac 7ma Februarii 1776 praesens ordinatio in Rdissimum Dominum Meyers, qui dixit se responsionem suam quam primum in scriptis praestiturum.

Erat signatum: GLMUS DE BLEBET,
Curiae Episcopalis Leodiensis Notarius subs.

Sequitur Responsio R. D. Meyers.

Ego a Rmo Generali meo in forma juris requisitus, an apvel improbem suppressionem canoniae Crucigerorum Leodiensium, hisce declaro:

1mo. Me huic quaestioni jam respondisse, ac eo circa denuo inhaerere clarissimae, judiciali, ac communicabili informationi

meae ad Excellentissimum Dominum Nuntium Coloniensem, qua judicem informatorem directae.

2do. Jus meum ad domum Leodiensem, loco et tempore reclamatum, debite agnitum fuisse (etiam oblatis mihi canoniae praerogativis) quidem tanquam praevalens juri Confratris Heustzin, de voluntaria alienatione et suppressione Prioratus sui convicti: idque abstrahendo a quocumque in suppressionem vel reunionem canoniae Leodiensis consensu vel dissensu, et insistendo desuper constitutionibus apostolicis summorum pontificum, Pauli V et Urbani VIII, nec non responsioni ipsiusmet Rmi Domini Generalis, si Roma concedat, fiat voluntas.

3^{tio}. Me quidem vidisse et accepisse duas circulares, unam a Definitoribus improbatam, tanquam veritati, statutis et juri dissonam (testibus responsoriis ad Priorem Colensem) alteram vero propter falsitates, contradictiones, nec non detractiones et injurias, ad acta in celsissimum Principem Episcopum, et in me perperam conjectas, nec hucusque purgatas, subscriptione mea nequaquam muniendas.

4to. Plurimos Amplissimos Dominos Definitores Priores hisce diebus mihi significasse mihique notificasse, Rmum Dominum Generalem et Priorem Colensem esse solos actores, solosque omnes expensas solvere teneri ac definitorium, favore totius ordinis, in forma protestari debere, contra quascumque expensas, nec Rmum Dominum Generalem in aeternum demonstrare posse, jus sibi competere, sine consilio, sine scitu, sine consensu definitorii, ardua ordinis negotia tractandi, agentes sibi bene visos et multiplices constituendi etc. etc. Haec declarata sunt coram me infrascripto Notario Leodii, nona Februarii 1776.

Signatum: F. L. Meyers,
Prior Montis Orientis et Ordinis S. Crucis Definitor.

Erat signatum: Quod Testor idem de Bleret,
Not.

N°. 404. 22 Martii 1776.

Causa Canonicorum Leodiensium de suppressione sui conventus ventilatur in curia caesarea Viennae.

(Chirographum Prioris in Colen, deinde Magistri Generalis, in tabulario conventus S. Agathae.

Amplissime Plurimumque Reverende Domine.

Quod amplitudo vestra meas circulares subsignare dignata sit, maximas ago gratias: quod usque nunc facere distuli, eo quod sperarem me simul vobis notificaturum votum Excellentissimi Nuntii Coloniensis: sed fuit retardatum, quia Amplissimi Montis Orientis et Secretarius Vicarii Generalis Leodiensis Coloniam tenderunt et adhuc exhibuerunt volumen scriptorum, nobis communicatorum ad respondendum: quis hoc credidisset de isto definitore actuali, in ordinis destructionem laborante? prout videbis ex declarationibus hic junctis.

Scirem libenter, utrum amplitudo vestra receperit expositionem capitularem rebellium Leodiensium, de 16 Januarii in qua dicunt „domum suam aliter non videri conservandam quam etc." videbis tamen ex copia instrumenti hic juncti, quod debeat esse ditissima, si tam pingues possent adipisci pensiones.

Noverit amplitudo sua, quod Dominus Vicarius Leodiensis, ut in curia Romana facilius obtineret suppressionem domus nostrae Leodiensis, in prima sua ad sedem Romanam supplica, exhibuerit, quasi celsissimus Episcopus noster jam consensum obtinuisset ab imperatore: quo percepto debuimus recursum habere in supremo tribunali aulico et vi privilegiorum caesareorum, nostro S. Ordini concessorum, ab imperatoribus felicissimae recordationis, Friderico et Carolo ejus nominis quinto, nec non Leopoldo: obtinuimus sequentia.

Copia Rescripti caesarei ad Dominum Episcopum et Principem Leodiensem.

Josephus II etc.

Docebunt devotionem tuam annexa libellorum exempla, quibus ex rationibus Lambertus Engelbertus de Fisen, Magister Generalis Cruciferorum Ordinis Sti Augustini in Claro Loco prope Huyum et Jacobus Dubois, ejusdem ordinis Prior in Colen, praeter jus et aequum sese gravatos sentiant et pro decernendo mandato cassatorio et inhibitorio s. c. de non turbando in gratiis, libertatibus, privilegiis caesareis etc., annexa citatione solita et cum excitatione fisci nostri imperialis aulici humillime supplicent.

Nos in causa accuratius progressuri, devotioni tuae harum vigore injungimus, ut nos super querelis implorantium, in termino duorum mensium ab insinuatione proximo, quam humillime informet: interim vero et donec nos ulterius hac in re ordinaverimus, in debitum nobis atque supremae juridictioni nostrae respectum, nihil in praejudicium implorantium fieri permittat; impletura est in eo clementissimam voluntatem nostram, qui gratia caesarea devotioni tuae propensi manemus. Datum Viennae, die 10 Augusti 1775.

Lunae, 20 9bris 1775.

De Fisen Cruciferorum Magister contra Dominum Episcopum Leodiensem.

Mandati puncto violationis privilegiorum caesareorum et libertatis, sive partis impetrantis mandatarius a Gretzmiller, sub praestito 16 hujus documentat de insinuato rescripto, juncta accusatione lapsus termini et supplicat pro clementissime deficientibus adhuc informatorialibus decernendo, retro petito mandato s. c. appon. sign. O et ultim. concl.

E contra impetratae partis mandatarius Vacano sub praestito eodem purgando moram supplicat pro clementissime concedendo alio termino bimestri ad informandum.

Apponitur conclusio.

Detur Domino Episcopo et Principi Leodiensi petitus terminus duorum mensium ad satisfaciendum rescripto caesareo de 10 Augusti anni currentis, ne alias severioribus ordinationibus caesareis opus sit.

Signatum: ANDREAS NOBILIS DE STOCK.

Lunae, 26 *Februarii* 1776.

De Fisen Cruciferorum Magister contra Dominum Episcopum Leodiensem.

Mandati puncto violationis privilegiorum, sive impetrans mandatarius a Gretzmiller, sub praestito 22 Januarii novissimi accusando lapsum termini, supplicat pro communicanda paritionis edoctione, aut decernendo secus retro petito mandato appon. concl.

E contra impetratus mandatarius a Schwannasini, sub praestito hodierno purgando moram, supplicat pro ulteriori termino bimestri ad informandum. Appon. ult. concl.

Detur Domino Principi et Episcopo Leodiensi petitus terminus duorum mensium ad satisfaciendum rescripto caesareo de 10 Augusti anni praeteriti, sub comminatione petiti a parte impetrante mandati, alias in contumaciam decernendi.

Signatum: ANDREAS NOBILIS DE STOCK.

Et sic speramus, quod simus obtenturi mandatum cassatorium seu sine clausula, quo obtento lis coram S. Nuntiatura debet cessare: quod autem princeps privilegia caesarea violaverit, con-

stat ex eo, quod cum simus exempti, repertorium tamen fieri curavit omnium in canonia Leodiensi existentium.

Maxima cum veneratione Subsignor,

Amplitudinis vestrae

Humillimus famulus,

Fr. JACOBUS DUBOIS, Prior.

Colen, by Borghloon, hac 22 Martii 1776.

N°. 405. 13 Nov. 1777.

Prior et conventus S. Agathae supplicant ordinibus Hollandiae Generalibus et Principi Auriaco, quatenus aliquos novitios sibi assumere liceat, cum conventuales saltem sint numero octo, ex quibus unus annum 66^{mum} et alius 71^{mum} attigerint.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 406. 29 Dec. 1777.

Romae causa ciciderunt Prior et conventus Leodiensis, canoniam supprimere molientium.

(Chirographum in tabulario conventus S. Agathae).

Amplissime Plurimumque Reverende Domine Prior,
Nepos Amantissime.

Volantissimo calamo Amplitudini vestrae communicare debeo hoc gaudiosum nuntium, Principem Leodiensem et rebelles confratres nostros Romae causa cecidisse: sic enim mihi ab Amplissimo Colensi, qui hanc causam nomine Reverendissimi nostri Domini Generalis egit, rescriptum est: „Rebelles Leodienses sunt Romae rejecti, insuper ordinata visitatio apostolica ad ipsos reformandos et puniendos, atque quod motores hujus litis sint a canonia amovendi, praeterea Principi Leodiensi impositum est silentium et desistentia a praetensa suppressione,

eo quod motiva allegata non sint sufficientia". Quibus relatis cum cordialissima apprecatione omnium desiderabilium secundum praesentis temporis circumstantias, aveque amicissimo, nec non cultu perenni emorior.

Amplitudinis vestrae
Integerrimus infimusque famulus,

Venlonae, 29na X^{bris} 1777. F. P. A. AB OEYEN,
Prior.

[Inscriptio est].

Amplissimo Plurimumque Reverendo Domino, Dno Loverix, Canonicorum Regularium S. et exempti Ordinis Sanctae Crucis, Priori meritissimo ad S. Agatham.

N°. 407. 1778—1796.

Acta duorum capitulorum Generalium, praeside Jacobo Gisberto Josepho du Bois, Magistro Generali.

(Acta anni 1779).

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Haec definita et ordinata sunt per nos F. Jacobum Gisbertum Josephum Dubois, Generalem, F. J. Arnoldum Odendahl, F. Petrum Antonium ab Oyen, F. Jacobum Corneli, F. Henricum Peters, respective domuum Coloniensis, Venlonensis, Alti-Nemorensis, ac Pontis Coeli, Priores et Definitores capituli generalis, 1779, 2 Maii et sequentibus diebus, in primaria Ordinis Stae Crucis canonia Clari Loci apud Huyum.

1mo. Approbata in ultimo capitulo generali 1773 per articulum 1^{mum} confirmamus, nempe: 4^{tum} et 5^{tum} capituli generalis anni 1770, qui articuli confirmati, prout et sequentes approbati, ad longum in omnibus domibus, confratribus congregatis praelegantur.

2do. Approbamus articulum 2^{dum}: *ut clarior circa statuta* et

item 3^{tium}: *ut paci et tranquillitati* etc., ita tamen ut per hunc articulum Rdissimo et Definitorio nolimus adimere aut adimi potestatem ordinandi et statuendi per statuta ipsis concessam.

3^{tio}. Approbamus articulum 4^{tum}: *ad tollendam* etc. et ita quidem, ut nunquam obsit bonis, quod quandoque posset prodesse malis, declaramus cum praerogativa et privilegiis et exemptionibus Priori bono et fideli administratori in conventu non suo, ob propriam impotentiam aut aliorum culpam cedenti officio aut ab eodem amoto, liberum hunc ad nativam [domum] (si tamen ita velit) competere reditum.

Item approbamus articulum 5^{tum}: *in electionibus* etc.

Item articulum 6^{tum}: *sede vacante* etc.

Item articulum 7^{mum}: *dolentes percepimus* etc.

Item 8^{vum}: In *memoriam revocamus* etc.

Item approbamus anno 1774 mensis Junii 14ta et sequente Huii ordinata et definita per Rdissimum Dominum Generalem p. m., per D.D. definitores capituli praecedentis ac D.D. confratres Huyenses, ita tamen, ut, ne occasione resolutionis 1^{mi} dubii, ordo noster post mortem Rdissimi longo nimis tempore sit acephalus et domus primaria cum damno et incommodo, immediato suo privetur rectore, nolimus, ut ultra 6 septimanas novi generalis differatur electio, nisi forte tempore hyemali, aëris inclementia concurrente, quorundam D.D. definitorum magna distantia ac aliae circumstantiae, a capitulo Huyensi prudenter attendendae, aliud suadeant, cum alioquin tempore aestivo etiam citius servari possit electio, dummodo post mensem a morte defuncti.

Novae ordinationes.

1mo. Dolenter vidimus et videmus quosdam religiosos, vestes et ordinem quodammodo erubescentes, cum ordinis dedecore extra canonias existentes, more saecularium incedere, vestitos vestibus alterius quam nigri coloris collariaque more saecularium gestantes; hinc hunc abusum tollere volentes, districte manda-

mus omnibus et singulis, ut non nisi vestibus nigris utantur exeuntes, ac collari regulari et non saeculari, praecipimusque Amplissimis D.D. Prioribus, ut suos verbo et exemplo ad regularem hunc usum moveant, ac immorigeros sub formali etiam obedientia cogant, extraneosque huic nostrae ordinationi adversantes propriis suis Prioribus denuntient.

2do. Attendentes motiva et rationes ab Amplissimis D.D. definitoribus capituli praecedentis, Huii, 15 Junii 1774, Rdissimo p. m. propositas, ad petendum a Sede Romana facultatem singulis tantummodo sexcenniis servandi capitulum generale, ac visitationem generalem, attendentesque Rdissimum defunctum iisdem rationibus motum, cum D.D. definitoribus dictam quidem difficultatem Roma sollicitasse, ob defectum autem expressi aliarum domuum consensus, per Sedem Romanam ad proximum generale capitulum remissum: hinc expresso nunc omnium domuum consensu subsistente, volumus, ut Rdissimus noster eandem gratiam denuo supplicet, domusque quaelibet in hunc finem ac pro aliis ordinis necessitatibus sine dilatione integram taxam 12 pataconum monetae Leodiensis solvat, secundum ordinationem definitorialem de anno 1774, 15 Junii.

3tio. Quia contingere potest, quod obtenta capitulum generale differendi ad sexcennium facultate, tempore isto intermedio ab uno ad aliud capitulum Rvendissimus indigeat DD. definitorum praesentia pro consilio aut auxilio; hinc iidem ad requisitionem ejusdem, aut post triennium, aut tempore Rdissimo bene viso, saltem semel Huyum venient, conformiter ordinationi capituli generalis anni 1634.

4to. Electionem novi Prioris nullam declaramus ipso facto, cui Rdissimus Dominus Generalis, neque per se neque per suum commissarium praesederit; ab hac tamen lege exemptos volumus domus Glindfeldensem [et] Helenae-Montanum, tum ob distantiam earum ab aliis ordinis domibus, tum ob privilegium ipsis olim

concessum: novi electi in Priores harum domuum pro confirmatione statim Rdissimum accedent.

5to. In memoriam revocamus articulum 7^{mum} de anno 1752 et sequentibus capitulis approbatum: ne certam in canoniarum nostrarum ruinam dotes consumantur, praecipimus eas ad census applicari, nisi causas ob gravissimas Rdissimus desuper dispensaverit; hanc dispensationem expresso cum mandato causis oeconomicis illis sedulo recuperandi concessurus, ut censui exponantur.

6to. Ne ordo ob literarum Rdissimo mittendarum copiam gravetur, volumus, ut omnes litterae a D.D. Prioribus ac Confratribus *franco* mittantur, saltem Leodium.

7mo. Mandamus, ut silentium, quod, quamvis religionis mater, in quibusdam domibus quodammodo exulare videtur, strictius locis et temporibus debite servetur.

8vo. In Vicarium Generalem ad Tractum Mosae denominamus Amplissimum Dominum Agathensem, et ad Tractum Rheni Amplissimum Dominum Wickradiensem.

9no. Quilibet sacerdos legat tam pro benefactoribus ordinis quam participantibus, 3 Sacra, Fratres Clerici officium Defunctorum, laici 3 Rosaria.

In quorum fidem ac robur propriis manibus subscripsimus ac subsignavimus, Huii in comitiis generalibus, hac 5ta Maii 1779.

Erat signatum: Fr. JACOBUS GISBERTUS JOSEPHUS DUBOIS,
Generalis.

F. ARNOLDUS ODENDAHL,
Prior Coloniensis et Ordinis Definitor.

F. P. ANTONIUS AB OYEN,
Ordinis Definitor, Prior Venlonensis.

F. JACOBUS CORNELI,
Prior Alti-Nemorensis.

HENRICUS PETERS,
Ordinis Definitor, Prior Bruggensis.

(Acta anni 1786).

[Ea desiderantur: superest tantum scedula nominum „defunctorum confratrum ab ultimo Can. Reg. capitulo generali 1779 servato, usque ad cap. gen. de 1786". Ex qua patet ejusdem temporis intervallo mortuos esse confratres in:]

Conventu.	Numero.
Altinemorensi	11.
Aquisgranensi	3.
S. Agathae	2.
Brandenburgensi	2.
Beyenburgensi	2.
Bentlaekensi	2.
Bruggensi	1.
Coloniensi	7.
Colenensi	4.
Dinantensi	1.
Dusseldorpensi	5.
Dulckensi	1.
Duysburgensi	1.
Embricensi	4.
Ehrensteinensi	3.
Fac.	49.

Conventu.	Numero.
Fac.	49.
Glintfeldensi	3.
S. Helenae	1.
Ivodiensi	1.
Leodiensi	3.
Masacensi	3.
Nigrae Paludis	4.
Ruremundensi	4.
Trajectensi	2.
Udensi	3.
Venlonensi	5.
Wegbergensi	1.
Wikradiensi	2.
Altnetensi	3.
Fac.	84.

[Nomina defunctorum in dignitate constitutorum exscribere placet].

Amplissimus D. Corneli . . . . Altinemorensis.
„ D. von Achten . . . . . Aquisgranensis.
„ D. Odenthal . . . . . . Coloniensis.
R. ac Amplissimus S. Jansen . . . . „
R. D. Nicolaus Vranken, Pastor . . . Colensis.
R. D. Hyek, Exprior . . . . Dusselanus.
R. D. Anton. Klöcker, Pastor . . . . Ehrensteinensis.

Amplissimus D. Reifferscheid. . . . . Ehrensteinensis.
„ D. Serger . . . . S. Helenae.
„ D. Huskin . . . . Leodiensis.
R. D. Mullers, Pastor. . . . . Nigropaludanus.
R. ac Amplissimus D. van Lünen . . Udensis.
„ „ D. Rheimbach . . Wickradiensis.

[Definitores hujus capituli fuerunt Prior Nigrae Paludis, S. Th. Lector, Prior Agathensis, Prior Montis Orientis, S. Theol. Lector et Prior Trajectensis: Vicarii Generales vero Prior Bentlacensis et Wickradiensis] (*a*).

N°. 408. 27 Julii 1779.

Curia Gelriae Superioris Ruraemundae residens, causam addicit Fr. Huberto Reynders, a praeposito Generali Ordinis et Definitoribus, Wegbergensi Prioratu, cui annexa cura pastoralis, cedere jusso; sed ab Officiali archidiaconatus Majoris Campiniae in ecclesia Leodiensi „pro tribunali sedente", declaratur Pastoratu in Wegbergh privatus et ad exercendas functiones pastorales inhabilis, succedente in Prioratum et Pastoratum Fr. H. J. Hoogen.

(Duo apographa in tabulario conventus S. Agathae).

(*a*) Fr. Wynantz in notis ad statuta anni 1660 pag 82, qui haec addit: »Hoc ultimum capitulum generale fuit; et sequitur revolutio in Gallia et Belgio et Germania: domus primaria cum conventibus ad tractum Mosae numero 7 supprimitur, anno 1796 Reverendissimus Generalis obiit Leodii aet. 66. Exinde ordo acephalus; annis 1803 et 1804 in Germania conventus S. Crucis supprimuntur, et 3 ultra Rhenum per regem Borussiae jamjam ad interitum vergunt; adeoque dissolutus Ordo S. Crucis, in Brabantia Batavica, usque huc manet cum Udensi domus S. Agathae, quae post ingens naufragium, dissoluto jam ordine, quasi matri suae superstes etiamnum exstat, olim ante duo saecula et ultra perduratis tribus exiliis".

N°. 409. 8 Junii 1783.

Praepositus Generalis confirmat electionem Fr. Adriani Smits in Priorem domus Udensis.

(Apographum authent. sigillo munitum in tabulario conventus Udensis).

Fr. Haywegen, Secretarius.

N°. 410. 10 Julii 1783.

Vicarius Generalis dioecesis Leodiensis dat facultatem Priori Adriano Smits, excipiendi confessiones et a casibus absolvendi fideles, qui festis B. M. V. ad sacellum in Uden sese conferunt. Confirmata haec facultas annis 1789, 1795, 1801, 1807, 1811, 1820.

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis).

N°. 411. 9 Dec. 1784.

Reluctante Priore conventus in Byenburg, mittuntur illuc duo fratres ex canonia Altinemoris, ut disciplinam restituant.

(Apographum authen. mihi gratiose communicatum a Reverendissimo Doctore Baudry, Vicario in spiritualibus Generali, Decano capituli cathedralis ecclesiae Coloniensis).

Illustrissime ac Reverendissime Domine, Domine Vicarie Generalis Dignissime etc.

Recordor me anno elapso (dum hic honorem habebam dignitati vestrae inserviendi) sermonem habuisse, quatenus saltem unus aut alter ab hinc ad alium conventum ordinis nostri erga permutationem mitteretur, quae si sine mora fieri potuisset, libenter huic annuissem: jam autem intelligo duos ex canonia Altinemorensi, et quidem gravi auctoritate instructos, imo quasi rectores, hic ponendos esse sine ulla permutatione: quae dispo-

sitio mihi autem minime placet, quia nullum ex illa ordinatione praevideo emolumentum, sed potius detrimentum, praesertim cum jam cum meis hic in pace et tranquillitate vivam, praetacta vero intentio, si actu sequeretur, certo certius nova taedia hic crearentur: hoc etiam pro notitia serviat, quod duos hic instantes habeamus, quorum unus modo secundi anni theologus proxime assumetur: supplico ea propter, ut Rdma Dignitas vestra ab ulteriori labore in hac re, mihi et caeteris confratribus odiosa, gratiose desistat.

Signor interea cum profunda veneratione.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dignitatis vestrae,

Humillimus famulus,

Fr. J. W. WULFFING.
Ord. Stae Crucis in Beyenburg.

Beyenburgi, 7ma Decembri 1784.

[Haec epistola]. Beyenburgum advenit 9 Xbris 1784.

Respondi per eundem expressum hanc missionem duorum P.P. ex Hohenbusch a defuncto Rmo fuisse resolutam, et per mortem ejus fuisse retardatam, et sine dubio a serenissimo jam regnante efficiendam esse, itaque expedire ad rem canoniae et disciplinam restituendam, ut ipse Prior Lectorem ex Hohenbusch usque ad aliam ordinationem Serenissimi assumat.

N°. 412. 5 Sept. 1785.

Renovatur contractus „admodiationis" inter Principem Auriacum et conventum S. Agathae pro 12 *annorum spatio, solvenda quotannis* 1700 *florenorum summa.*

(Apographum authent. in tabulario conventus S Agathae).

N°. 413. 23 Sept. 1785.

Pius VI, P. M. largitur indulgentias, etiam fidelibus defunctis applicandas, fratribus et sororibus confraternitatis B. M. Virginis in capella de Uden canonice erectae, eam, die commemorationis omnium fidelium defunctorum vel septem diebus immediate sequentibus, visitantibus, confessis, S.S. eucharistia refectis et ad intentionem ecclesiae orantibus.

(Apographum authent. membran. in tabulario conventus Udensis).

N°. 414. 22 Nov. 1785.

Pius VI, P. M. largitur indulgentias plenarias Christi fidelibus, qui visitaverint ecclesiam canoniae Cuykensis in festo S. Agathae, modo adimpleverint solitas conditiones.

(Apographum auth. membran. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 415. 1786.

Nomina Priorum conventuum Ordinis S. Crucis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Priorum nomina in Ordine S. Crucis.

		Annus elect.
Sainte Agathe.		
Franciscus Loverix.	3ª Xbris	1761.
(Obiit 24 8bris 1793).		
Aix la Chapelle.		
Henricus Theodorus van Herdt. .	9ª Maii	1779.
Beyenbourg.		
Joannes Wilhelmus Wulfing. . . .	27 Julii	1761.
Bentlage.		
Josephus Bucholt	10ma Julii	1772.
Bruggen.		
Henricus Peters	30ma 8bris	1763.

Cologne. Annus elect.

Hermanus Josephus Henricks. . . 21ma Junii 1782.

Colen, près de Looz.

Andreas Vlassecoir. . . . . 12 Martii 1778.

Carignan sive Ivodiensis.

Hansotte . . . . 14 Julii 1780.

Duysbourg.

Josephus Golsheim. . . . . 26 7^{bris} 1769.

Dusseldorff.

Joannes Petrus Weingartz. . . . . 26 8^{bris} 1769.

Dinant.

Deodatus Lambertus Pironet . . . 8^{a} Maii 1775.

Dulken.

Henricus Reinhard . . . . 31 Junii 1777.

Ehrenstein.

Petrus Herschel . . . . 1786.

Emerick.

Henricus Gossens . . . . 21ma 7^{bris} 1774.

Glindtfeld.

Rudolphus Lefarth. . . . . 26 Januarii 1762.

Hohenbusch.

Adamus Haupts . . . . 20^{a} Augusti 1785.
(Obiit 20 Junii 1794).

Sainte Helène.

Josephus Andrè . . . . 4ta 9^{bris} 1784.

Huy.

J. G. J. du Bois . . . . 1778.

Liège.

Mathaeus Billard . . . . 27 Junii 1785.

Lanoy.

Jacobus Dujardin . . . . 6ta 7^{bris} 1784.

Marienfreid.

Joannes Gerardus Mertens . . . . 1° X^{bris} 1761.

Maestricht.	Annus elect.		
Josephus Leurs	24	Augusti	1778.
Maseyck.			
Joannes Reynders.	17	8bris	1770.
Mont Orient.			
Joannes Lambertus Meyers. . . .	4ta	Xbris	1766.
Schwartzenbroick.			
Wilhelmus Jacobs.	14	Augusti	1778.
Susci.			
German	19	8bris	1781.
Uden.			
Adrianus Smits	21	Maii	1783.
Venlo.			
Petrus Antonius Baro ab Oeyen. (Obiit 1794).	15	Jan.	1753.
Virton.			
Philippus van der Kam	13	7bris	1770.
Wegberg.			
Jacobus Hoogen.	15	Xbris	1771.
Wickradt.			
Conrardus Ohoven	14	Junii	1784.

Domus Namurcensis praevie fuit sub Josepho 2do suppressa et Tornacensis et Ruremundensis ao 1784.

Sed in generali revolutione, per Gallos supprimuntur ad tractum Mosae septem Domus ordinis, cum ipsa primaria domo Huensi, 1797.

No. 416. 6 Martii 1786.

R. Fr. Franc. Loveriz Prior conventus S. Agathae a Praeposito Generali ad generale capitulum invitatur, die 14ta Maii celebrandum.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

B. 49.

N°. 417. 3 Maii 1786.

Computus accepti et expensi canoniae S. Agathae, in capitulo generali reddendus.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Hisce praesentamus temporalem domus nostrae statum.

Ineunte anno (tempore hic solito sive ordinario) 1786 7ma Jan. datus est per procuratorem, praesente capitulo, computus anni 1785 et inventum est.

	Florenos Holl.
Recepta ascendere ad	6156- 1-8.
Exposita vero ad	5857-10-5.
Quibus ad invicem collatis recepta summam expositorum superant ad	298-11-3.
Credita bonae solutionis	644-10-„.
Item de ligno vendito	140- „-„.
Credita aliquatenus caduca.	1020-15-„.
Modo bursa communis continet	760- „-„.

Insuper Reverendissimo ac Plurimum Reverendis D.D. Definitoribus notificamus, quod a° 1779 summa capitalis sit levata, ad solvendam partem restantis admodiationis domus nostrae et bonorum ad . . . . 800- „-„.

A° 1785 summa refusa, non reapplicata . . . 600- „-„.

Debita miscellania. . . . . 3118- 1-„.

Solutio contributionum ex bonis firmis, quae in universum se extendunt ad circa 3000 fl., est prope congrua elapsis terminis.

Summa annue solvenda Principi Orangiae pro admodiatione modo se extendit ad 1750 florenos.

Florenos Holl.

Olim ad 1600 fl., ergo annue excrevit ad . . . . . 250-„-„.

Quota a nobis solvenda e bonis in Geldria sitis ad requisitionem curiae, pro nova ibidem schola nationali a° 1784 erecta, ut ajunt. . . . . 45-„-„.

Itaque nova vexa.

f 295-„-„.

Memoria.

Provisio butyri, carnis, cerevisiae sufficiens et oeconomica vini boni et modici provisio.

In granario reperiuntur prope et circa siliginis maldra 170.

De caetero frumento nostra provisio.

In quorum omnium fidem ac robur haec sigillo majori conventus nostri, nec non propriarum manuum subscriptione communivimus.

Datum ad S. Agatham, hac 8 Maii 1786.

F. W. Wynantz, Procur.
F. J. A. Beyertz.
F. J. Versteege.
F. R. Schwartz.
F. G. van Iperen.

N°. 418. 29 Sept. 1786.

Pius VI, P. M. largitur indulgentias plenarias Christi fidelibus, qui septem praecipuis B. M. V. festis et aliquo alio die ad libitum eligendo, visitaverint capellam conventus Udensis, et confessi et S.S. Eucharistiae Sacramento refecti ad solitam ecclesiae intentionem oraverint. S.S. Pater motus est ad hunc favorem, quod singulis annis 30 *mille fidelibus et amplius ex Hollandia S.S. Sacramentum distribuitur.*

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis).

N°. 419. **25 Aug. 1787.**

Causa cadit Rev. D. Billard, Prioratu Leodiensi a Magistro Generali privatus.

(Apogr. impressum in fol. in tabulario conventus Udensis).

In causa Reverendissimi ac Amplissimi Domini Praepositi Generalis Ordinis Canonicorum regularium Sanctae Crucis, nec non Reverendi Domini Bertho, Prioris electi et confirmati, ac caeterorum Dominorum Canonicorum Ordinis Sanctae Crucis Leodii opponentium.

Contra Reverendum Dominum Billard, alias ejus Ordinis Sanctae Crucis Leodii Priorem, Impetrantem.

Officialis Leodiensis, actis partium attentis, de plurium Jurisperitorum Consilio, circumducentes mandatum nostrum primordiale, sub-et obreptitie obtentum una cum subsecutis, remittimus partem impetrantem ad suos Superiores, eandem in expensis nostram ad taxam condemnantes. Datum anno Domini 1787, Augusti die vigesima quinta, medio decimae matutinae.

Signatum: DUPONT,
pro Sententiario.

Vu les actes par nous l'official de Liege, de l'avis de plusieurs Jurisperites, circonduisant notre mandement premier, obtenu par sub-et obreption avec ses ensuivis; renvoyons la partie impétrante à ses Supérieurs, la condamnant aux frais à notre taxe. Donné l'an 1787, du mois d'Août le vingt-cinquième jour à neuf heures et demi du matin.

Signé: DUPONT,
pour le Sententier.

N°. 420. 13 Julii 1789.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Apographum auth. duobus sigillis munitum in tabulario conventus S. Agathae).

(Loca Selecta).

F. Jacobus G. J. Dubois, Canonicorum regularium ordinis S. Crucis Praepositus Generalis, Primariaeque ejusdem ordinis Canoniae juxta Huum major Prior etc. cum Fratre Wilhelmo Jacobs, Priore Nigrae Paludis et Ordinis Definitore.

Sub actu visitationis canoniae nostrae Agathanae, 11ma Julii et duobus sequentibus institutae, laetanter cognovimus sub Amplissimo Domino moderno Priore ac ordinis Definitore pacem bonam inter D.D. Confratres servari, spiritualia quoque ac temporalia bene curari, pro utrorumque tamen manutinentia, ac aliquorum, qui irrepserunt, defectuum emendatione, sequentia ordinanda, seu verius, ante ordinata, renovanda duximus.

Cum omne donum desursum sit descendens a Patre luminum, mandamus conformiter relicto praecedentis visitationis, ut nocturno parites et diurno officio semper omnes simul adesse studeant.

In memoriam revocamus art. 3^{tium} Relicti praecedentis visitationis, iterato praecipientes annuam animi recollectionem.

Hortamur omnes in Domino eadem exhortatione, qua in ultima nostra visitatione art. 9, ad eadem iterato exhortendo, ad mutuam nempe charitatem, pacem et concordiam, ad mutuam defectuum supportationem, ad fugam otii, ad charitativam proximi assistentiam per confessionum auditionem, ac verbi Dei praedicationem: hortamur omnes, ut verbo et opere omnes aedificare, neminem autem scandalizare velint, denique hortamur omnes ad observantiam regulae et statutorum, volentes ideo, ut dum in mensa fuerint confratres hora 12ma, ad pulsum cam-

panae cantetur a lectore mensae, *qui passus* etc. prout et preces ante et post mensam consuetae dicantur, etiam quibuscumque praesentibus.

[Haec visitationis acta non placuerunt Fr. Wynantz, viro, ut mihi ex variis annotationibus compertum est, satis severo. In epistola igitur quam ipso S. Odiliae festo ejusdem anni ad Praepositum Generalem scripsit, haec queritur].

Sumptus in destruendo et aedificando, non praehabito capitularium consensu, de anno in annum excrescunt in ingentem summam, etc.

Aedificare domos, multarum pascere ventres,
Est ad pauperiem semita prima quidem.

Quare, Perillustris ac Reverendissime Domine, humillime petimus efficax, sine quo pax nullatenus subsistet, remedium.

1°. Ut superior non faciat sumptus, attenta moderna situatione nostra, nisi praehabito capitulari consensu.

2°. Ut evitentur inutiles sumptus, hospitesque domui adeo onerosi dimittantur. Quam reformationem specialiter petimus introduci in die Sanctae Coenae Domini, cujus ceremoniam lotionis manuum et altaris petimus fieri post prandium hora 4ta sine hospitibus, vel quod satius erit remedium propter penuriam confratrum, tota abrogetur usque in meliora tempora.

N°. 421. 1790.

Historia suppressionis conventuum Ordinis S. Crucis in Gallo-Francia.

(Encyclopédie théologique ou Dictionnaire des Ordres Religieux, par l'Abbé Migne. 1850, tom. 22, vol. 3).

L'Ordre des Chanoines Réguliers de Sainte-Croix n'avait que douze maisons en France; il fut un de ceux qui subirent les premiers les funestes effets de l'action de cette commission

dite de la reforme des Réguliers, dont j'ai souvent parlé dans ce Dictionaire, et dont je ferai connaître l'histoire et les ravages dans l'introduction au supplément dont se composera le quatrième volume. Cet institut se vit, comme les autres, dans la nécessité de se réunir en chapitre général pour aviser à la réforme de ses constitutions et de ses membres. Le chapitre général de Sainte-Croix fut donc convoqué pour le 12 Septembre 1769, et Brienne, Archevêque de Toulouse, s'y rendit en qualité de Commissaire du Roi. L'hypocrite y fit lire deux lettres de cachet, datées du 18 Août précédent, l'une par laquelle ce prélat était chargé d'assister au chapitre, „pour veiller à ce que tout s'y passât avec la décence et la régularité convenables", comme si les religieux avaient besoin de la présence d'un prélat étranger à leur ordre pour agir avec décence et régularité; l'autre, adressée aux supérieurs et religieux assemblés, leur mandait qu'ils pouvaient tenir librement leur chapitre, et que M. l'Archevêque de Toulouse s'y trouverait „pour tenir la main à ce que tout s'y passât avec la liberté (avec liberté!), la décence et la régularité convenables". Après la lecture des ordres du Roi, le Prieur de la maison de Paris, où se tenait le chapitre, fit un discours dans lequel il témoigna le désir extrême qu'ils avaient tous d'être maintenus dans la jouissance paisible de leur état et dans la liberté d'y vivre jusque'à la fin de leurs jours, conformement aux saints engagements qu'ils y avaient contractés."

L'Archevêque de Toulouse, aux termes de l'ordre du Roi, devait seulement veiller à ce que toute se passât librement et décemment; il annonça brusquement au chapitre que sa convocation avait pour unique objet l'exécution de l'édit de 1768, concernant les ordres réligieux dans les deux points *principaux* qui y sont prescrits, savoir: la rédaction des constitutions et le rétablissement de la conventualité...; que s'ils avaient des raisons à faire valoir sur leur impossibilité de rétablir ces

deux points, S. M. les entendrait avec bonté, et pourrait même les dispenser de l'exécution des deux points en question; mais qu'il croyait devoir les avertir qu'une pareille dispense entraînerait en même temps et „nécessairement la suppression et extinction entière de la congrégation..." (Le Roi éteindre une congrégation!) L'astucieux prélat n'attendit pas que le chapitre eût fait ses réflexions et eût délibéré. Il avait eu la précaution de se munir d'une lettre de cachet, qui, „pour de bonnes considérations dont le Roi se réservait la connaissance, leur défendait de recevoir à l'avenir aucun sujet au noviciat et à la profession". Il fit lire la lettre de cachet et leur dit qu'il y aurait remède à cela s'ils remplissaient la condition de l'édit. Il n'ignorait pas que la congrégation n'était point en état de remplir alors les conditions de la conventualité; il remit sur-le-champ la séance au 15 de Septembre, pour qu'ils eussent le temps de *réfléchir mûrement*, et il venait aussi de leur dire que, s'ils demandaient au Roi la dispense qu'il était prêt à leur accorder sur le point impossible à remplir, leur dissolution était définitive!!! Les religieux virent bien qu'ils n'avaient autre chose à faire que de demander la dispense en question, pour obtenir au moins de pouvoir vivre dans leur établissement, et professer jusqu'à leur mort dans leur saint état. Dans leur requête à l'Archevêque Brienne, ils représentèrent donc que, quoiqu'on leur proposât une réforme opposée à la manière de vivre, qu'ils avaient trouvée en faisant profession, ils l'embrasseraient volontiers et même avec joie, mais que, dans une congrégation qui ne conservait alors en France que *quarante-sept* Chanoines, avec des maisons trop pauvres, excepté celle de Paris, on ne pouvait établir la conventualité partout, comme elle était demandée, ni se maintenir en forme de congregation, si on réunissait plusieurs maisons ensemble. Le Roi donna donc, au mois d'Octobre 1769, des lettres patentes accordant la dispense des points de l'édit, défendant la récep-

tion des sujets, et autorisant les Evêques à procéder, *si faire se devait*, suivant les formes prescrites par les saints canons et par les ordonnances du royaume, à l'extinction et union des monastères après le décès des prieurs et profès, ou durant leur vie, de leur consentement. Les chanoines de Sainte-Croix de la maison de Paris vécurent, suivant leurs usages habituels, jusqu'au mois de Mai 1778. A cette époque, le procureur ayant éprouvé de la difficulté sur la forme de rendre ses comptes, eut recours à la commission, qui saisit avec empressement cette occasion pour étendre sa juridiction sur l'administration temporelle de ce monastère. L'évêque de Rodez aut l'audace d'écrire au prieur qu'ils se transporterait, le 14 Mai, dans sa maison pour entendre les comptes du procureur. La communauté lui répondit qu'elle ne pouvait le recevoir tout au plus que comme temoin, mais que la dispense qu'ils avaient obtenue du Roi, maintenant les Chanoines dans leur droit habituel de gouvernement, et qu'ils ne connaissaient d'autre supérieur ecclésiastique immédiat que Mgr. l'Archevêque de Paris. L'évêque de Rodez se rendit néanmoins au monastère de Sainte-Croix; il assembla le chapitre et témoigna sa surprise sur ce que contenait la délibération, il prétendait que le „voeu de la commission et sa visite" n'étaient contraires, ni aux lettres patentes, ni à l'autorité de l'Archevêque de Paris, mais que la démarche de la communauté était une „contradiction formelle à la disposition de l'arrêt du conseil du 23 Mai 1766. La communauté fut respectueuse, mais tint bon et ne fit point cette reddition de comptes, qui ne devait d'ailleurs avoir lieu qu'au mois de Juillet. La commission fut offensée des représentations des réligieux, toutes fondées qu'elles étaient, et surprit un arrêt du conseil, en date du 10 Juin, qui séquestrait les biens des chanoines de Sainte-Croix, et les faisait régir par un économe, assignant une pension aux réligieux, et même à ceux qui étaient absents *et à ceux qu'ils* (les membres de la com-

mission) *jugeraient être dans le cas de s'absenter*... Ainsi cette commission royale faisait attribuer à ses membres, qui n'avaient absolument aucune juridiction sur le monastère de Sainte-Croix, le pouvoir d'autoriser des réligieux à quitter leur état et à sortir de leur cloître, à se soustraire à l'authorité de leurs supérieurs réguliers! Ce n'est pas tout: le temps d'élire un nouveau prieur (dont les fonctions n'étaient que triennales) échéait en 1779; la commission voulut encore diriger l'élection à son gré, et fit écrire au prieur par le ministre, qui défendait d'y procéder sans l'en instruire un mois d'avance, „afin que Sa Majesté pût prendre les précautions" que sa sagesse lui dicterait pour s'assurer de la bonté du choix!!! L'évêque de Rodez vint encore s'immiscer à cette affaire importante; en conséquence il manda le P. Prieur, et lui fit voir une lettre de cachet où l'on faisait dire au Roi que le chapitre et ses séances ne devaient avoir lieu „qu'aux jours et heures indiqués par le dit Sieur Évêque de Rodez". Mais tous les Évêques, grace à Dieu, n'avaient pas prévariqué. L'Archevêque de Paris, qui ne voyait qu'en gémissant les desastres causés par la commission, écrivit à l'Évêque de Rodez et lui marqua sa surprise; car, disait-il, la maison de Sainte-Croix, étant isolée et ne faisant plus congregation, était rentrée de plein droit sous la juridiction de l'ordinaire, qui devait, par conséquent, veiller seul au choix des supérieurs. (Peut-être l'Archevêque de Paris se trompait-il, car l'autorité civile n'avait pu détruire canoniquement une congregation). L'évêque répondit, l'Archevêque tint bon, et l'élection demeura suspendue, quoique l'évêque de Rodez en eut précisé le jour.

Réduit à son petit nombre, étant dans l'impossibilité de recevoir des sujets, l'ordre de Sainte-Croix s'éteignit en France avant la suppression faite en 1790.

Pour la reception des sujets dans la maison de Sainte-Croix-de-la-Bretonnerie, on avait moins égard à la dot qu'à la famille.

Les novices portaient d'abord une soutane noire, et le noviciat ne commençait qu'au jour où le postulant revêtait l'habit de l'ordre. Les pensions viagères que les familles faisaient aux réligieux étaient arbitraires; mais pour être de la maison de Paris, il fallait au moins 200 livres. C'était dans cette maison que demeurait le provincial des maison de France, et à l'époque où commencèrent les tracasseries contre les ordres réligieux, cette place était occupée par M. de Ballincour, frère du Maréchal de France de ce nom. L'église, monument gothique assez vaste, et bâti par Eudes de Montreuil, architecte de la Sainte-Chapelle, sous le titre de l'exaltation de la Sainte Croix, est aujourd-hui détruite, ainsi que la maisons; une moitié a été remplacée par des maisons particulières; l'autre partie forme un passage qui donne dans l'impasse ouvert vis-à-vis les Billettes.

Voir les Mémoires des assemblées du Clergé. Le Mémoire sur l'état réligieux, par l'Abbé Mey. *Tableau historique et pittoresque de Paris*, par M. de Saint-Victor, tome II. *Etat ou Tableau de la ville de Paris*, in 8°, 1762.

N°. 422. 22 Nov. 1793.

A fratribus nuntiata morte R. Fr. Franc. Wilh. Loverix, Prioris canoniae S. Agathae, praeses eligitur Fr. Wilh. Wynants a Praeposito Generali, donec per Principem Auriacum ad electionem Prioris procedere licebit.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Perillustris ac Reverendissime Domine Praeposite Generalis!

Sperabamus Perillustri ac Reverendissimae dignitati vestrae notificare favorabile decretum augmentationis pusilli gregis nostri ad S. Agatham, sed ecce! praevie aliter providentia divina

disposuit: post biennii infirmitatem ereptus est nobis 24 8bris Amplissimus noster Dominus Prior Franc. Wilhelmus Loverix, juxta inclusam scedam, quo relatio.

Quam mortem conformiter decreto Cap. Gen. de 1730 hisce significamus, equidem illibenter adjungentes, quod ex parte consilii Serenissimi Principis Orangiae per litteras nobis insinuatio facta sit (quoniam praesentata est ex parte conventus supplica pro obtinenda augmentatione membrorum canoniae ad quam nondum apostilla data) quod stante moderno hoc statu, non liceat nobis procedere ad electionem novi Prioris; haec pro gouverno: quo provisionale hoc decretum vergat, non capimus, nisi ad totius [summae] urgendam augmentationem: interim nos admodum pacifice vivimus, et speramus nos dignos efficere ad illam gratiam augmentationis obtinendam, quae nobis firmiter per 3 consiliarios principis est appromissa, quam obtentam indilate significabimus et dato placito electionis novae, petemus Rdissimam Dignitatem vestram vel commissarium pro praesidentia, interea provoluti ad S.S. manus vestras, quo par est, respectu sumus vestri obedientissimi filii et famuli.

Ad S. Agatham, calendis 9bris 1793.

F. W. Wynantz, Procurator.
F. J. A. Beyertz.
F. Jac. Verstegen.
F. J. R. Schwartz.
F. G. H. van Iperen.

Responsio Reverendissimi.

R.R. D.D. Confratres.

Redux ex vacantiis meis inveni litteras vestras; vos viduos doleo: ac utinam prohibitio eligendi novum Priorem nil mali praesagiat! sed cedat in bonum domus, vestrum, et totius S. Ordinis nostri, in quem finem Deum mecum exorate, et servanda

servate: quod cum sine aliquo praeside non facile fiat, senior vester R. D. Wynantz, nisi quid obsit, mihi quam primum intimandum, sit provisionaliter vester praeses, ipsumque audite! qui officium procuratoris diligenter exigere pergat, in gravioribus autem de communi consilio agat.

Gratiora nuntia et specialiter concessam licentiam sumendi juniores avidius exspectans, cum affectu subsignor.

R.R. D.D. Confratres!

Officiosus famulus,

Huii, hac 22 9bris 1793. F. J. G. DUBOIS,

Totius Ordinis S. Crucis Generalis.

[Fr. H. Gossens, conventus Embricensis Prior, gratulatus fuerat Fr. Wynantz de Prioratu. Huic ita respondet „Rdmus provisionaliter me constituit praesidem pro choro et foro, interim pacifice vivimus in bona spe, expectantes adventum juniorum [confratrum] et novi Prioris, quem ex gremio alieno eligere nullatenus inclinamur. Sed quis ex nostro? Saltem ego non ambio, non desidero hanc dignitatem, quae magis onerat quam honorat. Constitutio mea admodum tenuis, natura mea non amat consortia adventantium, vacuas horas mulceo cum lectura, in solitudine possideo animam meam, libenter et cum zelo administrationem habui annis 25" etc.].

N°. 423. 21 Dec. 1796.

Necrologium Reverendissimi Fr. J. G. J. Dubois, Praepositi Generalis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Jesus Christus Crucifixus.

Anno reparatae salutis millesimo septingentesimo nonagesimo sexto vigesima prima Decembris, circa nonam matutinam, con-

suetis ecclesiae sacramentis praemunitus, in canonia Leodiensi Ordinis Sanctae Crucis, pie obiit Reverendissimus ac Amplissimus Dominus, D. Jacobus Guisbertus Josephus Dubois, totius ordinis canonicorum regularium Sanctae Crucis Praepositus Generalis etc. aetatis anno 66, Professionis Religiosae 45, Presbyteratus 42, Generalatus 19.

Hic fallax declinans saeculum, cor suum religiosae Sanctae Crucis militiae tradidit, ut totus Deo seviret: tantae in eo statim colluxere virtutes, tantis studii et regularis observantiae incrementis indies proficiebat, ut paucis post votorum in canonia Leodiensi emissionem annis, ad praecipua ordinis sui munia promotus, iisdem semper laudabiliter perfunctus sit, philosophiae, dein sacrae theologiae professor declaratus, aperuit os suum in medio ecclesiae, palam fecit disciplinam doctrinae suae. Ad Prioratum Mariae Laudis, vulgo Colen, evectus, clarissimis sapientiae experimentis, moderatione, prudentia, iis, quae legis sunt, insistendo, qui communitati praeesset, parem se exhibuit, tam provido, tam sagaci ibidem praefuit regimine, ut istius domus quasi collabentis restitutor, si minus aliter fundator merito dictus sit. Religionis studio anhelans, illius se continuo columnam monstravit immobilem. Sed in dicta canonia fulgens, ut lampas in obscuris tenebris, primaria ordinis dignitate, nempe generalatu vacante, infulis sublimatur super candelabrum positus, omnibus ad ambulandum in via Dei, gradu reluxit praevio, cum pietatis fervore, tum regularis disciplinae zelo, morum puritate, assidua divini officii frequentatione, quotidiana Agni immaculati in aurora libatione, sapientiae et scientiae Dei amore et promotione. Blandimentis conspicuus lenitatis, aspectu amabilis, colloquio affabilis, se bonorum operum praebuit exemplum. Mansuetudine atque humilitate insignis, has in omnibus suis semper expressit virtutes, sed maxime quando praefuit. Praesul permansit semper idem, semper mitis, semper humilis, mores ejus nihil immutati ho-

noribus. Ast dum praeclarissimi Ducis, Patris amantissimi laetabamur honore, eheu! manus Domini tetigit eum. Sentiens tandem debilitari vires, eversus ut caderet, accinxit se ad agonem sui certaminis; stans fide, spe erectus, fervidus charitate, e turbidi saeculi fluctibus ad quietam mansionem avolat. Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum; virtutum ac meritorum apparatu decorus placet Domino, ut speramus, in Regione vivorum. Si tantilla tamen pulveris humani labes, ignis lustralis superesset diluenda favilla; eum, qui dum viveret, se omnibus commendabilem fecit, omnium commendamus sive precibus sive sacrificiis, ut aeterna quantocius requescat in pace.

No. 424. 1618—1796.

Fr. Wilh. Wynantz, series biographica Praepositorum Ordinis S. Crucis Generalium, mytra et pedo ornatorum.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae) (*a*).

AUGUSTINUS NEERIUS ex Priore Tornaceno primus Generalis mitratus, ab Urbano VIII a° 1680 Pontificalibus mitra et pedo donatus, cum speciali privilegio pro se et successoribus, tonsuram et ordines minores conferendi suis religiosis, obiit a° 1648, aetatis suae 77, qui est climactericus major (*b*). Item 1648 obierunt duo ordinis columnae, ad tractum Rheni et Mosae res-

(*a*) In refectorio conventus S. Agathae pendent tabulae nitide scriptae, complectentes seriem Magistrorum Generalium totius Ordinis et Priorum dictae canoniae, a Fr. W. Wynantz compositam: hanc inseruimus Cod. Dipl. T. I, pag. 124, illius hic damus partem posteriorem, continuationem quasi Chronici Russelii, sub Augustino Neerio finiti, quae conferatur cum serie magistrorum T. I, p. 465 obvia.

(*b*) Annus climactericus medicis priscis erat annus 63, nam $7 \times 9 = 63$. Numerus septenarius fatalis habitus est. Climactericus major est annus 77. Cf. Fabri *thesaurus* voce *climacter*.

pective Provinciales, H. W. Verheyen, Prior Agathensis et Paulus Reyneri, commissarius et Rector actualis canonissarum Regularium Venradii.

Sub hoc tempus ordini incorporatus est Prioratus et Pastoratus Wegbercanus, favore L. Baronis de Spririnck etc. 1mo Priore et Pastore ibidem Paulo Sibenio: item Confratres Sylvae-Ducenses, e nativa domo exules a° 1629, post diversam alibi mansionem, cum placito Principis Electoris se figunt in Uden, ditionis Ravensteyniensis.

Petrus Blavier ex Priore Namurcensi, zelatus in capitulo generali an. 1652 pro communi vita, obiit 1654.

Nicolaus de Haneffe, ex Priore Tolosano et Definitore, qui statuta in capitulis generalibus emanata, a J. Spyckio S. T. L. in ordinem digesta et a S.S. Canonum Professoribus approbata, a° 1659 typis edit: obiit jubilarius 30 Julii 1677.

Maximilianus Henricus, Princeps Leodiensis, Elector Coloniensis, dedit Clementi X amplum testimonium pro ordine canonicorum regularium S. Crucis in suo districtu, quorum institutum, inquit, est vere canonicum, quorum primaria domus est in dioecesi Leod. et in civitate Coloniensi celebres conventus habens in universitate S.S. Artium Magistros et Professores; fidem catholicam in diversis Germaniae domibus contra haereticos propugnant et conservant et alibi juventutem bonis moribus et politioribus literis instruunt etc. Ita in Litt. de 7 Junii 1675 [*Cod. Dipl.* II, pag. 347, n°. 286].

Joannes Georgius Hachten, professus Ruraemundae, S. T. L., quem invida mors ordini eripuit 21 8bris 1678.

Lambertus Feron, professus Huensis, studii Lovanii S. T. L. ex Priore Mariae Laudis Magister Generalis, aetate provecta juvenili zelatus zelo, obiit 21 Aug. 1686.

Michael Lambrecht, professus Huensis, ex Priore Succiacensi in tractu Ardennae, obiit 6 9bris 1695, quo circa tempore concessit [ad requiem, ut speramus, aeternam] Ordinis S. Cru-

cis Vicarius Generalis ad Rhenum, Theodorus Degens, Prior Colon. in Universitate S. T. D. et per dioecesim librorum censor.

Petrus Hansothe, Secretarius olim Rdissimi et commissarius per ordinem, crebris visitationibus honoratus, dignus in generalatu successor, obiit 15 Febr. 1711.

Matthias Goffin, Pronotarius Apostolicus, ex Priore Leod. et Definitore: hic bullas Pontificias adversus gliscens schisma acceptandas jussit in Capitulo Generali 1715, obiit 23 1720. Quem brevi ad tumulum secutus est Wilh. Penecamp, Prior S. Agathae, Defin. et ad tractum Rheni Vicarius Generalis, utrobique dignissimus et de ordine optime meritus, aet. 82.

Wernerus d'Audace, ex Priore Ivodiensi, comitiis Generalibus quinque vicibus convocatis, depositum Patrum suorum, nec temere nec timide custodivit: obiit 17 Junii 1735.

Joannes Reynders, Prof. Ruraem. in alma univ. Lovan. S. Theol. L. Prior Montis Orientis, deinde ex Priore et Pastore Wegbercano Major Prior, quem Provincia Mosana Doctorem habuit, Rhenana Patrem coluit, Francica Judicem timuit, ceteros arduos pro bono ordinis conatus stitit mors praepropera, quam subiit, e visitatione Galliae redux, 1mo Novembris 1741.

Lambertus Engelbertus de Fisen, professus Huensis, studii Lovanii S. Theol. L., ex Priore Montis Orientis et Dionantensi Magister Generalis, varias vicissitudines fortis in Cruce sustinuit et superavit. A° 1752 ordinem cruciferorum affiliavit ordini Seraphico F.F. Capucinorum, provecta licet aetate quatuor vicibus, Gallicas, Germanicas, Belgicas visitavit canonias. Capitulum Generale instantibus Definitoribus transtulit ad singula sexennia. Laboribus tempore regiminis 37 annorum fractus, pie obiit 4 Januarii 1778, aetatis 81.

Jacobus Sigibertus du Bois, professus Leod. S. Theol. Lector ex Priore Mariae Laudis, cujus Deus regimen pro decore ordinis et salute sua et suorum prosperet et benedicat in seros

annos! Sed ecce! Placens Deo e turbido saeculo de medio iniquitatum raptus est 21 X[bris] 1796, aetatis 66.

A° 1784 canoniae S. Crucis in Belgio Austriaco et ditione Caesarea senserunt flagellum hujus saeculi, suppressae decreto Regio.

A° 1797 in revolutione Generali septem canoniae ad Tractum Mosae, cum ipsa primaria domo, suppressae sunt, fratresque dispersi.

N°. 425. 1793—1806.

Fr. Wilh. Wynantz appendix ad seriem Priorum canoniae S. Agathae, Ordine S. Crucis acephalo (a).

(Continuatio seriei Priorum, obviae T. I, pag. 124).

Catastrophe Ordinis S. Crucis, capituli Huensis.

Deus Optimus Maximus (qui temperat rerum vices) S. Agatham conservet in seros annos.

Quam nihil in humanis stabile, clamant S.S. aedium et coenobiorum ruinae, olim lapidum veneranda strues, modo Justitiae Dei miserandae reliquiae, ac tristia devotae posteritari spectacula.

Ordo Canonicus S. Crucis, ab anno 1215 multorum filiorum foecunda mater, diversis epochis infelicem subiit catastrophen in Anglia, Zelandia, Frisia, Hollandia, Gallia, jamque novissime exeunte saeculo 18[vo], invalescente tempestate adversus capitula, et religiosos Ordines ad tractum Rheni in Germania, ad tractum Mosae in Belgio, 30 amisit canonias, velut Rachel plorans filios suos, nec voluit consolari, quia non sunt in spe Res-

(a) Mortuo Priore Franc. Loverix, non processum est ad electionem successoris, ut diximus pag. 587, sed a Magistro Generali praeses eligitur Fr. Wilh. Wynantz, anno 1810 aet. 75 vita functus.

taurationis nec coadunationis, gremiis dissolutis, fratribusque dispersis. Domus ipsa Primaria in Claro Loco prope Civitatem Huensem, sedes Reverendissimi Patris Generalis, centrum Ordinis, locus capituli, a° 1796 tota eversa est, cum eximiae structurae S. Basilica. Et ecce!

Domus San-Agathensis et numero Fratrum et merito non infima, quae olim magis odio Religionis, quam furore belli, tria prorsus dura sustinuit suorum exilia, etiam hoc calamitoso tempore, circumstrepentes inter procellarum turbines, totalem minabatur ruinam: equidem sub Gubernio Batavico a° 1802 singulari favore, instantibus bene intentionatis (quorum memoria in benedictione erit) placitum gratiose accepit, infra antiquum suum gremium admittendi 8 novos candidatos, sicque reviviscit, et quasi post grande Ordinis naufragium, velut scapha, Matri suae superstes exstat. Satis dixi.

Senioribus adsociati sunt:

Josephus Leurs, Prior antea in nativa sua domo Trajectensi, in ultimo capitulo generali Definitor, et hac qualitate in electione Neo-Prioris praeses vocatus (vacabat enim Prioratus ab a° 1793) illico ipse primo scrutinio electus est Prior S. Agathae 3 Jan. 1803, deinde paucorum (qui supererant) conventuum via Romana constitutus Commissarius Gen. Sed eheu! robusta licet valitudine, ut videbatur, jam inde (quod nesciebamus) mortis in se ferebat spiculum e multiplici exilio, ac notis illius temporis injuriis contractum, praemature nimis obiit 23 Aprilis 1806.

Wilhelmus Mathias Kanters, e supressa domo Venlonensi, ex actuali Scholarum Magistro Graviae hic incorporatus.

Ordine jam acephalo per mortem Rdissimi P. Generalis et Definitorum submittimur dispositioni Concilii Trid. *Sess. 25 de Reg. Cap.* 8. Quare Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Joannes Baptista Robertus ex Baronibus van Velde de Melroy,

Dei gratia olim Episcopus Ruraemundensis, residens Graviae, qua sedis Apostolicae delegatus, praesidem nobis ex gremio constituit in electione neo-prioris et electus est 27 Maii 1806:

SIMON WILHELMUS GIELEN, Prior ab Illustrissimo Episcopo confirmatus (*a*).

N°. 426. 1797.

Notitia historica conventus Venlonensis Ordinis S. Crucis.

(L. J. E. Keuller, geschiedenis en beschrijving van Venloo (Venloo 1843) pag. 355—357).

Het kruisheeren klooster.

Het schippersgild had in het jaar 1344, in de Vleeschstraat, op den hoek der straat, welke sinds den naam draagt van St. Nicolaasstraat, eene kapel ter eere van den H. Nicolaas gesticht. Ferricus Puteanus, een Venloonaar, generaal zijnde der orde van het H. Kruis, verzocht en verkreeg, in 1399, van de stads-magistraat den afstand dezer kapel en van eenig belendend terrein. In het bezit van dezen eigendom bevestigd door de goedkeuring van Hertog Willem van Gelderland, van Joannes van Beijeren, Bisschop van Luik en van Paus Bonifacius IX, nam hij voor, te dier plaatse, een klooster zijner Orde te stichten. Den 3 Mei 1400 werd daartoe, door Pater Lubbertus van Bommel, de eerste steen gelegd. Hetzelve was binnen eenige jaren genoegzaam voltrokken, om de Kruisbroederen te kunnen ontvangen, en de daaraan verbondene kerk werd in het jaar 1433 daags na het octaaf der H.H. Petrus en Paulus, door den Bisschop van Keulen, met bewilliging des opperhoofds van het diocees van Luik, aan den H. Nicolaas toegewijd.

De kruisheeren-kerk is gelegen op den hoek der Vleesch-

(*a*) Caetera nomina omitto.

en der St. Nicolaasstraat; in de eerst gemelde dezer bevindt zich de hoofd ingang. Zij is regelmatig en innerlijk fraai gebouwd, en is na de parochiale, de grootste kerk der stad. Hare lengte wordt op 160 en hare breedte op 100 voet gerekend. Een aantal pilaren onderschragen het gewelf en verdeelen de kerk in drie panden. Het daaraan vast zijnde klooster is groot en wel gebouwd, het is aanschietende aan de St. Nicolaas-, aan de Bagijnen- en aan de Gasthuisstraat, in welke laatste het zijnen ingang heeft. De kruisheeren uit Venloo hebben, op verschillende plaatsen, kloosters hunner Orde opgerigt. Hun Prior Joannes van Merode liet in 1421, een klooster te Roermond, en in 1436 een ander te Maastricht daarstellen, en de opvolgende Prior, Christiaan van Schelbergen, stichtte dergelijke, in 1480 te Bruggen in het Hertogdom Gulick en in 1484 te Dulcken.

De latijnsche scholen, welke vroeger te Venloo in wezen waren werden, in het jaar 1622, onder het opzigt en bestuur der Kruisheeren geplaatst. Dit geschiedde op aanraden van Erycius Puteanus, welke vervolgens den scholen regelen voorschreef. Het onderwijs, werd er, naar deze regelen, gegeven, tot het jaar 1797, toen de scholen, wegens de suppressie der kloosters, ophielden te bestaan. Tijdens de fransche overheersching moesten de kloosterlingen hunne woonplaats verlaten. De Kruisheeren werden, den 22 Februarij 1797, uit hun klooster gezet, en beide, kerk en klooster werden door het Domein van den Staat verkocht.

De kerk en het klooster dienen sedert dien tijd tot koopmansmagazijnen. Tegenwoordig zijn beide de eigendom der parochiale kerk van St. Martinus, aan welke zij in Junij 1838, bij schenking werden afgestaan, onder voorwaarden, dat deze zal zijn verpligt het oude kerkgebouw, tot hulpkerk en onder toezigt van den tijdelijken pastoor der parochie, om niet aan de stads ingezetenen af te staan, zoodra deze, buiten bezwaar

der hoofdkerk, zullen voorzien in de kosten van de noodige herstelling des gebouws en van deszelfs inwendige inrigting, mitsgaders in het onderhoud of de bezoldiging van den Vicaris.

N°. 427. 10 Aprilis 1797.

Suadetur conventibus restantibus, ut ad electionem Commissarii Generalis ad tempus procedant.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Circulare.

Quandoquidem Amplissimi D.D. Definitores Jacobs et Leurs, respective Priores Nigro-Paludanus et Trajectensis, intendant electionem provisorii commissarii Generalis differre, usque dum electio Rmi Domini Generalis habeat locum, quo super alii definitores et plures Priores ordinis non sunt concordes cum dictis definitoribus, ex hisce principiis.

1mo. Quod [Concilium] Tridentinum praescribit *Sess.* 23, *Cap. de Regul.* praesidem esse eligendum, et eum habere eamdem auctoritatem, quam alii praesides in aliis habent ordinibus.

2do. Quod electio Generalis stante suppressione primariae canoniae fieri nequit, sic tenet regula juris: quod tangit omnes, ab omnibus debet adprobari.

Stante igitur discordia in ordine nostro, quae non nisi per vota Definitorum et Priorum ordinis tollenda est, infrascripti votamus per praesentes, quod electio Commissarii Generalis intra trimestre sit servanda et quidem ex rationibus animos nostros moventibus. Notum est, proh dolor, integro ordini magna mala esse in primaria canonia, et indies majora oriri, et etiam in aliis canoniis forsan extare. Ideo nobis videtur omnis dilatio dissuadenda, et recursus ad omnes definitores quasi impossibilis: si vero Commissarius Generalis sit canonice electus, hac communi

auctoritate, qua posset, statim atque pax generalis publicata est, primo tenetur primariam canoniam visitare, eamdem in disciplinis monasticis reformare ac necessaria pro electione futuri Generalis disponere.

F. Ig. Mertens,
Prior et Ordinis Definitor.
F. H. Gossens,
Prior Embricensis.

Mariae Pacis, hac 10ma Aprilis 1797.

N°. 428. 18 Sept. 1797.

Eligitur Prior conventus Bruggensis.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Nos F. Wilhelmus Jacobs, Prior Nigrae Paludis, ac F. Josephus Leurs, Prior Trajectensis, Ordinis Sanctae Crucis canonicorum regularium Definitores, dilecto nobis in Christo Confratri, Amplissimo Domino Joanni Boetzkes in canonia nostra Bruggensi professo et in eadem electo Priori salutem.

Vacante Prioratu praefatae canoniae nostrae Bruggensis per obitum Amplissimi plurimum Reverendi Domini Henrici Peters, tuis suffragantibus meritis electus es Prior ejusdem, die decima octava mensis 7bris anni 1797, nobis praesentibus ac praesidentibus. Cum igitur nec in te, nec in tui electione ullum noscamus impedimentum canonicum; te Amplissimum Dominum Joannem Boetzkes, ut supra electum, vacante generalatu, auctoritate vi statutorum definitorio actuali competente, in Priorem praedictae canoniae nominamus et confirmamus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Dantes tibi plenariam ordinariam potestatem, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, qua ita praesis ut prosis. Mandantesque omnibus religiosis, tam canonicis, quam aliis in praefata canonia professis, ut tibi honorem et reverentiam exhibeant, ac obedientiam praestent juxta

regulam et constitutiones sacri et canonici ordinis nostri Sanctae Crucis.

In quorum fidem et robur praesentes manibus propriis subsignavimus et munivimus in praefata canonia Bruggensi die et mense et anno quibus supra.

N°. 429. 6 Maii 1800.

Renovatur contractus „admodiationis" bonorum conventus S. Agathae, inter Reipublicae Batavae proceres et canoniam praedictam, pro annuo censu 1700 *floren., sub iisdem conditionibus, quibus* 20 *Sept.* 1785 *factus erat, per duodecim annos effectum sortiturus, incipiens ab anno* 1797 (*a*).

(Apographum authent. in tabulario conventus S Agathae).

N°. 430. 4 Dec. 1801.

Canoniae S. Agathae, tempore belli Gallici multas passae injurias et damna (b), a Reipublicae Batavae proceribus remittitur census unius anni „admodiationis", sive 1700 *flor.*

(Apographum auth. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 431. 23 Nov. 1802.

Per Reipublicae Batavae proceres licet assumere octo novitios conventui S. Agathae.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

Extract uit het Register der Besluiten van het Staats-Bewind der Bataafsche Republiek.

Dingsdag, den 23sten November 1802.

Gehoord zijnde het gerapporteerde door de Commissie van

(*a*) Cf. N. 412, pag. 574.

(*b*) Haec damna escendunt ad summam 4612 flor.

Financien, ingevolge van, en ter voldoening aan het Besluit Commissoriaal van den 12 dezer maand n° 21, geexamineerd hebbende het rapport van Thesaurier-Generaal en Raden van Financien van den 5e bevorens n° 14, gerequireerd den 4 October j.l. n° 32 op het rapport van den Commissaris van het Staats-Bewind, gecommitteerd tot de door de Franschen aan deze Republiek gecedeerde Landen van den 30 September daar te voren, gerequireerd den 5 April dezes jaars n° 63 op de requeste van de Conventualen van het klooster te St. Agatha, gelegen in den Lande van Cuijk, op gronden daarbij aangevoerd, verzoekende, dat aan hun mogt worden toegestaan, om nog acht nieuwe leden, tot hunne adsistentie aan te nemen.

Is na deliberatie, beslooten aan de Requestanten vrij te laten, om nog acht nieuwe leden ter hunner adsistentie, aan te nemen, geduurende den loopenden twaalfjarigen termijn van admodiatie, met den jare 1812 zullende expireeren; onder expresse reserve aan het Staats-Bewind, om des niettemin na verloop van dien tijd over de goederen van het voorsz. klooster zodanig te beschikken, als ten meesten voordeele van den Lande zal bevonden worden te behooren.

En zal extract dezes worden gezonden aan Thesaurier-Generaals Raden van Financien, om te dienen tot deszelver informatie; midsgaders gelijk extract aan de Requestanten worden afgegeeven, om te strekken tot derzelver naricht.

Accordeert met voorsz. Register.

S. Dassevael.

B. 51.

N°. 432. 3 Jan. 1803.

Prior canoniae S. Agathae eligitur Rev. D. Jos. Leurs, nuperrime Prior Mosatrajectensis et ordinis definitor.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

In nomine Domini. Amen.

Omnibus, quorum interest, notum sit, quod defuncto 24ta 8bris anni millesimi septingentesimi nonagesimi tertii, plurimum Reverendo ac Amplissimo Domino Francisco Wilhelmo Loverix, piae memoriae Priore meritissimo Can. Reg. Ordinis Stae Crucis ad Stam Agatham, et quoniam ob criticas illius temporis circumstantias, infra tempus in statutis ordinis praefixum, non licuit institui electio novi Prioris, a Perillustri ac Reverendissimo Domino Praeposito nostro Generali Jacobo Sigisberto du Bois piae memoriae, in litteris de 22da 9bris ejusdem anni, ad interim ac provisorie praeses constitutus est plurimum Rdus Dnus W. Wynantz, Procurator ac senior hujus canoniae, qui hucusque continuavit; et cum jam iterum electio novi Prioris fieri liceat: quare omnes canonici hujus canoniae professi, et ad electionem jus habentes simul in loco capitulari convenere die 3tia mensis Januarii anni millesimi octingentesimi tertii, ex commissione Definitorii (vacat namque ob injurias temporis sedes Generalis Ordinis Stae Crucis) praesidente Amplissimo Domino Josepho Leurs Ordinis Definitore et Priore domus olim in Trajecto, servatis de jure servandis, et requisitis requirendis, ad electionem canonicam novi Prioris processerunt via scrutinii Amplissimus Pr. Leurs, [et] R. D. P. Geusen.

Amplissimi Domini Definitores.

Via scrutinii die 3tia Januarii anni 1803 a majori parte electorum electus est plurimum Rdus et Amplissimus Dnus Josephus Leurs, Definitor et Prior extra Trajectum, praeses in

electione, jamque Prior ad S. Agatham, aet. 53, qui publicatione facta Prioratum acceptavit, et etiamnum acceptat, prout nos omnes et ipse electus infrascripti attestamur: proinde confratres hujus canoniae supplicant, ut Amplissimi D.D. Definitores, vacante ob injuriam temporis sede Generalis, legitimam praefatam electionem approbare et ratificare, electumque sua auctoritate roborare, confirmare ac stabilire quam primum dignentur; interea Deum Opt. Max., fortiter omnia suaviterque disponentem, deprecaturi, ut vos diu incolumes, calamitoso hoc tempore, conservare et confortare dignetur, pro salute gregis exigui, etiamnum superstitis. Sub filiali obedientia ac votis de tempore subsignamur, vobis specialiter noti Confratres San-Agathenses.

F. W. WYNANTZ, Senior et Procurator.
F. J. A. BEYERTZ.
F. J. R. SCHWARTZ.
G. H. VAN IPEREN.
F. J. LEURS, Prior ad Stam Agatham.
F. GOD. NEERHOVEN, qua Secretarius.

N°. 433. 6 Jan. 1803.

Fr. Jacobs et Fr. L. Meyers, Priores et Definitores, confirmant et approbant electionem Prioris Fr. Jos. Leurs, conventus S. Agathae.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

In Marienweiler, hac 6ta Januarii 1803.

N°. 434. 1 Sept. 1803.

Fr. Wilh. Kanters, in domo Venlonensi professus, modo suppressus, „incorporatur" canoniae S. Agathae.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 435. 19 April. 1804.

Rogatu Fr. Jos. Leurs, committit Pius VII P. M. Vice-Superiori missionis Hollandicae, ut, si ipsi videbitur, octo conventus superstites eligant in coenobio, sibi opportuno, Commissarium Generalem Ordinis S. Crucis.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

Beatissime Pater!

Exponitur humiliter sanctitati vestrae, ex parte devoti illius oratoris Fr. Josephi Leurs, ordinis exempti Fratrum Canonicorum regularium Sanctae Crucis, actualis Prioris domus nostrae ad Sanctam Agatham in Agro Cuykensi, sub republica Batava, ultimi capituli generalis Definitoris, quod cum Reverendissimus noster Generalis Jacobus Guisbertus Josephus du Bois, qui semper erat Major Prior suppressae domus nostrae Huyensi, in Patria Leodiensi, turbulentis hisce temporibus sit pie in Domino vita functus, octo canoniae adhuc subsistentes ordinis nostri, (nempe duae in Territorio Batavo ad ripam sinistram Mosae, una ad Sanctam Agatham, altera Udae et sex ad ripam dextram Rheni, nempe tres sub ditione Clivo-Borussica, Embricae, B. Mariae Pacis et Duisburgi, duae in ducatu Montensi, una Irnsteen, altera Beyenborgh, et octava in regione Sauriensi, nempe Glintveld), Pastore suo careant, prae votis autem habeant in decorem domus Dei ordinisque sui, nec non ad animarum sibi concreditarum salutem, novum eligere Pastorem, seu commissarium Generalem, qui in omnibus jurisdictionem nuper defuncti Magistri Generalis plene obtineat, conformiter ad nostra sancta statuta; cum autem pium desiderium nostrum absque sanctae sedis consultatione, et dispositione hac in parte adimpleri non possit, hinc ad sanctitatem vestram supplex accurro, praevie etiam in eum finem exponendo:

Primo. Quod, vigore capitis 3[tii] distinctionis 2[dae] nostrarum

constitutionum, prout ex adjunctis sub litt. A patet, mortuo vel amoto Priore Huyensi, Definitores capituli generalis in omnibus, quousque Prior Huyensis sit electus, plenariam ipsius potestatem obtineant, illi autem sint Ampl. D. D. Fr. W. Jacobs, Prior suppressae domus nostrae in Swartzenbroich, Fr. L. Meyers, Prior itidem domus suppressae Montis Orientis, Fr. F. W. Loverix, Prior ad Sanctam Agatham, anno 1793 pie in Domino vita functus, et mea tenuissima persona, Prior ad Sanctam Agatham, olim Trajecti ad Mosam: quorum primo nominatus, licet ipsius aetas provectior ac tremulae manus omnem ferme curam ac laborem pro ordine reddant impossibilem, attamen me pro viribus rogat (ut patet ex adjunctis sub litt. B) ut pro prudentia, qua possum, allaborem, ut de capite nobis provideatur, alter vero a longo jam inde tempore sese rebus ordinis nostri immiscere valedixit et a congregatione territorio Gallicano extranea, ne pensionem perdat, abstineri praefert, et hinc cura illa mihi soli principaliter incumbat.

2do. Quod nedum Definitores praesentes, et praeteriti capituli generalis, sed etiam quilibet confratrum domus Huyensis, saltem ad S. subdiaconatum promotus, antecedenter habuerit votum activum (ut patet ex eodem capite 3tio sub litt. A) ex eo quod Rmus Generalis insimul esset illorum confratrum Huyensium Prior: hi vero sint expressi, et ab Eminentissimo Domino Cardinali Caprara S. Sedis pro Republica Gallicana legato, subjecti Episcopo Leodiensi, et ne pensionem perdant, extraneae congregationi supersedere teneantur.

Quatenus sanctitati vestrae placeat benigne annuere, et statuere, quod Priores actuales acto canoniarum praedictarum et totidem eorum socii, eum in finem praevie a conventualibus respectivis, modo statutis nostris conformi electi, pro hac vice in domo nostra ad Stam Agatham, per me, qua Definitorem, legitime possint in Domino convocari, in ordine, ut annuente Spiritu Sancto, postquam fuerint congregati, in uno conclavi in

clusi, prout dictum caput tertium exhibet, „primo plures medietate omnium eligentium licite et valide sibi eligere possint unum ex Prioribus actualibus in commissarium generalem, qui ad sexennium," saltem plenaria Magistri quondam ad vitam generalis potestate in omnibus gaudeat, dein tres, vel quatuor quoque Definitores ex iisdem Prioribus, vel etiam ex praesentibus sociis, sed curam animarum habentibus, cum eadem potestate, quam constitutiones nostrae Definitoribus capituli generalis tribuunt, et insuper cum Commissario Generali canonice electo determinandi domum, in qua futurum capitulum generale post sexennium sit celebrandum, et ita deinceps, donec Sancta Sedes aliter ordinaverit.

Quam gratiam ordini praestitam, precibus ac sacrificiis nostris demereri conabimur.

Sanctitatis vestrae,

Ad Sanctam Agatham,
hac 26ta Octobris 1803.

Filius Obedientissimus,
Fr. JOSEPHUS LEURS,
Prior ad Sanctam Agatham, et ordinis Definitor actualis.

[Apostilla].

Ex audientia Sanctissimi Domini nostri, Domini Pii P. P. VII, habita per me infra nominatum S. Congregationis de Propaganda fide secretarium, die 19 Aprilis 1804, Sanctissimus remisit preces arbitrio et prudentiae R. D. Aloysii Ciamberlani, Vice-Superioris intimi missionis Hollandicae cum facultatibus necessariis et opportunis, et si compererit vera esse exposita cum canonicis S. Crucis collatis consiliis, eligas coenobium, in quod proximum eorum generale capitulum tutius ac commodius convocari possit, iisdemque alia omnia superius petita concedere valeat, quibuscumque contrariis non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus dictae S. Congregationis die et anno, quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione, quocumque titulo.

(L. S.) Dominicus Archiepiscopus MYREN, Secretarius.

N°. 436. 30 Sept. 1804.

Rogatu Fr. Jos. Leurs, largitur Pius VII, P. M. illi unico Definitori superstiti, jurisdictionem in residuos quatuor ordinis conventus.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

Beatissime Pater!

Cum ob iniquam temporum conditionem exequutioni mandari haud potuerit indultum Apostolicum, quo canonicis regularibus Crucigeris sub Dominio Batavo, et Borussico degentibus, potestas recens facta fuit eligendi sibi novum Generalem, eo quod nuper duo ex monasteriis dictae congregationis suppressa sint (*a*), aliaque periculo suppressionis exponantur sub Dominio Borussico, ideoque ad electionem procedere nequeant canonici praedicti, donec certi sint, quaenam domus, seu canonia et an sufficientes conserventur: hinc humillime Sanctitati vestrae supplicatur, ut ad interim et donec ad electionem novi Magistri Generalis procedi possit, necessaria et consueta jurisdictio, quae juxta Caput III Statutorum ejusdem congregationis, ad Definitores mortuo Generali devoluta est, continuetur et confirmetur in unico superstite Definitore, D. Josepho Leurs, Priore ad S. Agatham. Cum enim agatur de jurisdictione spirituali, et cura animarum postulat praedictus Prior et Definitor Josephus Leurs, qui solus remanet ex tribus Definitoribus, ut expresse ipsi committatur jurisdictio, quae vi constitutionum duobus aliis conjunctim competeret, et pro gratia.

[Apostilla].

Ex audientia SSmi Dni nostri, Dni Pii P.P. VII, habita per me infrascriptum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide secretarium, die 30 Septembris 1804.

(*a*) Nimirum canonia in Kernstein et in Byenburg, ditionis Montanae.

Sanctitas sua, inspectis iis, quae in supplici libello enarrantur, ac perpensis causis in eo adductis, benigne indulsit, ut donec ad novi Magistri Generalis electionem procedi possit, unicus superstes Definitor Congregationis Canonicorum regularium Crucigerorum, de quo in precibus, jurisdictionem spiritualem, quae vi constitutionum duobus aliis conjunctim competeret, exercere possit: regulis, ac statutis dictae Congregationis ceterisque contrariis non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus dictae Congregationis die et anno, quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

(L. S.) Dominicus Archiepiscopus Myren, Secretarius.

N°. 437. 8 Nov. 1804.

Conventus ordinis superstites certiores reddit Fr. Jos. Leurs, ordinis definitor, sibi a summo Pontifice, jurisdictionem in omnes confratres datam esse.

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis) (a).

Amplissime Domine, Plurimumque Reverendi Domini Confratres!

Salvaturus perituras brevi nostrae canonicorum regularium Sanctae Crucis congregationis reliquias, aut saltem sub ordinarii jurisdictionem delapsuras, re maturius perpensa, cum vix mihi consilium, aut auxilium in praesenti crisi, ubi periculum erat in mora, ex parte confratrum nostrae congregationis suppeteret, nil visum fuit aeque expedire, quam ad S.S. Patrem nostrum Papam Pium VII, ocius rem deferre, supplicando, ut dignetur, donec ad electionem novi Magistri Generalis procedi possit, mihi concedere jurisdictionem, qua, defuncto Generali

(a) In apographo in conventu S. Agathae obvio, praefigitur hic titulus: »Litterae circulares datae ad Amp. Embricensem, Mariae Pacensem, Udensem et Duysburgensem".

Magistro, per capitulum III statutorum nostrorum ad Definitores conjunctim devolvebatur: hac autem (favente Altissimo) cujus providentia omnia gubernantur, Sanctissimus Pater dignatus fuit, mihi concedere per indultum, cujus copiam exemplari per omnia conformem vobis transmitto, qui singulari cum affectu in osculo fraterno perennat.

Amplitudinis vestrae, ac R. R. Confratrum
Famulus Humillimus,
F. J. Leurs,
Prior et Definitor.

Ad Stam Agatham, hac 8va 9bris 1804.

N°. 438. 21 Jan. 1805.

Fr. S. W. Gielen actus professionis in conventu S. Agathae.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 439. 8 Junii 1805.

Ab ordinario Fr. Simoni Wilhelmo Gielen conceditur facultas, tempore biennii excipiendi utriusque sexus Christi fidelium confessiones, per partem Batavam dioecesis suppressae Ruremundensis. Prorogatur ad sexennium d. 8 *Junii* 1807 *et usque ad revocationem d.* 8 *Junii* 1813.

(Autographum in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 440. 15 Maii 1806.

Acta sex spectantia ad electionem Rev. Fr. S. W. Gielen, in Priorem canoniae S. Agathae.

(N°. 1, 3, 4, 5 chirographa Fr. Wijnantz, n°. 2 et 4 authentica, in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 1.

Illustrissime ac Reverendissime Domine Episcope!

Vacante Prioratu domus nostrae S. Agathae, canonici ordinis

S. Crucis, per mortem Amplissimi Domini Josephi Leurs, Prioris, quae accidit 23 Aprilis a. c., necesse est ut procedamus ad novam electionem, et quoniam ordo noster ob injuriam temporis est sine capite, mortuo 21 X[bris] 1796 Reverendissimo Patre Generali, et cessante definitorio per mortem ultimi definitoris, Prioris S. Agathae ut supra, exstantibus solummodo duobus conventibus sub Gubernio Batavico, videlicet, Udensi et Agathensi, ultra Rhenanis subjacentibus interdicto communicationis cum superiore extraterritoriali, submittimur dispositioni Conc. Tridentini *Sessione* 24 *de Regularibus*, et veneramur Apostolicae sedis legatum. Quare, Illustrissime ac Reverendissime Domine, omni qua par est humilitate et veneratione, nos conventuales San-Agathenses sistimus coram Illustrissima dignitate vestra, supplicantes, ut assignare dignetur plurimum Reverendum Dominum Adrianum Smits, Priorem domus Udensis, ut praesideat in electione neo-Prioris, cui Priori Udensi praevie notificanda erit haec commissio, ut valeat die bene viso, et non impedito ad S. Agatham adesse, quam gratiam etc.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis vestrae,

Humillimi et Obedientissimi famuli,

F. W. Wynantz, Senior.
J. A. Beyertz.
J. R. Schwartz.
W. Kanters.
S. W. Gielen.
J. Cornelissen.
F. van Tiel.

Ad S. Agatham, 15 Maii 1806.

N°. 2.

Joannes Baptista Robertus van Velde de Melroy, Dei et Apostolicae sedis gratia, Episcopus, nuper Ruraemundensis,

nunc ejusdem olim dioecesis pro parte Batava Administrator Apostolicus, primas Geldriae &c. &c. &c.

Dilectis nobis in Christo Rdis Adm. Dominis Conventualibus Canoniae ad Stam Agatham, in districtu nostro Cuykensi, canonicorum regularium ordinis Stae Crucis, salutem in Domino.

Cum exposueritis nobis, quod Prioratus Domus vestrae S. Agathae, in districtu nostro Cuykensi, ad praesens vacet ac Rectore careat, per mortem Amplissimi Domini Josephi Leurs, ultimi Prioris vestri, die 23 Aprilis nuperi vita functi, quodque ad novam electionem procedere haud valeatis, ex eo quod, mortuo ab anno 1796 Rmo Patre Generali, cessanteque per mortem Amplissimi Prioris vestri ultimi, dum viveret, Definitoris superstitis definitorio, ordo vester sit sine capite seu Superiore immediato, exstentque solummodo duo conventus sub Gubernio Batavico, ultra-Rhenanis politico subjacentibus interdicto communicationis cum Superiore extraterritoriali. Quare humiliter supplicaveritis nobis, ut facultate a Sacro Concilio Tridentino, similibus in casibus, Episcopis, in quorum dioecesibus monasteria existunt, concessa, Praesidem assignare vellemus ac dignaremur, qui electioni novi Prioris canonice et juxta constitutiones ordinis vestri faciendae, assistat: nos attentis expositis, et praesertim, conservationem domus vestrae in bonum Stae Religionis nostrae in hisce partibus, cordi habentes, attentoque periculo in mora, qua Apostolicae sedis legatus, pro hoc casu votis vestris annuendum duximus, prout annuimus per praesentes, eadem authoritate in praesidem electionis infra octiduum instituendae nominantes Rdum Adm. Dominum F. W. Wynantz, domus vestrae religiosum Seniorem ac Procuratorem, cui facultatem omnem necessariam et opportunam concedimus et impertimur, ut juxta statuta ordinis vestri, coassumpto Rdo Adm. Dno. G. Neerhoven, canoniae dispersae Venlonensis ordinis vestri religioso Presbytero, qui Secretarii vices suppleat, ut est moris et consuetudinis, in omnibus procedat. De caetero ex-

hortamur vos omnes et singulos, ut de eligendo dignissimo Priore a nobis, ut supra, quantocius confirmando, cogitetis sincerissime.

Datum Graviae in residentia nostra Episcopali die 21 Maii 1806.

J. B. R. Episcopus, nuper Ruraemundensis.

De mandato Illustrissimi ac Rmi Domini Episcopi Praefati.

F. A. Consgen, Secretarius.

N°. 3.

In nomine Domini. Amen.

Tenore praesentis instrumenti omnibus, quorum interest, notum sit, quod defuncto 23 Aprilis 1806 Reverendo ac Amplissimo Domino Josepho Leurs piae memoriae, Priore meritissimo ordinis S. Crucis, domus S. Agathae in agro Cuykensi sub Gubernio Batavico, vacante ab a° 1796 sede Generalis ejusdem ordinis, ac cessante definitorio per mortem ultimi definitoris, Prioris S. Agathae, ut supra: nos, canonici regulares San-Agathenses in hisce ordinis circumstantiis recursum sumsimus ad Illustrissimum ac Rdissimum Dnum Joannem Baptistam Episcopum, nuper Ruraemundensem, et modo ejusdem olim dioecesis pro parte Batava administratorem, postulantes praesidem in electione novi Prioris, qui Illustrissimus, qua sedis Apostolicae delegatus, in hoc particulari casu, conformiter dispositioni S. Concilii Trid., votis nostris libenter annuit, in gratioso rescripto de 21 Maii a. c. et praesidem nobis assignare dignatus est ex gremio R. D. Wilh. Wynantz, Seniorem et Procuratorem domus, coassumpto R. Dno Neerhoven, dispersi conventus Venlonensis ejusdem ordinis religioso Presbytero, qui Secretarii vices suppleat; quare etc.

N°. 4.

In loco capitulari praeses dicit: Placet locus et tempus? R. Ita.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Dilecti Fratres.

Arduum hodie et quidem hac hora nobis incumbit opus in electione Prioris localis, quae dignitas est ad vitam et non exiguas, imo graves annexas habet obligationes. Praeterquam quod sit Pastor animarum suorum, quibus praeest; pro quibus (si ex negligentia pereant) in districta judicii die rationem reddet. Essentiale in hoc regimine est, ut chorum procuret, ut officium S. studiose pariter et devote psallatur, studiose quoad officium oris, devote quoad officium cordis: quoniam per hanc observantiam benedictio promanat in concreditam domum, pro qua et Marthae et Magdalenae curam necesse est ut cordi habeant; quare haec dignitas prioralis magis onerat, quam honorat: sed nostrum est, dilecti F.F. hoc onus allevare, ut juxta monitum apostolicum, *Gal.* 6, alter alterius onus portemus, ut sic adimpleamus legem etc.

Eligamus ergo ex nobis, virum boni testimonii, et gaudium meum erit plenum, si concordibus votis eligamus, quod inspiret nobis Spiritus Sanctus!

Veni, Creator Spiritus etc.

N°. 5.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Feria 3tia. Pentecostes, incidente in diem 27 Maii 1806, via scrutinii primi, a majori parte electorum, quorum numerus 7, per 5 suffragia in Priorem S. Agathae electus est, servatis de jure servandis, ex gremio R. D. Simon Wilh. Gielen, aet. 26, qui

publicatione facta, Prioratum acceptavit et etiamnum acceptat, prout infrascripti nos et ipse electus attestamur. Consequenter hujus coenobii confratres supplicant, ut Illustrissimus Dnus Graviae residens, qua sedis apostol. delegatus, praefatam electionem approbare et ratificare electumque Priorem sua auctoritate confirmare dignetur. Iterea Deum Opt. Max. pro salutari ac longaevo regimine Illustrissimae Dignitatis suae, hoc calamitoso tempore, deprecaturi, praesens electionis decretum sigillo conventus et signatura nostra munivimus.

Ad S. Agatham, die ut supra.

F. W. Wynantz.
J. A. Beyertz.
R. Schwartz.
W. Kanters.
J. Cornelissen.
F. van Tiel.
S. W. Gielen.
G. Neerhoven, Secretarius.

N°. 6.

Joannes Baptista Robertus van Velde de Melroy, Dei et Apostolicae sedis gratia, Episcopus, nuper Ruraemundensis, nunc ejusdem olim dioecesis pro parte Batava Administrator Apostolicus, primas Geldriae &c. &c. &c.

Dilecto nobis in Christo Reverendo Adm. Domino F. Simoni Wilhelmo Gielen, canonicorum regularium canoniae ad Stam Agatham, in districtu nostro Cuykensi, religioso professo Presbytero, in Priorem electo salutem in Domino.

Visis litteris confratrum suorum conventualium canoniae ad Stam Agatham, in districtu nostro Cuykensi, exponentium nobis, quod in conformitatem litterarum nostrarum die 21ma hujus datarum, processerint hodie ad electionem novi Prioris viduatae canoniae, per mortem Amplissimi Domini Josephi Leurs,

die 23[tia] Aprilis vita functi; et supplicantium, ut electionem de tua persona factam, adprobare, Teque legitime electum, in Priorem canoniae ad Stam Agatham canonicorum regularium ordinis Stae Crucis, confirmare vellemus ac dignaremur, visaque consensione electioni huic tua, electionem hanc legitime factam adprobamus, et Te, noviter electum, vigore Sacri Concilii Tridentini, qua Delegatus Apostolicae sedis, confirmamus per praesentes, concedentes Tibi secundum ordinis vestri statuta omnem jurisdictionem necessariam et opportunam, tam pro regimine spirituali quam temporali antedictae canoniae ad Stam Agatham, in districtu nostro Cuykensi, mandantesque eadem authoritate omnibus ejusdem canoniae religiosis, ut Te debite electum et hisce confirmatum, ut Priorem recipiant, Tibique Reverentiam omnem exhibeant et honorem.

Datum Graviae, in residentia nostra Episcopali, die vigesima septima Maii, anno Domini 1806.

J. B. R. Episcopus, nuper Ruraemundensis.

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi praefati. F. A. CONSGEN, Secretarius.

N°. 441. 17 Aprilis 1809.

Rex Ludovicus Napoleon decreto in oppido Tilburg dato remittit omnibus in regno suo exstantibus monasteriis dimidiam partem vectigalium et tributorum.

(Apographum authent. in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 442. 1811.

Appendix ad notitiam historicam conventus Embricensis (a).

(De stadt Emmerik, door Everh. Wassenberg beschreeven. Emmerik, 1824, 8°, p. 120—122).

Vervolg van de namen der Prioren.

Gerhardus van Lendt, ... overleden 1665.

(a) Cf. Cod. Dipl. I, 390 n. 124.

Joannes van der Cuil, ...	„	1678.
Henricus Palm, ...	„	1719.
Stephanus Schuler, ...	„	1728.
Joannes Weuster, ...	„	1733.
Martinus Waterschot. Onder deze is een stuk aan de kerk gebouwd, zulks toond het voor den kerkgevel staande jaartal 1787, duidelijk aan, ...	„	1749.
Antonius Zumbult, ...	„	1753.
Henricus Breijel, ...	„	1774.
Henricus Gossens, Onder dezen is in het jaar 1789 de nieuwe vleugel aan het klooster gebouwd	„	1806.

In het jaar 1811, toen het klooster supprimeerd wierd, waren daarin [de] volgende heeren:

Joannes de Kooker, Senior.
Petrus Mathias Moenen, Supprior.
Henricus Claessens, Procurator.
Jacobus Driessen,
Josephus Kircherten,
Henricus Roskamp, } Professoren.
Antonius Neijs,
Wolfgangus Arretz,
Conradus Keunen, Pastoor van St. Aldegondis kerk [† 1823].

In dit klooster zijn van het jaar der eerste stichting 1483 tot het jaar van deszelfs vernietiging 1811, geweest:

Prioren 23;
Geestelijke heeren . 136;
Leekebroeders . . . 38.

Deze te zamen gereekend, maken een getal van 197 perzoonen uit.

Dit klooster gebouw is nog in wezen: deszelfs nieuwe vleugel gebruikt het koninglijke Stadt- en Landgeregt, om dagelijks

zijne zittingen te houden. Eenige kamers hiervan worden van de geregtsboden en andere perzoonen bewoond. Het refectorium dient voor de eerste tot St. Aldegondis kerk behoorende school, waarin de opperleeraar Henricus van Beek, aan de jeugd in lezen, schrijven, rekenen e. z. v. s'morgens, middags en s'avonds onderwijs geeft.

N°. 443. 1811.

Historia gymnasii academici, in canonia Fratrum Ordinis S. Crucis Embricae erecti.

(Dr. Klein, Vorausgeht der Geschichte des Gymnasiums zu Emmerich, *in:* Jahresbericht über den Schulcursus 1852—53 an dem Köninglichen Gymnasium zu Emmerich. 4°. Pag. 76, 79, 82, 83, 107, 112 (*a*).

Uebergang der Schule von den Jesuiten an die Kreuzherren.

Am 23 Juli 1773 wurde durch das Breve „Dominus ac Redemptor noster" der Jesuitenorden aufgehoben. Vorläufig setzten zwar die Jesuiten nach dem Willen Friedrich des Grossen, wie überhaupt in Preussen, so auch an der Emmericher Schule den Unterricht noch eine Zeitlang fort. Als aber kurz nach der Aufhebung die drei Professoren in ihre Heimat zurückkehrten (*b*), und durch Todesfälle die Zahl der Ordensglieder sich bald so verringerte, dass im Anfange der 80ger Jahre nur noch drei Väter nebst zwei Laienbrüdern (weltliche Coadjutoren) im Collegium sich befanden, so sah sich endlich das Martini-Capitel veranlasst, die Regierung auf den nahe bevorstehenden gänzlichen Verfall der einst so blühenden Schulanstalt aufmerksam zu machen. In Folge dessen ward der Richter von

(*a*) Notatu digniora excerpenda duxi.

(*b*) Kort na de suppressie sijn de drie Magisters en een Broeder na hun vaderland vertrokken, zodat de Paters den godsdienst en de scholen tot het jaar 1788 moesten waarneemen. S. Emmerich von Merbeck, pag. 135.

Renesse beauftragt, in gemeinsamer Berathung mit den Jesuiten und dem Capitel Mittel und Wege zur Hebung und Wiederherstellung des Gymnasiums aufzusuchen und in Vorschlag zu bringen.

Am 13 Jan. 1784 überreichte in einer neuen der Schulfrage wegen anberaumten Conferenz der P. Prior Gossens dem Vorsitzenden v. Renesse die schriftliche Erklärung, dass die Kreuzbrüder-Canonie geneigt sei, „an der lateinischen Schule das onus docendi nach dem hieselbst vorhandenen Gymnasischen Fuss eventualiter auf sich zu nehmen und dazu nach Erfordernüss der Sachen und verhoffter Zunahme der Frequentz, die erforderliche Vorbeugungen zu treffen, wenn es Sr. Königl. Maj. gefallen mögte, ihnen das noch vorhandene Vermögen derer Patrum Jesuitarum, so wie es anjetzo sey, erblich und eigenthümlich zu übergeben und es ihrer eigenen Possession dergestalt einzuverleiben, als ob es mit derselben funditus vereiniget gewesen wäre"‘

Dieser Plan kam indess erst 4 Jahre später zur Ausführung, „S^e Königl. Majestät, — heisst es in einer Zuschrift des Regierungsraths von Reimann vom 4 März 1788 an das Kapitel in Emmerich — haben auf den Vortrag der Hochlöbl. Cleve-Märkischen Landesregierung allerhöchst zu bewilligen geruht, dass die Direction der römisch-katholischen lateinischen Schule zu Emmerich dem Kreutzbrüder-Convent anvertrauet, denenselben alle Besitzungen dieses Instituts zur Abnutzung übergeben, und diese Schule allmälig dergestalt vermehret und verbessert werden solle, dass daselbst auch die Theologie dociret werde. Zugleich soll denen noch übrigen Patribus der Jesuiter-Societät eine Pension auf die Zeit ihres Lebens ausgemacht werden, Es ist mir die Arangirung dieses Geschäfts aufgetragen, und ich werde mich des Endes am 5 März in Emmerich einfinden, um dasjenige, welches keinen Ausstand leidet, sogleich zu reguliren u. s. w. Dies geschah; der königliche Commissarius

entband am folgenden Tage die drei Väter von ihren Schulverbindlichkeiten, verständigte sich mit ihnen in Ansehung der Pensionen und setzte die feierliche Uebergabe auf den zweiten April fest. „Nachdem dem dieserhalb herübergekommenen königlichen Herrn Commissarius in Gegenwart einer beträchtlichen Menge Zuschauer in dem ehemaligen Jesuiter-Collegio vom Superiore der entlassenen Patrum sämmtliche Schlüssel waren eingereicht, so überreichte derselbe diese hinwiederum dem Herrn P. Priori der Kreuzherren, als nunmehrigem Praefecto scholarum, mit einer sehr passenden Anrede, worin die neuen Lehrer sowohl, als die ebenfalls gegenwärtig Lernenden zu ihren Pflichten und letztere besonders als künftige Glieder des Staates oder der Kirche zum erforlichen Fleisse, sittlichen Betragen und schuldigen Gehorsam in dringenden Ausdrücken angewiesen wurden. Zu gleicher Zeit übergab der königl. Herr Commissarius den drei Vätern der Gesellschaft Jesu die in forma ausgefertigten Entlassungspatente als verdienten Schullehrern mit der darin zugleich enthaltenen Versicherung der bestimmten, gewiss nicht unbedeutenden lebenslänglichen Pensionen".

Da mit dem neuen Schuljahr, von Michaelis 1788 an, die Schülerzahl, die bei der Uebergabe nur 44 betrug, wieder zunahm, so dachten die Kreuzherren an die baldige Errichtung der höheren akademischen Klassen.

Am 26 desselben Monats reichte der damalige Bürgermeister von Rickers, der sich der Schule mit grossem Eifer annahm, einen Bericht über das Gymnasium bei der Regierung ein, in welchem er hervorhebt, dass die Erwartungen so ziemlich in Erfüllung gingen, die gute Ordnung und die Sitten der verwilderten Jugend wieder hergestellt seien, dass der Fleiss derselben auf alle mögliche Weise angespornt und für ihre Gesundheit besonders dadurch gesorgt werde, dass nunmehr die Klassenzimmer geheizt würden, was unter der Direction der Jesuiten nie geschehen sei. Der Erfolg sei merklich, da die

Schülerzahl sich vermehre. Ganz beträchtlich aber werde erst dann die Wirkung sein können, wenn die Studirenden aus dem Clevischen und Märkischen, die jetzt in Münster, Dorsten, Bochold, Düsseldorf, Ruremonde, Cöln oder Douay sich befänden, in Emmerich zu studiren gezwungen würden. Könnten diese ja doch auch hier Alles lernen!... Man werde dafür sorgen, dass in Emmerich die Jünglinge so weit gebracht würden, dass sie sofort nach vollendeten Studien die ordines maiores nachzusuchen und zu erhalten im Stande wären. Er fühle sich diesemnach... veranlasst, an S^e Königl. Majestät das Gesuch zu richten, „dass es Allerhöchstdenenselben gefallen möge:

Erstlich, die Verbindlichkeit der Protestanten, auf einheimischen Schulen und Universitäten zu studiren, auch auf die römisch Katholischen zu extendiren, und vorzüglich zu dem Ende die Emmerichsche Schule zu bestimmen, und da weiter

Zweitens verschiedene Collationes und Stipendia bei Magistraten, Kapiteln und andern moralischen Personen, auch wohl privatis, in hiesigen Provinzen vorhanden seien, die jetzt ausserhalb Landes verwandt und verzehrt würden: alle jene Collatores in Sr Königl. Majestät hiesigen Staaten bei namhaften Bestrafungen anzuweisen, diese beneficia Niemanden, als unter der Bedingung zu conferiren, dass er dafür seine Studien auf dem Emmerichschen Gymnasio fortzusetzen gehalten sei; und dann möge:

Drittens und schliesslich S^e Königl. Majestät die allerhöchste Meinung dahin äussern, dass in der Zukunft kein Eingesessener dieser Provinz mit irgend einem beneficio so wenig Seitens Sr Königl. Majestät, als von Seiten der Privat-Collatoren solle versehen werden, wenn er nicht darthun könne, dass er seinen cursum studiorum in Emmerich sowohl ratione inferiorum, als der höhern Klassen gemacht habe".

Dieser Wunsch des eifrigen Beförderers des Gymnasiums ging, wie wir unten sehen werden, 3 Jahre später in Erfüllung.

Was die Einkünfte und die Besoldung der Lehrer betrifft, so enthält der am 17 Febr. 1798 dem Gericht eingesandte Revenuen-Etat hierüber Folgendes:

	An Kost, Trank, Feuer, Licht u. s. w. nach mässigem Anschlage:	An fixirter Besoldung:	An Pension:	Gesammte jährliche Einnahme:
Die Mitglieder des academischen Gymnasiums erhalten.				
B. Die Professoren in den höheren Klassen:	Rthlr. Stbr.	Rthlr. Stbr.		Rthlr. Stbr.
1. Arsenius Daub, Prof. Dogmatices (Recoll.)	150 — „	65 — 38	„	215 — 38
2. Dr Reinerus Asmus, Prof. Scripturae (Minor.)	150 — „	65 — 38	„	215 — 38
3. Archangelus Woebel, Prof. Moralis (Recoll.)	150 — „	65 — 38	„	215 — 38
4. Disibodus Herman, Prof. Physices (Recol.).	150 — „	65 — 38	„	215 — 38
5. Jacobus Driessen, Prof. Logices (Kreuzh.)	150 — „	65 — 38	„	215 — 38
B. Die Lehrer in den 5 untern Klassen:				
1. Mag. Josephus Kirchherten (Kreuzh.)	150 — „	7 — 40	„	157 — 40
2. Conrad Kühnen . . . . . . (Kreuzh.)	150 — „	7 — 40	„	157 — 40
3. Anton Neys . . . . (Kreuzh.) . .	150 — „	7 — 40	„	157 — 40
4. Petrus Eulen . . . . (Kreuzh.)	150 — „	7 — 40	„	157 — 40
5. Heinr. Rosskamps. . . . . (Kreuzh.)	150 — „	7 — 40	„	157 — 40
Vermöge des Uebergaberecesses an P. Drexler (Jes.)	. . . . . .	. . . . . .	300	300

Rthlr. Stbr.

Summa . . 2166 — 30

Im J. 1811 waren noch 10 Lehrer in Function: in den höheren Klassen der Director Asmus, Prof. Wochel und Prof. Heidelberg für die Theologie, Prof. Wirstorffer für Physik und Mathematik uud Prof. Driessen für die Philosophie, in den untern Klassen Arretz, Neys, Roskamps, Kircherten, und der weltliche Lehrer Derksen.

N°. 444. 17 Martii 1812.

Ad libellum supplicem, in quo Fratres Ordinis S. Crucis conventus S. Agathae contendunt, decretum Napoleonis d. 3 Jan. praecedentis, supprimentis monasteria in circulo Ostiorum Rheni (departement des bouches du Rhin) sibi applicari non posse, cum vi „admodiationis", ultimo Decembris hujus anni finiendae, in bona canoniae suae jus habeant, respondent circulo Praefectus ejusque conciliarii, eos usque ad hoc temporis punctum uti valere illis bonis, quae vi „admodiationis" possident.

(Charta authentica in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 445. 6 Maii 1812.

Translatio confraternitatis S. Rosarii ex suppresso conventu Ordinis S. Crucis Dusseldorpiensi in ecclesiam parochialem S. Lamberti, permissu Vicarii Generalis.

(R. G. Bayerle, Die Katholischen Kirchen Düsseldorf's, (Düsseldorf, 1844, 8°) pag. 264).

Joannes Hermannus Josephus de Caspars, J. U. L. Canonicus Metropolitanus, per Archi-Dioecesin Coloniensem, Sede Archiepiscopali vacante, in Spiritualibus Vicarius Generalis Capituli.

Cum ecclesia Sanctae Crucis Dusseldorpii intra limites Parochiae S. Lamberti sita, modo a Supremo Regimine usibus profanis destinata, proxime profananda sit, et Archiconfrater-

nitas Ss. Rosarii, quae in hacce ecclesia S. Crucis per plura saecula, et amodo cum ingenti populi maximo numero adcurrentis pietate, et singulari devotione floruit, ex ejusdem Supremi Regiminis voluntate, ad ecclesiam parochialem S. Lamberti transferenda sit.

Hinc nos authoritate, qua fungimur hac in parte Archiepiscopali Ordinaria, et accessu ad Summum Pontificem prorsus impedito, simul authoritate Legati Apostolici, licentiam concedimus et impertimur in Domino facultatem, devote in Christo nobis dilecto Dno. Adamo Brewer, Pastori ecclesiae ad S. Lambertum dignissimo, ut non obstante Archiconfraternitate Augustissimi Altaris Sacramenti, in eadem ecclesia S. Lamberto sacra pariter florente, dictam Archiconfraternitatem Sacratissimi Rosarii, ut magnae populi fidelis devotioni erga Beatissimam virginem Mariam satisfiat, ad dictam S. Lamberti ecclesiam, cum omnibus emolumentis, reditibus, ornamentis, bonis, aliisque annexis privilegiis transferre possit et valeat, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem et simul per praesentes mandamus, ut in dicta ecclesia S. Lamberti consuetae hujus Archiconfraternitatis devotionis exercitia accurate serventur, sub directione ac praesidio hujus ecclesiae parochi, fratres et sorores huic Archiconfraternitati adscripti, aut porro adscribendi, omnium privilegiorum ac indulgentiarum huic piissimae Sodalitati annexorum, quantum in nobis est, participes fiant. In fidem praesentes sub manu et sigillo majori propriis dedimus, Tuitii ad Rhenum hac 6[ta] Maii 1812.

J. H. J. von Caspars, Vic. Gen.

(L S.)

Ex Mandato

Melchior Höller, Secret.

N°. 446. 8 Oct. et 5 Dec. 1812.

Queruntur Cruciferi canoniae S. Agathae cum circulo Rheni Ostiorum Praefecto, quod quidam Imperii administri ligna in suis agris excidi jusserunt, quae in auctione publica vendentur. Praefectus considerans, eos novum admodiationis terminum petiisse ab Augustissimo Imperatore, et nulla bonorum parte posse privari, quamdiu ea juste possident, praecipit, ut ligna, in tabellis auctionis expressa, non vendantur.

(Charta authentica in tabulario conventus S. Agathae).

N°. 447. 1814.

Relatio Burgimagistri Udensis ad Commissarium Regium de conventus Fr. Cruciferorum conditione in municipio de Uden.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Mijnheer de Commissaris!

Ter voldoening aan den last, vervat in uwe aanschrijving van den 5 dezer, heb ik de eer U. Ed. G' zoo veel mij doenlijk is ter beantwoording der mij voorgestelde pointen te informeren en wel ad N°. 1.

Dat na de inlijving van het Departement Braband met het Fransch Keizerrijk, en wel in den jare 1812, het binnen deze Gemeente aanwezig klooster der Kruisbroeders is gesupprimeerd geworden.

Ad N°. 2. Dat voor zoo veel mij bekend is, de aard en inrigtingen van dit klooster, dit met alle andere zoortgelijke gestigten gemeen had, dat de Ledematen van het zelve gedeeltelijk uit Geestelijke, gedeeltelijk uit Leek-Broeders bestond, welke gezamenlijk tot het bereiken van het hoogst zedelijk doel waren vereenigd.

Dat volgens de al-oude instellingen van dit klooster niemand

het Lidmaatschap (dan in bijzondere gevallen) in het zelve kon verkrijgen, dan onder inbrengst eener zoo gezegde dote.

Dat niet alleen uit deze successive inbrengsten en andere, mitsgaders uit de industrie der Ledematen, zij de nodige middelen tot hun bestaan hebben gevonden, maar uit deze fondsen de vaste goederen, welke zij bezaten, titulo oneroso verkregen.

Ad 3tio. Dat het inwendig bestuur over dit klooster aan eenen Oversten, steeds uit de Geestelijke Leden van het zelve gekozen, was opgedragen, welke overigens aan de hogere magt en beschikkingen van den Generaal van de Orde moest gehoorzamen.

Ad 4°. Dat het gezegd klooster niet slechts tot een geestelijk doel was ingerigt, maar te gelijk het groot nut voor de Gemeente had, dat de latijnsche scholen door bekwame Ledematen van het zelve werden gedoceerd en de kwekelingen tot al het geen, 't welk de hoge studien moet voorafgaan, opgeleid.

Dat het goede bestuur, het geregeld onderwijs en de gepaste inrigtingen dezer humaniora steeds circa een getal van 100 leerlingen in deze Gemeente trokken, waar door, behalve het algemeen nut van een regelmatig onderwijs, aanzienlijke voordeelen aan deze Gemeente werden toegebragt.

Ad 5°. Dat ten gevolge der administrative verordeningen van het Fransch Bestuur, de Ledematen van het meergenoemd klooster hebben moeten uit een gaan, en ieder voor zich zelven een heen komen gezocht heeft.

Dat de vaste goederen van het klooster in beslag genomen zijn, doch dat men de roerende goederen, met uitzondering van eenige boeken en schilderijen, in het bezit der kloosterlingen gelaten heeft.

Ad 6°. Dat na de gelukkige herkregene onafhanglijkheid van ons Vaderland en na het aanvaarden der souvereiniteit van

onzen geeërbiedigden Vorst, de kloosterlingen successivelijk bij elkander gekomen zijn en zich weder in de possessie van het oud eigendom gesteld hebben.

Het zijn deze informatien, Mijnheer de Commissaris, welke ik na een zoo veel mogelijk nauwkeurig onderzoek, heb kunnen ontwaar worden, en daar ik overigens in geene deelen met de inrigtingen van voormalige andere kloosters ben bekend, kan ik het genoegen niet hebben, UEd. Gestr. meerdere elucidatien aan te bieden.



N°. 448. 1814.

Nomina Fratrum Ordinis S. Crucis in Canonia Udensi.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Staat der gesupprimeerde kloosterlingen, aan welke op derzelver verzoek provisioneel en tot wederopzeggens toe wordt veroorloofd, als particuliere personen, hun verblijf te houden in 't gebouw van het gewezen klooster der Kanonniken te Uden.

Namen.	Ouderdom	Geboorte-plaats.	Provincie of Departement.	Wanneer in 't gewezen klooster aangenomen.	Voormalige klooster betrekking.
Adrianus Smits	73 jaren	Besoijen	Braband	1765	Prior.
Henricus van Rooy . .	57 „	Uden	Idem	5 Dec. 1775	Procurator.
Nicolaas van Vinkenstein	72 „	's Hage	Zuid-Holland	1765	Geestelijke.
Wilhelmus Rijken . . .	71 „	Wychem	Gelderland	1770	Id.
Joannes van Beek . . .	58 „	Vegchel	Braband	23 Junij 1781	Id.
Jacobus van Winden .	36 „	Delft	Zuid-Holland	1802	Id.
Wilhelmus Leijten . . .	40 „	Stratum	Braband	1802	Id.
Antonius Greven . . .	30 „	Uden	Idem	20 Dec. 1805	Id.
Wilhelmus Prins . . .	75 „	Dongen	Idem	1767	Id.

N°. 449. 28 Dec. 1814.

Nomina Fratrum Ordinis S. Crucis in Canonia S. Agathae.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Lijste van de Canoniken Regulieren van het Order des H. Kruis, die zig thans bevinden in het klooster te St. Agatha.

Naamen.	Qualiteit.	Geboorteplaats.	Ouderdom.	In 't klooster gekomen.
Simon Wilhelm Gielen	Prior. . .	Echt, Dept. de Nedermaas	1781 3 Mei	1804 prof. 1805 21 Jan.
Joannes Reinier Schwartz	. . . . .	Steenwijck, in Overijssel	1730 22 Febr.	1769 prof. . . . . . .
Wilhelm Matthias Kanters	. . . . .	Venlo, Dept. Nedermaas	1759 8 Maart	1803 incorp. 1 Sept.
Francis van Tiel	. . . . .	Ewijck, prov. Gelderland	1782 18 Febr.	1804 prof. 1805 21 Jan.
Joannes de Kleijn. . . .	Procurator	Wiechen, prov. Gelderland	1774 20 Febr.	1808 „ 1809 7 Febr.
Antoon Christ. v. Elswijck	. . . . .	Grave, prov. Braband	1773 21 Oct.	1808 „ 1809 7 Febr.
Matthaeus in 't Zandt. .	. . . . .	Lottum, Dept. van de Roer	1785 11 April	1808 „ 1809 12 April.

Overgegeven aan de Commissarissen Verheijen en Panneboeter,
den 28 December 1814.

N°. 450. 11 Febr. 1815.

Epistola Gubernatoris provinciae Brabantiae, ad incolas monasteriorum in sua provincia exstantium directa, qua admonentur, ut satisfaciant decreto regio d. 2 Sept. 1814.

(Charta authentica in tabulario conventus Udensis).

Extract uit het register der Besluiten bij het gouvernement der provincie Braband.

De Gouverneur der provincie Braband ontvangen hebbende eene missive van Z. E. den Heer Secretaris van Staat voor de Binn. Zaken, van 9^{en} dezer maand, n° 41, gaande ten geleide van een afschrift van het Besluit van Z. K. H., van den 8^{en} derzelve maand, n° 38, waarbij onder anderen, uit aanmerking, dat hoogstdeszelfs bedoeling bij Besluit van den 2^{e} Sept. 1814, n° 50, niet geweest is, om het aanwezen der Geestelijken van de gesupprimeerde kloosters van Megen, Deurzen, Haren, Uden, Velp, Boxmeer en St. Agatha, als Geestelijke corporatie te erkennen, of toe te laten, maar om derzelver zamenwoning in het gewezen kloostergebouw, als particuliere personen, welke verlangden zich bij elkander op te houden, tot wederopzeggens toe te gedogen, met inhesie van het gestatueerde bij laatstgemeld Besluit, wordt bepaald:

1°. Dat aan de gesupprimeerde kloosterlingen, welker namen op de bij dat besluit gevoegde staten geplaatst zijn, op derzelver verzoek provisioneel en tot wederopzeggens toe wordt veroorloofd, om als particuliere personen hun verblijf te houden in de gebouwen der gewezen kloosters door hun thans bewoond en in diezelfde staten vermeld.

2°. Dat alle andere personen buiten de genoemden, en in het bijzonder zij, die zich onder den naam van nieuwelingen thans in dezelve bevinden, voor of uiterlijk op den 21 Februarij aanstaande het gewezen kloostergebouw zullen moeten rui-

men en naar hunne respective geboorte- of woonplaatsen terugkeeren, zullende bij gebreke van dien het boven vermeld verleend verlof dadelijk worden gehouden voor vervallen en alle de gewezen Geestelijken onmiddelijk het gebouw moeten verlaten, hetwelk vervolgens ter dispositie van den Hoofdadministrateur der Domeinen zal gesteld worden.

3°. Dat onder dezelfde penaliteiten is verboden het admitteren van professien en alle daden, welke met het besluit van suppressie strijden zouden, mitsgaders het opnemen van eenige nieuwelingen of andere personen hoe ook genaamd en onder welk voorwendsel, zelfs niet de zoodanige, die zich voorheen in het klooster hebben bevonden, maar daarin thans nog niet teruggekeerd en uit dien hoofde op de lijsten ook niet vermeld zijn.

4°. Dat, daar de voortdurende zamenwoning der gesupprimeerde kloosterlingen alleen een gevolg kan zijn der voortduring van derzelver verkiezing, het aan elk hunner steeds vrij en onverlet blijft, om het kloostergebouw ten allen tijde te verlaten, zullende aan hun, die zulks nog gedurende den loop dezes jaars mogten verkiezen, op daartoe door hun te doen aanzoek, billijke pensioenen worden toegestaan.

Besluit.

Art. 1.

De inhoud der voorsz. bepalingen wordt bij deze onder toezending van een afschrift der gemelde staten, voor zoo veel dezelve ieder klooster betreffen, gebragt ter kennisse van de Oversten der kloosters van Megen, Deurzen, Haren, Uden, Velp, Boxmeer en St. Agatha, met last, om dezelve ten stipsten na te komen en door hunne onderhoorigen te doen nakomen, alsmede om uiterlijk op den 22en Februarij aanstaande aan hem Gouverneur berigt in te zenden of de hierboven sub 2° be-

doelde personen het kloostergebouw zullen hebben ontruimd en naar hunne geboorte- of woonplaatsen zijn teruggekeerd, en wat verder door hun ten gevolge dier bepalingen zal zijn verrigt.

Art. 2.

Een afschrift dezes zal aan de Oversten der meergemelde kloosters worden gezonden, om te strekken tot informatie en narigt.

'sBosch, den 11 Februarij 1815.

De Gouverneur voornoemd,

(*getekend*) C. G. HULTMAN.

Accordeert met voorsz. register,

De Griffier,

F. X. VERHEYEN.

Aan den Oversten van het klooster der Kannoniken te Uden.

N°. 451. 2 Martii 1816.

Sacra Poenitentiaria Romae Fratribus conventus S. Agathae concedit facultatem, ineundi cum fisco Regni contractum, super bonis monasterii.

(Charta authentica in tabulario conventus S. Agathae).

Beatissime Pater!

Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devotorum illius oratorum infrascr. Fratrum exempti ordinis Canonicorum regularium Sanctae Crucis, Canoniae ad Sanctam Agatham in Agro Cuyckensi, sub Ditione supremi Principis Foederati Belgii, nunc Regis Belgii; quod Canonia nostra ab anno 1371 suam computans originem, et bona eo spectantia, partim per laborem et industriam praedecessorum nostrorum, partim per pias fun-

dationes dein acquisita, post publicatam a° 1648 Pacem Westphalico-Monasteriensem a Principe Orangiae fuerint confiscata, aut saltem sequestrata et annotata, et praedecessores nostri expulsi, pensione exigua ipsis concessa. A° 1653 praedecessores nostri non nisi velut admodiatores seu locatarii, sub conditione summae notabilis, annue Principi solvendae, restituebantur, a quo tempore, cessante pensione, similis contractus admodiationis successive et singulis passim duodenniis inter Priorem et conventuales hujus Canoniae et inter Gubernium fuit initus, iisque supplicantibus, post emanatum a Gubernio decretum emoriendi de anno 1730, semel et iterum facta fuit licentia assumendi octo novitios.

A° 1812 sub Napoleone executioni mandatur decretum suppressionis decem monasteriorum exstantium in hoc Departemento orum Rheni, quo decreto similiter nobis applicato, datum est nobis in Canonia nostra continuare admodiationem, cujus terminum nondum elapsum esse sustinebamus et habitu regulari semper retento, hucusque chorum servare potuimus. Expulsis itaque per dictam suppressionem confratribus nostris Canoniae Udensis, caeterisque omnibus ordinis nostri Canoniis, et primaria domo Huensi jam antea suppressis, sola canonia nostra ordini superstes mansit.

Mutatis temporis circumstantiis anno praeterito, expulsi religiosi et religiosae dictorum 9 monasteriorum, ad sua monasteria sese fere omnes festinantes contulerunt, et habitu regulari reassumpto, vitam ut ante ducunt monasticam. Nos vero per supplicam supremum Principem rogavimus, ut restitueremur in liberam possessionem et proprietatem nostrae Canoniae et bonorum, eoquod plures sustinebant, bona nostra nunquam formaliter fuisse confiscata, et quod nova constitutio pro Foederato Belgio, a° proxime elapso redacta et acceptata, aequalem cuicumque (ut dicitur) religioni protectionem pollicetur; insuper sustinuimus, Canoniam nostram nunquam formaliter fuisse sup-

pressam. Ast proh Dolor! emanavit decretum supremi Principis de 2 Sept. 1814, quod circa finem ejusdem anni nobis dictisque religiosis fuit intimatum, tenoris praecipue sequentis:

„Disponentes ad supplicam admodiatorum bonorum monasterii ad Stam Agatham; visa instructione Ministri interiorum circa hoc et caetera monasteria (hic reliqua 9 exprimuntur) similiter suppressa, statuimus":

„1°. Omnia recensita monasteria sub praecedenti Gubernio suppressa, sunt et manent suppressa, et unio eorumdem bonorum cum bonis dominicalibus status ratihabetur. Suppressi religiosi et religiosae sua monasteria denuo occupantes, in iis provisionaliter manere poterunt, tanquam personae particulares. Ipsis stricte prohibetur assumere novitios, aut quosvis alios. Promittitur annua pensio religiosis suum monasterium deserere volentibus, quare juxta aliud decretum de 8 Febr. nuperi, praesentis anni cursus cuivis ad deliberandum conceditur. „Personis supra dictis", habentibus quaedam bona sub admodiatione, concedetur, id desiderantibus, admodiationem continuare, „nullatenus tanquam corporationi, sed tanquam personis particularibus", sive (ut habet decretum) „tanquam Individuis"; si tamen monasterium deserere velint, pensione gaudebunt".

Nos igitur Canoniam nostram perantiquam Ordinis Stae Crucis sive Canonicorum regularium Crucigerorum, ut supra, superstitem, et bona conservare satagentes, ast sine bonis saltem aliquibus sub admodiatione hactenus retentis subsistere non valentes, admodiationem, uti olim, continuare mallemus, ut sic dispersionem evadendo, in communi secundum vota solemnia vivere et chorum aliaque officia Divina servando, piae insuper fundatorum intentioni satisfacere possimus. Verum conditio in praefato decreto apposita continuandi nempe admodiationem „tanquam Individua" non levem nobis ingerit formidinem, talem contractum ineundi: defectu tamen hujus summopere timendum

est, quoniam terminus admodiationis modo effluxit, ne Gubernium post tres aut quatuor menses bona nostra publicae elocationi sit propositurum et per licitantes aucto forsan supra modum pretio, quorumdam saltem bonorum jacturam simus subituri.

Quapropter cum adjectionem cujusvis restrictionis a Gubernio rejectum iri, merito vereamur, ad Pedes Sanctitatis Vestrae in Spiritu prostrati, humillime supplicamus; quatenus Sanctitas Vestra, in quantum petere et inire contractum admodiationis sive locationis sub conditione in memorato decreto expressa, nimirum „tauquam Individua" seu personae particulares, votis solemnibus contrariatur, et in quantum opus est, nobiscum benigne dispensare dignetur, ut tuto talem contractum petere, et cum Gubernio inire valeamus.

Quam gratiam nobis praestitam precibus ac sacrificiis nostris demereri conabimur.

Sanctitatis Vestrae,

Filii obedientissimi,

In Canonia nostra ad Stam Agatham, die 21ma Aprilis 1815.

Fr. S. W. GIELEN, Prior.
Fr. J. R. SCHWARTZ.
Fr. W. M. KANTERS.
Fr. F. VAN TIEL.
Fr. J. DE KLEYN.
Fr. A. C. VAN ELSWYCK.
Fr. J. M. IN 'T ZANDT.

Sacra poenitentiaria, attentis expositis, atque ut ea ratione, qua fieri potest, bona sua monasterio S. Crucis in Agro Cuychensi, difficilibus his temporibus, conserventur, de expressa Apostolica auctoritate sibi concessa, impertitur Canonicis Oratoribus, etiam uti singulis, facultatem, ineundi cum Gubernio Batavo super bonis memorati monasterii contractum, de quo in precibus agitur, et ad hunc effectum derogat, quatenus opus sit voto pau-

pertatis. Monet vero eosdem Oratores, et pro perspecta eorum pietate futurum sperat, ut si forte Gubernium in stipulatione contractus conditionem aliquam eis imponere velit, intrinsece illicitam, eam omnio rejiciant, nec committant, ut contractum ea conditione vitiatum ineant.

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria, die 2 Martii 1816.

MICHAEL Cardinalis DE PETRO Major Penitentiarius.

M. DRINCIA, S. P. Secretarius.

Rescriptum Sacrae Poenitentiariae Apostolicae.

Gratis. *(L. S.)*

N°. 452. 14 Martii 1816.

Commissarius Generalis districtus Ravesteinensis et Megensis nominat Fr. H. van Rooy conventus Udensis praesidem.

(Autographum in tabulario conventus Udensis).

A. Borret, pro districtu Ravensteniensi et Megensi Commissarius Generalis.

Dilectis nobis in Christo plurimum R.R. Dominis Canonicis Regularibus Ordinis S. Crucis domus Udensis salutem in Domino.

Post fatalem expulsionem suam a Gallis, omnium regularium in districtu et Vicinia nostra, mox ut pristinam propriamque domum recuperarunt, prima cura fuit superiorem quemdam sibi eligere, prout tamen Episcopo nostro immediate subjectis, ego met non sine maxima voluptate expertus fui.

Vestram unice domum viduantem, et post obitum amplim. Domini Smits in eligendo vel procurando alio sibi superiore torpentem aut tergiversantem non parum miratus video. Immortalem Pium VI suppressos aut potius a Gallis ejectos et ubique dispersos regulares paterne commonuisse novimus, ut religiosos se permanere perpetuo recordarentur, votaque sua, quantum circumstantiae sinunt, servare sedulo studerent.

Quid si dispersi? Quantum igitur eamdem domum inhabitantes vitamque communem in habitu religioso ducentes, ea servare non tenentur? Cum vero inter haec, ut ait Joannes XXII, obedientiae votum primatum teneat, qua ratione id sine superiore adimpleri poterit?

Detrectant forsan aliqui, inani timore Gubernii retenti? Aequus id opinabitur, quod dum cohabitationem patitur, certo noverit quemdam existere debere, qui rei domesticae praeest curamque gerit. Cur enim et aliorum conventus de superiore non arguuntur?

Equidem pacifice fraterne et bene convivimus, quid igitur? An bene vivit, qui sua, dum potest, vota servare non satagit? Numquid. Si scriptura conqueritur: „in diebus illis non erat Rex in Israel, quod rectum sibi videbatur, hoc faciebat". Pro amore igitur vestrae domus vestrique ordinis, quam instanter hortandos vos duxi R.R. D.D., ut haud mora ad Sedem Apostolicam recurratis per libellum supplicem, unanimes supplicantes, quatenus certus quidam vestri ordinis Commissarius vobis assignetur, qua via in arcerbis hisce circumstantiis antiqua vestra jura, privilegia, statutaque recuperare, et quantum fieri possit, intertinere valeatis. Dictum libellum supplicem, licet etiam a paucis dumtaxat subsignatum, lubentissimo animo verificabo confirmaboque.

Interea temporis, pro evitandis variis inconvenientibus, nomine nostri Episcopi, ut in hisce circumstantiis Sedis Apostolicae ad id deligati, ego qua ejus Commissarius, superiorem vestrae domus Udensis pro hacce vice nomino et confirmo R. D. Henricum van Rooy, confratrem vestrum, cui in omnibus et singulis conformiter ad [statuta] vestra vobis obediendum erit, donec vobis de Commissario legitimo sit provisum, quod si praeferatis inter vos ad clandestinam alicujus superioris a me confirmandi electionem procedere, per me licet. Quis enim ego sum, qui jura vestra vel privilegia invadere velim vel mediter, dum nil aliud cordi ha-

beo quam domus et ordinis vestri bonum et commodum, sinceri animi affectu me subsignans.

R.R. D.D. Vr. paratissimum famulum.

A. Borret, Commiss. Gener.

Datum in Reek, hac 14 Martii 1816.

Notandum: juxta canones Dominus Princen absens suffragium suum dare nequit.

[Inscriptio erat].

Reverendis admodum Dominis canonicis DD. Regularibus Ordinis S. Crucis in Uden.

N°. 453. 13 Jan. 1839.

Gregorius XVI, P. M. accedit precibus Fratrum Canoniarum S. Agathae et Udensis, petentium Ampl. D. Ger. Hermans, Vicarium Apostolicum in districtu Cuykensi et Noviomagensi, Commissarium Generalem.

(Apographum in tabulario conventus S. Agathae).

Beatissime Pater!

Exponitur humiliter sanctitati vestrae, quod in Hollandia, in provincia nempe Brabantiae Septentrionalis, supersint duo monasteria, eaque ultima totius ordinis Canonicorum regularium Sanctae Crucis, capituli olim Huensis; in quorum uno (ad Sanctam Agatham) residui sunt Prior et duo fratres, in altero (sito Udae) duo fratres, omnes sacerdotes.

Decreto Regis die 2 Septembris 1814, approbante suppressionem sub Napoleone die 20 Augusti 1812 executioni mandatam, haec duo monasteria, et octo alia diversorum ordinum in eadem provincia sita declarantur esse ac manere suppressa, ad quae re-

ligiosi expulsi fere omnes, anno 1813 et 1814, fuerunt reversi, in iisque etiamnunc superstites tolerantur, decreto prohibenti receptionem novitiorum subjecti.

Cum autem praefati Prior et quatuor fratres, Priore Canoniae ad Stam Agatham Josepho Leurs, Commissario Generali ordinis, a Sancta Sede constituto an. 1806 mortuo, (jam ab anno 1796 per obitum Jacobi Guisb. du Bois Canoniae Huensis suppressae, ordo fuit orbatus Magistro Generali), superiore sint privati, et modo aliqualis spes datur, fore ut religiosi unius duorum praedictorum monasteriorum, siti in pago Sanctae Agathae prope Cuyk et Graviam (qui non fuerant expulsi, et in habitu regulari semper retento pergunt servare chorum, nunc cum uno sacerdote saeculari assumpto) quosdam novitios recipiendi licentiam a rege obtineant, dummodo unum alterumve sacerdotem imbecillem aut mentis inopem suscipere ac curare vellent, ut sic se praeberent, utiles (uti hodiedum loqui placet): hinc fratres subscripti enixe orant, quatenus sua Sanctitas Superiorem sive Commissarium Generalem ordinis Sanctae Crucis pene extincti dignetur constituere A. D. Gerardum Hermans, Vicarium Apostolicum pro districtibus dioecesis olim Ruraemundensis, habitantem Graviae, qui ejusdem ordinis religiosus est, Venlonae anno 1796 suppressus.

Praeterea supplices orant, ut Sanctitas Vestra cum sacerdote saeculari, de quo supra assumpto in assistentem in ecclesia et choro, et cum singulis in utroque monasterio forsan assumendis, benigne dignetur dispensare quoad recitationem officii divini juxta Breviarium Romanum, ita ut hi satisfacere valeant psallendo in choro officium juxta Breviarium Ordinis Sanctae Crucis, et licitum sit eis, diebus, quibus choro non intersunt, alterutro Breviario uti.

Quare oratores humillimi,

S. W. Gielen,
Prior, ab anno 1806.

W. M. Kanters.

A. C. van Elswyck,
Canoniae Sanctae Agathae Fratres.

W. Leyten,
Administrator constitutus an. 1834, a Vicario Apostolico pro districtu Ravensteniensi et Megensi.

J. van Winden,
Udensis Canoniae Fratres.

Ex audientia SS^mi^ habita die 13 Januarii 1839, SS^mus^ Dominus noster Gregorius divina providentia PP. XVI, referente me infrascripto Sacrae Congregationis de propaganda fide Secretario, mature pro summa sapientia sua perpensis expositis, benigne annuit in omnibus pro gratia juxta petita, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in aedibus dictae Sac. Congregationis die et anno, quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione, quocumque titulo.

J. Archiep. Edessen.

No. 454. 28 Nov. 1840.

Guilielmus II, Rex Augustissimus, monasteriis in Brabantia Batava sitis, die inaugurationis benigne largitur facultatem novitios accipiendi.

(Handboekje voor de zaken der R. C. Eeredienst. T. V. p. 183; apographum authenticum in tabulario conventus Udensis).

Wij Willem II, bij de Gratie Gods, Koning der Nederlanden, Prins van Oranje Nassau, Groot Hertog van Luxemburg, enz. enz. enz.

Op het rappòrt van Onzen Directeur Generaal voor de Zaken van de R. K. Eeredienst van den 24 November 1840, n° 3, D. 218.

Gezien de besluiten van den 2 September 1814, n° 50 en 8 Februarij 1815, n° 38;

Hebben goedgevonden en verstaan:

Bij wijziging in zoo verre van de voornoemde besluiten, aan de navolgende in de provincie Noordbraband aanwezige geestelijke vereenigingen; als:

1°. Van de reguliere Kanunniken der orde van het H. Kruis te St. Agatha, onder Cuijk;

2°. Van de Carmelieten en van de Carmelietessen te Boxmeer;

3°. Van de Augustinessen te Deursen;

4°. Van de Capucinessen te Haren bij Megen;

5°. Van de Clarissen en van de Minderbroeders te Megen

6°. Van de Kruisheeren en van de Brigittinen te Uden; en

7°. Van de Capucijnen te Velp,

vrij te laten, om nieuwe leden in hare zamenlevingen aan te nemen, overeenkomstig de voor die instellingen bestaande statuten en behoudens de geestelijke regtsmagt van den Kerkvoogd van het betrokken district.

En is Onze Directeur Generaal voornoemd belast met de uitvoering dezes, waarvan afschriften zullen worden gezonden aan Onze Ministers van Justitie, van Buitenlandsche Zaken en van Binnenlandsehe Zaken, tot informatie en narigt.

[Exemplari, quod canonia Udensis accepit a Directore Generali rerum, cultum religionis Romano-Catholicae concernentium, haec adduntur].

Geeft hiervan aan de belanghebbenden kennis, ten einde zich daarnaar te kunnen gedragen en alzoo van de vrijheid, welke Zijne Majesteit, op den heugelijken dag van Hoogstdeszelfs plegtige inhuldiging, aan hunne vereeniging zoo welwillend geschonken heeft, een dankbaar en doelmatig gebruik te maken.

En zal een uittreksel dezer voor zoo veel ieder aangaat, aan de daarbij betrokken geestelijke vereeniging gezonden worden, terwijl voorts van het bovenstaande Koninklijk besluit afschrif-

ten zullen worden medegedeeld aan den Heere Staatsraad Gouverneur der provincie Noord-Braband, mitsgaders aan de Hoog Eerwaarde Heeren Kerkvoogden, in dat gewest, respectievelijk tot informatie en narigt.

'sGravenhage, den 2 December 1840.

De Directeur Generaal voornoemd,

DE PELICHY.

N°. 455. 15 Dec. 1840.

Ab Ampliss. D. Ger. Hermans constituitur canoniae Udensis praeses Rev^dus Fr. Henr. van den Wymelenberg, Ord. S. Crucis canonicus regularis.

(Epistola autographa, in tabulario Revmi Magistri Generalis).

Wel Eerw. Heer Confrater!

Leve Gregorius XVI. Leve Willem II.

De Hemel geve dat de goede zaak zoo mag blijven vooruitgaan. Wij willen daarom den goeden God bidden: Hij toch, de Koning der Koningen, heeft ook het hart van onzen Koning in handen en kan hetzelve dus ten goede blijven bewegen.

Ik prijs uwe nederigheid en te gelijk uwe voorzigtigheid met uwen keus te laten vallen op H. van den Wijmelenberg.— Ergo qua Commissarius Generalis Ordinis S. Crucis benoem ik den Wel E. H. van den Wijmelenberg, Kruisheer, tot Overste van het Kruisheerenklooster te Uden; en ik wil dat Zijn Eerw. in die qualiteit van stonden af aan erkend wordt.

Ik heb de eer te zijn,

Uw Es. Dienaar en Confrater

G. HERMANS,

Vic. Gen. Apost. et Comm. Gen. Ord. S. Crucis.

Grave, den 15 Dec. 1840.

[Inscriptio est].

Wel Eerwaardigen Heer, den Heere J. van Winden, Kruisheer in het klooster te Uden.

N°. 456. **23 Dec. 1841.**

Ampliss. D. H. van der Velden, Administrator Apostolicus et Ordinis S. Crucis Commissarius Generalis Rev. D. H. van den Wymelenberg ejusdem ordinis constituit Commissarium Generalem.

(Autographum in tabulario Revmi Magistri Generalis).

Henricus van der Velden, districtuum Graviensis, Ravenstenieusis et Megensis Administrator Apostolicus.

Omnibus has praesentes visuris, lecturis, et audituris, salutem in Domino.

Cum ex audientia SSmi Domini nostri Gregorii P.P. XVI, habita die prima Augusti 1841, rescriptum nobis sit a S. C. de Propaganda Fide in causa RR. Dominorum Canonicorum regularium Ordinis S. Crucis, qui tunc Commissario Generali carebant; a Sanctissimo Domino esse mandatum, ut vel Administrator ipse Apostolicus, vel ab eo electus ad id muneris ab omnibus agnosci debeat, cum omnibus et singulis facultatibus, quibus sui in dicto munere Praedecessores fruebantur, contrariis quibuscumque non obstantibus: Hinc est, quod nos, re mature considerata, in Commissarium Generalem praedicti Ordinis S. Crucis elegerimus, et virtute praesentium constituamus, Rev. Adm. Dominum Henricum van den Wymelenberg, Canoniae Udensis Praesidem ac Regentem.

Volumus autem et mandamus, ut omnes ejusdem ordinis alumni eum ut Superiorem suum, seu Commissarium Generalem, omnibus supra indicatis facultatibus instructum, agnoscant et recipiant, ac ad eum, tamquam ad Patrem suum Spiritualem recursum libere habeant, eique ut tali juxta regulam et particulares sui ordinis constitutiones in omnibus subjaceant, pareant, et obediant.

Datum in Uden, die 23 Decembris 1841.

(L. S.) H. van der Velden, qui supra.

N°. 457. 15 Sept. 1842.

Gregorius XVI, P. M. concedit R. D. Henrico van den Wymelenberg, Commissario Generali Can. Reg. Ord. S. Crucis, praesidi et regenti conventus Cruciferorum in Uden, facultatem benedicendi rosaria cum indulgentia 500 *dierum, Priori Generali an.* 1630 *datam.*

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis).

N°. 458. 25 Junii 1843.

Gregorius XVI, P. M. largitur R. D. H. van den Wymelenberg, Commissario Gen. Ord. S. Crucis, ut indulgentiae plenariae, die 29 *Sept.* 1786 *in septem praecipuis B. M. V. festivitatibus sacello publico de Uden datae, extendantur ad octavas eorumdem festorum et ad sabbatha quadragesimae, quo tempore in dicto sacello sacra instituitur meditatio.*

(Apographum authent. in tabulario conventus Udensis).

N°. 459. 5 Dec. 1843 et 28 April. 1844.

Gregorius XVI, P. M. indulgentias plenarias concedit Christi fidelibus, qui in festo S. Odiliae et per ejus octavam, in conventibus Cruciferorum Udensium, et S. Agathae, territorii Cuykensis, S. Communione post confessionem recepta, oraverint pro propaganda fide.

(Indultum canoniae Udensi datum, impressum est in calce libelli Rev. P. de Bruyn, cui titulus: *Handboekje ten dienste der Vereerders van de H. Maagd en Martelares Odilia:* alterum, conventui S. Agathae concessum, authentice servatur in tabulario ejusdem canoniae).

N°. 460. 18 Maii 1844.

Acta visitationis conventus S. Agathae.

(Authenticum in tabulario conventus S Agathae).

In nomine Domini. Amen.

Perdilectis in Christo Fratribus canoniae San-Agathanae F. Henricus van den Wymelenberg, canonicorum regularium ordinis S. Crucis Commissarius Generalis ac canoniae Udensis Superior, gaudium et pacem in Domino.

Quandoquidem in visitatione, habita anni millesimi octingentesimi quadragesimi quarti die decima Maii, Confratrum omnium animum in illud collimare perspectum habui, ut et suam ipsius salutem aeternam et proximi aedificationem verbo et exemplo, et vel maxime ordinis florem primarium prae se ferre sibi quisque jus ducat sacratissimum, et oretenus in capitulo visitationis et nunc tandem scriptis mandare, benevoleque vobiscum communicare ea, quae conducunt, ut qui sub una regula et unius professionis voto in monasterio estis constituti, unitatem illam in cordibus internam externa in moribus uniformitate diligenter conservetis, meum esse judicavi; qua propter

1°. De die in diem ruminate regulam et constitutiones; hae continent capita triginta unum; illa totidem, excepto prooemio et conclusione; si igitur quolibet mane caput unum ex regula et quolibet vespere ex constitutionibus ad examen reducatur, singulis mensibus viam mandatorum, quam estis professi et per quam in coelestem patriam tendere, summo nitendum est opere, decurristis laetabundi et indefessi. Aut si negotium hoc laboriosius videatur, ex regula quaque hebdomade puncta duo, et ex constitutionibus quaque die numerum unum delibate; atque anno vertente totam legem degustatam habebitis.

2°. Frater cum fratre de defectu alterius non loquatur, multo minus cum extraneis; hoc enim totum conventum, imo ordinem

et statum reddit odiosum et contemptum, illud animos abalienando dissensionum semina spargit, pacis unionem rumpit atque tandem sacrum ordinis vinculum omnino dissolvit. Siquis autem vere deliquerit, fraterne admoneatur, ne coepta progrediantur: quodsi post admonitionem id ipsum fecerit, alteri vel tertio manifestetur, ut duorum vel trium possit ore convinci et competenti severitate coërceri, et tandem emendationem negligens velut vulneratus sanandus prodatur; sed siqua ab ullo fieri videant, licet mala videantur, temere procedendum non est, potius bona suspicentur, vel bona intentione facta: saepe enim humanum fallitur judicium. Neque etiam privata delicta publice passim corripiantur; publica enim correptio confusionem, aversionem, raro emendationem, saepe autem obdurationem parit.

3°. Nemo ad officium aliquod deputatus confratrem in aliquo negligentem duris verbis et dominationem sapientibus increpare audeat; etenim si regula nostra minetur superioribus: „Ipse vero qui vobis praeest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem" &c. quidni graviora minabitur inferioribus? Ast salvatoris nostri dictum perpendatur: „Amice, ad quid venisti?"

4°. Nullus frater confratrem in capitulo aut extra capitulum proclamare aut denuntiare praesumat, nisi delicti ejus notitiam certam habeat, cum in constitutionibus dicatur: Nullus faciat proclamationem ex sola suspicione, neque de auditu, nisi dicat a quo audierit et ille sit praesens in domo.

5°. Cum officii divini pulchritudo consistat in pausis et deturbatio ejus in nimia festinatione et confusione, quae causatur per pausarum remotionem, hinc statutum nobis sapienter et in praesentia renovandum atque oculis subjiciendum censeo: Horae omnes tractim et cum devotione dicantur, ita ut in medio versus metrum cum pausa servetur, protrahendo vocem in pausa et in fine versus; ita ut omnes tam in psalmodiando quam in cantando simul incipiant et finiant, excepto cantore praeinto-

nante, sed nec sequens versus inchoëtur, praecedente nondum finito.

6°. Ne vero nobismetipsis vivendo hisce nostris temporibus a secularibus inutiles habeamur, utque Praedecessorum ordinis nostri Patrum labori, institutoris nostri piae intentioni atque illustribus reverendissimorum virorum testimoniis, vitam contemplativam simul et activam ordini nostro adstruentibus, fideliter respondeamus, utque egometipse indignationem Apostolicam (ex Dec. Paul. V, in bulla: Apostolicae servitutis anno 1610, et S. C. de propag. fide 1625) effugiam atque conscientiam ab hoc onere immunem habeam, studia S. Scripturae, Theologiae moralis et dogmaticae, juris canonici, Philosophiae, Historiae Ecclesiasticae et Rubricarum exacte observentur, atque de iis interdum oretenus collationes instituantur, nec non crebro per annum concursus scriptis exarati et auctoris nomine subsignati ad me referantur, supra dictis conformiter divulgata volo; praetereaque in memoriam revoco statutum; omnes fratres pro pietatis et studiorum exercitio alternative tam Dominicis quam festivis diebus sermonem habeant, atque incorrupta lingua pronuntient, nequis auditorio sit offendiculo, neve siquis ignoret, ignoretur.

7°. Ne sordida nimis in cellis reperiatur foeditas, sed modesta ac religiosa nitiditas, quilibet frater excepto Priore, suppriore ac lectore, cellam a levioribus quotidie purgabit sordibus; hebdomadatim a majoribus eam purgabit conversus aut servus ad id specialiter deputatus.

8°. Ne porro famulantibus aut aliis vespertino tempore egrediendi externosque intromittendi, unde haud parva labe conspergi possent religiosi, occasio detur, januae ac portae vesperi opportuno tempore obserentur.

9°. Cum autem conveniat adeoque conventibus, in quibus sufficiens ad hoc sacerdotum est numerus haud impeditorum, singulis diebus cantandi summum sacrum detur negotium, magna

mihi spes affulget fore, ut brevi temporis intervallo huic oneri possit fieri satis, actum simul eodem cantu efferatur antiphona: Haec est praeclarum vas &c.

10°. Ut ergo cuncta ista ceteraque regulae et constitutionum praescripta serventur, et siquid servatum minus fuerit, non negligenter praetereatur, sed ut emendandum corrigendumque curetur, singulis annis tempore, quo Ampl^{mo} Domino Priori videbitur magis opportunum, servabuntur exercitia spiritualia, ut superflua et nociva tollantur ac necessaria inserantur.

Donet Dominus ut observetis haec omnia et tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, et bono Christi odore de bona conversatione flagrantes: non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Ut autem vos in hoc relicto tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana usque ad festum S. P. N. Augustini vobis legatur, et in sequenti visitatione ostendatur. Et ubi vos inveneritis ea quae scripta et relicta sunt facientes: agite gratias Domino, bonorum omnium largitori. Ubi autem sibi quicunque vestrum videt aliquid deesse, doleat de praeterito, caveat de futuro: orans (etiam pro me) ut et debitum dimittatur et in tentationem non inducatur. Amen.

DABAM, ex Canonia nostra Udensi. 18 Maii 1844.

H. VAN DEN WYMELENBERG, O. S. † C. G.

(L. S.)

N°. 461. 7 April. 1845.

Visitator et delegatus Apostolicus ordinum regularium in ditione Belgica approbat propositum in urbe Diesthemiensi erigendi canoniam ordinis S. Crucis et delectum Rev^di^ Adm. Fr. God. van der Weyst, ad suscipiendum Prioris ibi officium, ac Rev^mum^ Commissarium Generalem convisitatorem creat.

(Epistola authentica in tabulario Revmi Magistri Generalis).

Amplissime ac Reverendissime Domine.

Litterae Amplitudinis tuae die 2ª hujus mensis obsignatae ad me rite pervenerunt. Ex iisdem didici desiderium vestrum in oppido Diesthemiensi Belgicae ditionis instaurandi, de assensu quorum interest, monasterium Ordinis Sanctae Crucis, qui ordo in hac patria, ante violentam regularium dispersionem impiorum armis operatam, viguisse dignoscitur: plurimum in Domino confidens, fore ut S. Crucis in Belgio reviviscens familia, non modo Christianae, verum civili etiam reipublicae, magnum decus atque praesidium sit allatura, ad piorum ejusmodi votorum complementum, auctoritate a S. Sede Apostolica nobis delegata, operam nostram lubentissime impendere satagemus. Qua propter infra tempus, quod impendere oportebit ad aedificiorum praeparationem ac restaurationem, favente Deo, conficiam acta canonicae instaurationis, eademque rite obsignata et sigillata transmittam ad clarissimum Dominum Verhoeven, convisitatorem Apostolicum pro Archidioecesi Mechliniensi, cum prece ut illa novae communitati capitulariter congregatae, publicando intimare dignetur, quod, pro votis, cum jucunditate praestiturus est. Porro delectum Reverendi Adm. Fratris, Domini Godefridi van der Weyst, ad suscipiendum officium Prioris novi Diesthemiensis monasterii approbo, eique memorata apostolica auctoritate potestatem confero, novam communitatem regendi ad normam ordinis regula et constitutionibus praescrip-

tam. Sicuti optimum designasti Praesidem, obsecro ut ei adjungas fratres regularis disciplinae zelo conspicuos, ut e nucleo optimo exurgat arbor bonorum fructuum feracissima. Missio fratrum, qui operibus invigilent, procul dubio necessaria erat.

Interea negotium bonorum omnium largitori magna fiducia commendans, prospera quaecumque Tibi, Reverendissime Domine, Tuisque omnibus a Deo precor et sincerae venerationis cultu, ad omnia obsequia paratissimus, subscribor.

Vester humillimus ac devotissimus famulus,

F. T. Corselis,

Visit. et Deleg. Apost. Ord. Regul. in Ditione Belgica.

P. S. Ut omnia in novo conventu Diesthemiensi juxta dispositionem litterarum institutionis visitatoris et delegati apostolici ordinum regularium in Belgio existentium vel instaurandorum rite ac valide peragantur, consultum duxi, Reverendissime Domine, Te constituere convisitatorem apostolicum memorati conventus. Tibique hoc titulo communicare facultatem: 1°. adprobandi, ac deputandi religiosos ad audiendas ibidem confessiones Regularium, ac licentiam impertiendi, ut etiam apud sacerdotes regulares aliorum ordinum, aut apud sacerdotes saeculares idoneos religiosi ordinis vestri ibidem commorantes, exomologesim sacramentaliter peragere possint. Item facultatem absolvendi dictos regulares ab omnibus casibus et censuris, a quibus superiores etiam majores ordinum absolvere possunt.

Has facultates Tibi, qua convisitatori, communico, vigore litterarum S. Congreg. super disciplina regulari, sub data 23 Septembris 1834. Et juxta rescriptum Em. Domini Card. Polidorii, nullum superest dubium, quin confessariis probatae virtutis potestatem facere queas, absolvendi religiosos praememo-

ratos a casibus, per ordinum Praepositos reservatis. Ita in litt. datis 18 X^{bris} 1835.

Reverendissimo Domino Fr. van den Wymelenberg, Commissario Generali Ordinis S. Crucis, residenti in conventu loci de Uden.

Datum Brugis, 7 mensis Aprilis anni 1845.

F. T. CORSELIS,
Visit. et Deleg. Apost. Ord. Regul. in Dictione Belgica.

N°. 462. 18 April. 1845.

Actus solemnis canoniae Diesthemiensis erectionis.

(Apographum in historia erectionis ejusdem conventus, a Priore, Adm. Revdo D. van der Weyst composita, mecum ab eo gratiose communicata. MS., pag. 12).

„Franciscus Thomas Corselis, Presbyter, Sanctissimi Domini, Domini nostri Gregorii Divina Providentia Papae XVI Praesul Domesticus, ac omnium et singulorum ordinum regularium a Sancta Sede probatorum in ditione Belgica Visitator et delegatus Apostolicus.

Reverendissimo Domino Henrico van den Wymelenberg Ordinis Sanctae Crucis Commissario Generali salutem in Domino.

Cum ex parte R^{mae} Dominationis tuae, litteris 2^{a} mensis Aprilis in Uden loco residentiae tuae datis, manifestaveris desiderium in Belgio, ubi ante postremam violentam religiosorum omnium dispersionem viguisse dignoscitur, instaurandi ordinem S. Crucis, cujus regimini in Hollandiae regno praepositus existis, atque in hunc finem, de consensu Eminentissimi Domini Engelberti Sterckx, Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis, die 20 Martii currentis anni, in ordine ad canonicam conventus dicti ordinis in oppido Diesthemiensi erectionem dato, ibidem

antiquum monasterium soluto pretio comparaveris, ubi modo quidam e regularibus tui ordinis sub Prioris directione sunt coadunati: Nos utendo facultatibus a S. D. N. Gregorio P. XVI, nobis impertitis per litteras Apostolicas sub annulo Piscatoris Romae datas, die 27 mensis Junii anni 1834 et alteras e Sacra Congregatione super regulari disciplina, die 23 mensis Septembris ejusdem anni expeditas, animo perpendentes cupitae instaurationis ope, magis magisque in Belgio reflorescente regularibus disciplinae accurata observantia, divini numinis gloriam, animarum quoque salutem magnopere fore promovendam, Ordinis S. Crucis communitatem regularem, in oppidi Diesthemiensis antiquo a vobis comparato monasterio, instauramus, ac per praesentes canonice instauratam decernimus et declaramus, cum jure tirones, ad normam pontificis ordinisque constitutionibus praescriptam, ad vestitionem et professionem recipiendi, superiorem aliosque conventus officiales, evoluto primo regiminis termino, ordinis statutis designato, ad normam facultatum nobis, qua visitatori Apostolico, a S. Sede concessarum, eligendi, cujus tamen, visitatoris jurisdictioni ac visitationi omnimode ac exclusive subsint, durante visitatoris munere, praedicto conventus Diesthemiensis regulares, eorumque Superior localis electus vel eligendus.

Articulus VIII facultatum nostrarum sic sonat:

„Capitula conventualia ac etiam Provincialia statutis temporibus indicendi pro superiorum et officialium electionibus aliisque de more peragendis, usque sive per se, sive per convisitatores, si id tamen expedire videbitur, praesidendi absque suffragio, eadem etiam capitula prorogandi, ac ad tempus, si opus fuerit suspendendi, et interim deputandi eos, qui aut regere aut gerere possint.

Item Art. X. Superiores electos confirmandi, eorum electiones, si aliquo vitio (excepto simoniaco) laborent, sanandi, eos-

demque ad tempus ab officiis et dignitatibus suspendendi, itemque etiam faciendi circa ministros officiales, aliosque munera in religione exercentes".

Porro pro praecellenti hujusmodi feliciter obtento redintegrationis beneficio vobiscum bonorum omnium largitori, gratias impense agentes, summopere in Domino confidimus, fore ut Salvificae Crucis Familia in Belgica Ditione reviviscens, non modo Christianae, verum civili etiam reipublicae magnum decus atque praesidium sit allatura. Quod ita profecto eveniet, si juxta feliciter regnantis instaurantisque vota Pontificis, ejusdem familiae alumni coelestis vocationis spiritum numquam extinguant, et illustria eorum Patrum exempla imitantes, vota quae semel Deo voverunt, religiose reddere studeant, atque euntes de virtute in virtutem aemulentur semper chausmata meliora. Certum enim est ad fidelium mores sive conservandos, sive reparandos illud maxime interesse, ut ii, qui Sancti Evangelii consilia se sequi profitentur, imaginem Christi referentes, et ad perfectiora semper tendentes, caeteros ad pietatem, religionem virtutesque omnes exemplo suarum actionum instituant.

Quod ut opere compleatur, vobis omnium posterisque vestris haereditarium Evangelicae perfectionis spiritum, cum plenitudine gratiarum per virtutem S. Crucis a Deo precor. Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.

Datum Brugis, sub nostris signo, sigilloque, ac Secretarii nostri subscriptione, die 18 mensis Aprilis anni 1845.

F. T. Corselis,

Visit. et Deleg. Apost. Ord. Reg. in Dit. Belgica.

De mandato Illustrissimi Domini Visit. ac Del. Apost.

J. Scherpezeel, Secret.

N°. 463. 13 Julii 1845.

Gregorius XVI, P. M. ad preces Commissarii Gen., cum facultas Magistro Ordinis Generali ejusque successoribus die 20 *Aug.* 1516 *data, d.* 2 *Jul.* 1630 *renovata, et ei d.* 15 *Sept.* 1842 *tradita sit, benedicendi rosaria cum indulgentia* 500 *dierum, concedit ut eamdem facultatem delegare possit uni ex confratribus in quolibet Ordinis S. Crucis monasterio. Item Commissarius Generalis indulget, ut quisque Prior possit erigere viam S. Crucis ac benedicere eum in finem imagines Crucifixi pro personis impeditis sequi viam S. Crucis. (Confer. n°* 165, *pag.* 16 *et n°* 457, *pag.* 643*).*

(Breve authent. in tabulario conventus Udensis).

N°. 464. 17 Jan. 1846.

R^{mus}. D. J. Zwysen, Episcopus Gerrensis et Administrator Apost. districtuum Graviae, Ravesteinii et Megae notum facit, se vidisse breve Gregorii XVI, d. 27 *Jan.* 1832, *approbantis confraternitatem viventis Rosarii, et permittit ut illud breve cum indulgentiis in ecclesia Fr. Cruciferorum in Uden promulgetur, statuens ut donationes fidelium inde profluentes mittantur ad congregationem S. Franciscii Xaverii pro propaganda fide.*

(Breve authent. in tabulario conventus Udensis).

N°. 465. 9 Jan. 1848.

Pius IX, P. M. concedit Commissario Generali, ut possit quemlibet confratrem pro justa causa delegare ad benedicenda rosaria cum indulgentia 500 *dierum, vivis et defunctis applicanda.*

(Breve authent. in tabulario conventus Udensis).

N°. 466. 9 Jan. 1848.

Pius IX, P. M. concedit facultatem Commissario Generali officio divino quaedam festa addendi.

(Breve authenticum in tabulario Revmi Commissarii Generalis).

Beatissime Pater,

Henricus van den Wymelenberg, Commissarius Generalis Canonicorum Regularium Ord. S. Crucis in Regno Hollandiae, humiliter S. V. supplicat, ut facultas concedatur addendi in calendario ord. sui festa subsequentia.

1. Comm. orat. D. N. J. C. in monte Oliveti, Dup. Maj. fer. 3, post Dom. sept.
2. Comm. Cap. D. N. J. C. Dup. Maj. fer. 3 post Dom. sexag.
3. Sac. Spineae Cor. D. N. J. C. Dup. Maj. fer. 6 ante Dom. 1ª quadrag.
4. Lanc. et Clav. D. N. J. C. Dup. Maj. fer. 6, ante Dom. 2 quadrag.
5. SS. Sindonis D. N. J. C. Dup. Maj. fer. 6, ante Dom. 3 quadrag.
6. SS. Quinque Vulnerum D. N. J. C. Dup. Maj. fer. 6, ante Dom. 4 quad.
7. Pret. Sang. D. N. J. C. Dup. Maj. fer. 6 ante Dom. Passionis.
8. Maternitatis B. M. V. Dup. Maj. Dom. secunda Octobris.
9. Puritatis B. M. V. Dup. Maj. Dom. 3ª Octobris.
10. SS. Redemptoris Dup. Maj. die 23 Octobris, aut Dom. ante Adventum Domini.
11. Transl. Almae Domus Lauret. Dup. Maj. 10 ant. 20 Decembris.
12. Humilitatis B. M. V. Dup. Maj. Dom. 4 Octobris.

13. Purissimi Cordis B. M. V. Dup. Maj. Dom. post octavam Assumps. B. M. V. quad.

Ex audientia SSmi habita die 9 Januarii 1848, SSmus Dnus Noster Pius, divina providentia PP. IX, referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Pro-Secretario, perpensis expositis, benigne remisit preces R. P. D. Vicario Apostolico Silvaeducensi cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis, servatis tamen de jure servandis.

Datum Romae ex Aed. Dic. Sac. Cong. die et anno quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione, quocumque titulo.

ALEXANDER BARNABO,
Pro-Secretarius

Supradictam facultatem secundum tenorem indulti Apostolici ratam habemus, atque in vim illius, quantum opus est, oratori per praesentes impertimur.

Datum in Gestel S. Michaelis, die 8a Februarii 1848.

Episc. Emausensis Vicarius Apostolicus Buscoducensis,
† H. DEN DUBBELDEN.
De mandato Illustrissimi ac Rmi Domini,
G. P. WILMER, Secretarius.

N°. 467. 28 Febr. 1851.

Nuntius Apostolicus, factum se esse visitatorem ordinum regularium in Belgio, certiorem reddit Priorem canoniae Diesthemiensis.

(Epistola authentica inserta historiae illius conventus Revdi D. van der Weyst MS., pag. 48).

Monsieur le Supérieur,

J'ai l'honneur de vous faire part qu'en suite de la démission

offerte par Monseigneur Corselis, le Saint Père vient de me charger par bref du 20 Décembre dernier de continuer les fonctions que ce Vénérable Prélat a remplies, et de me conférer des pouvoirs spéciaux et exclusifs sur tous les ordres religieux et congrégations de réguliers exemptes et approuvées par le Sainte Siège établis ou à établir en Belgique. Pour me soulager et m'assister dans l'accomplissement de cette charge, je me suis adjoint comme convisiteur et sécrétaire de la visite Monsieur le Chanoine Scherpezeel, ancien sécrétaire de Mgr. Corselis.

Je suis persuadé Monsieur le Supérieur, que vous verrez dans le maintien de cette administration spéciale une nouvelle preuve de la bienveillante sollicitude du S. Père pour les ordres religieux. Veuillez bien faire comprendre à vos subordonnés, que cette faveur vous est accordée par sa Sainteté dans le but spécial de mettre en vigueur et de conserver dans toute sa pureté la discipline régulière parmi les familles religieuses de Belgique. C'est pour le même motif qu'en me confiant des facultés aussi étendues, Elle ordonne en vertu de la sainte obéissance à tous les religieux, à quelqu'ordre ou congrégation qu'ils appartiennent, à leurs Supérieurs et à ceux qui remplissent d'autres charges dans leurs communautés, de me prêter aide, et soumission, et qu'Elle suspend pour ce royaume les pouvoirs des Supérieurs Généraux en tant qu'ils en feraient usage pour infirmer l'action de la visitation apostolique. Agréez Mr. le Supérieur, l'assurance de mon estime très affectueuse.

Bruxelles, le 28 Février.

Le Visiteur Apostolique,

† M. E., Archevêque de Néocésarée.

N°. 468. 12 Maii 1851.

Convisitator Apostolicus in Belgio communicat cum Commissario Generali facultates, quae ei in regno Hollandiae concreditae sint, exercendas in canonia Diesthemiensi.

(Epistola authentica in tabulario Revmi Magistri Generalis).

Nos Joannes J. Scherpezeel, convisitator apostolicus ordinum regularium in ditione Belgica Rdo Patri H. van den Wymelenberg Ordinis S^tae^ Crucis in Hollandia commissario salutem.

Attentis tuis literis Diesthemio ad Sacram Visitationem datis pridie kalendas Aprilis praeterlapsi, consultumque habentes ac regulari disciplinae consentaneum, ut, quae a propriis superioribus in ordine praestari possunt, ab iis praestentur.

Tenore praesentium Tecum communicamus debitas et opportunas facultates, easdem videlicet quae Tibi, ut Commissario Generali Ordinis S^tae^ Crucis in Hollandia sunt concreditae, exercendas in conventum Diesthemiensem. Volumus tamen, ut omnes praedicti conventus regulares eorumque superior localis jurisdictioni Sacrae Visitationis, quamdiu in Belgio haec visitatio perduraverit, omnimode subsint, utque singulis annis acta a Te et relatio status conventus scripto exarata ad nos transmittenda curentur.

Datum Brugis, die 12 Maii 1851.

J. Scherpezeel,

Convis. Apl. etc. Secret. Sacrae Vis. in Ditione Belgica.

N°. 469. 18 Julii 1852.

Pius IX, P. M. largitur Ordini S. Crucis varia privilegia.

(Breve authenticum in tabulario Revmi Magistri Generalis).

Beatissime Pater,

H. van den Wymelenberg, Commissarius Generalis Ordinis

S. Crucis in Uden prope Buscoducum in Hollandia humillime exponit ut infra. Ab initio fundati nostri Ordinis S. Crucis, ab annis scilicet sexcentis, monasteria ita constituta sunt, ut quodque sua haberet bona, unde fratres suos possent sustentare, ita ut bona hactenus numquam transierint de uno monasterio ad aliud.

Monasteria nostra successivis saeculi praecedentis perturbationibus ut plurimum aut diruta aut alienata sunt, exceptis duobus, quae tamen etiam haud exiguum damnum subierunt. Ab annis autem duodecim coepit ordo noster repullulare novitiorum receptione, ita ut jam duo adsciverimus, unum in Belgio, alterum in statibus foederatis Americae Septentrionalis, in quibus confratres contemplativam sibi, fidelibus autem activam vitam, praedicatione verbi Dei, Christianis instructionibus, exercitiis et missionibus ducere et extendere conantur. Ad hoc autem opus non tantum animorum, sed et bonorum unio, si non necessaria plurimum saltem utilis est; quare

a. et pro bono ordinis, et pro cultus divini propagatione enixe supplico, ut cujuscumque monasterii nostri bona declarentur toti ordini nostro communia, atque in posterum a me et successoribus meis pro cujuscumque conventus utilitate aut necessitate applicari valeant;

b. ut destructo temporum et bellorum injuria loco primario capituli generalis, imposterum ad hoc determinare valeam unum e monasteriis nostris, quod videbitur accommodatissimum;

c. ut quotiescumque habuerimus exercitia spiritualia, aut missionem aliquam, hac occasione Benedictionem Apostolicam seu Papalem cum indulgentiis annexis impertiri valeamus;

d. Ut tandem ordini nostro, ordinisque nostri confratribus concedatur privilegiorum communicatio, tam cum Mendicantibus quam non Mendicantibus, tum etiam cum Patribus Societatis, ut fratres benigna hac concessione alacrius excitentur, et animentur, ad labores vitae monasticae et activae, et contempla-

tivae. Putatur hoc olim quidem fuisse concessum, sed omnia fere documenta ordinis nostri authentica, perturbatione gallica periere.

Pro quibus gratiis etc. Ad haec accedit Vicarii Apostolici mens, his verbis expressa. Nullam invenio difficultatem huic annuendi, excepta tamen petitione sub littera *a.* expressa; quae si absolute concederetur, molestias forte parere possit, cum singula Crucigerorum monasteria bona sibi propria hucusque habuerint: quare gratum nobis foret, si huic petitionis parti accedi possit ea sub conditione, si Priores seu Superiores dicti ordinis monasteriorum non obsistunt, quominus bona omnia communia fiant.

Ex Audientia SS^mi habita die 18 Julii 1852, SS^mus D^nus noster Pius Div^a Provid^a P. P. IX, referente me infra scripto S. Congregationis de Prop^da fide Secretario, benigne annuit pro gratia juxta votum A. P. D. Vicarii Apostolici Buscoducensis quoad petita sub literis *a. b. c.*, quoad vero contenta sub litera *d.* benigne annuit pro communicatione gratiarum et privilegiorum spiritualium tantum.

Datum Romae ex aed. dic. S. Congregationis die et anno, quibus supra.

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo.

(L. S.) Al. Barnabo a Secretis.

Concordantiam cum suo originali attestor,

† J. Zwysen.
Ep. Gerrae Vic. Ap. Busc.

Datum Tilburgi hac 11 Augusti 1852.

No. 470. 7 Augusti 1852.

Eminentissimus Cardinalis, Archiepiscopus Mechliniensis, gratiose concedit facultatem canoniae Diesthemiensi, aperiendi collegium literarum humaniorum.

(Apographum insertum historiae Revmi D. van der Weyst pag. 54).

Mechliniae, 7 Augusti 1852.

Admodum Reverende Domine Superior.

Licentiam aperiendi pro juventute Diesthemiensi et adjacentium locorum tres inferiores classes humaniorum, quam nuper oretenus a nobis postulasti, per praesentes concedimus, sub ea conditione, quam et acceptasti, ut quum simul cum Gubernio aut magistratu loci collegium humaniorum ibidem instaurare nobis datum fuerit, praedictas classes supprimatis.

Prosperum successum ex corde a Deo, omni bonorum largitore, postulantes sincero affectu subscribimur.

Admodum Reverende Domine Superior.

Humillimus tuus famulus.

ENGELBERTUS,
Card. Arch. Mechliniae.

N°. 471. 5 Oct. 1852.

Prior canoniae Diesthemiensis publice annuntiat collegium literarum humaniorum a Fr. Cruciferis apertum iri.

(*Demerbode* ejusdem diei).

Ouverture du collége des Chanoines réguliers de l'ordre de la S. Croix à Diest.

Ce collége qui va être érigé par les soins des religieux de la S. Croix et du consentements de S. Em. le Card. Archevêque, sera organisé d'après le même système, qu'on à suivi

dans celui de la ville de Malines. Etudes, récréations, promenades, tout se fera en commun et toujours sous les yeux des maitres, tous ecclésiastiques du dit ordre.

Le collége n'admettra que des élèves externes; ils passeront le jour entier à l'établissement. En été ils y seront à 7 heures du matin jusqu'à midi et de $1^1/_2$ heure de rélévée jusqu'à 7 heures du soir; en hiver depuis $7^1/_2$ heures du matin jusqu'à midi et de $1^1/_2$ heure de rélévée jusqu'à 7 heures du soir.

La religion sera la base de l'enseignement. On s'attachera surtout à inspirer aux élèves cet amour du devoir, ce goût du travail, ces sentiments d'honneur et de religion, qui doivent leur préparer dans la société un avenir honorable et assuré.

Il y aura une classe préparatoire, destinée specialement à l'enseignement de la langue française et de la lange flamande, de l'histoire, de la géographie, de la tenue des livres, de l'arithmétique appliquée au commerce, etc. On n'admettra que des enfants audessus de dix ans et assez versés dans leur langue maternelle.

Il y aura *un cours complet d'humanités*, qui comprendra tout ce qui est requis pour l'obtention du grade d'élève universitaire. Cependant le cours d'humanités ne sera complété que graduellement, et ne comprendra cette année que la cinquième et la sixième. La langue française est obligatoire. Des exercices de déclamation seront donnés régulièrement aux jours de promenade.

Les élèves qui auront des dispositions, seront admis a suivre gratuitement le cours de musique vocale. Les leçons de musique instrumentale sont au choix et aux frais des parents.

Pour être admis comme élève il faut: 1°. Produire un cetificat de bonne conduite, délivré par Mr. le Curé, et si l'élève sort d'un autre établissement public ou particulier, un autre certificat donné par le chef de l'établissement; 2°. Subir un

examen; 3°. contracter l'obligation d'observer le reglement du collége en tous points.

La retribution annuelle sera de 30 frs pour la classe préparatoire, et de 35 frs pour *le cours d'humanités.*

Le paiement se fera en trois fois et par anticipation.

Les deux premiers trimestres sont de 10 ou de 12 frs, et le dernier, de 10 ou de 11 frs, suivant que la rétribution annuelle est de 30 ou de 35 frs. L'élève qui quittera le collége dans le courant de l'année, n'aura droit à aucun remboursement.

On pourra se faire inscrire le lundi et le mercredi de 9 heures du matin à midi.

L'ouverture des classes est fixée au 5 Octobre 1852.

Le Prieur des Croisiers,

G. VAN DER WEYST.

N°. 472. 12 Mart. 1853.

Ad capitulum generale invitantur Rev. P. Sim. Guil. Gielen, conventus S. Agathae et Rev. P. God. van der Weyst, Diesthemiensis Priores.

(Epistola autographa in tab. conv. S. Agathae et inserta historiae canoniae Diesthemiensis Rev. D. van der Weyst).

Fr. Henricus van den Wymelenberg canonicorum regularium Ordinis S. Crucis Commissarius Generalis, Amplissimo ac Reverendo admodum Patri Simoni Wilhelmo Gielen, domus nostrae San-Agathanae Priori meritissimo, Paternam Benedictionem.

Elapsis jam annis sexaginta septem ab ultimo ordinis nostri capitulo generali sub Perillustri ac Reverendissimo Patre J. S. du Bois, Magistro Generali, decennio post Patribus F. M. apposito, ordineque depost bellorum injuriis temporumque vicissitudinibus disperso, cusso, quassoque, multa, imo quam plurima, ut ordo pristinae institutioni pristinoque fulgori respondeat, restituenda, emendanda et enucleanda quilibet confratrum, cui

ordinis nostri propago cordi est, habebit perspectum sibi persuasumque; quare

Praesentium tenore ex facultate, ab Apostolica Sede die 18 mensis Julii 1852 mihi concessa, et 11 Augusti per Ill^{m} ac Revd^{m} Episcopum Gerrensem transmissa, futurum capitulum generale juxta ordinationes statutorum nostrorum indicimus Dom. 3, post octavas Paschae, sc. *cantate*, 24 Aprilis anni currentis, ita ut pridie, die Sabb. 23 Aprilis, confratres debite adsint, ut die Dom., fer. 2 et 3 capitulariter congregati, fer. 4, post Missas solemnes comitia absolvant. Cum autem locus capituli judicio meo prorsus sit relictus determinandus, hacce vice determinamus conventum nostrum San-Agathanum, priorum capitulorum vestigiis et antiquitate celeberrimum.

Quo autem facilius breviorique temporis spatio omnia capitulariter peragantur, utiliora quaedam et secundum usum in ordine nostro tantum non immemorabilem, mutatasque temporis circumstantias necessaria literis exaranda vobisque transmittenda curavi, quatenus toti canonicorum conventui praelegantur, mihique quam primum significetis, quaenam addenda, delenda, aut mutanda judicetis, addendo singulae reflexioni numerum, non nomina votantium, ut cognita confratrum voluntate, exactius omnia capitulo generali subjicere valeam.

Opus hoc permultis quidem difficultatibus involutum, sed a seculo jam a Patribus nostris desideratum, nostris autem temporibus praesentique ordinis nostri ad plura et majora enitentis statui imprimis accommodatum, quantocius elaborandum putavi. Quamprimum etiam posteriorem distinctionem pari modo enucleandam, atque insimul ulteriorem capituli generalis statum exhibebo, sperans, quo spiritu haec conceperim, eodem et vos, ad bonum commune ordinis nostri in Jesu Christo unitos, esse perfecturos.

In quorum fidem hasce sigillo nostro communitas dabam,

F. H. van den Wymelenberg,

Udae, 12 Mart. 1853. Com. Gen. Ord. S. Crucis.

N°. 473. 25 April. 1853.

Revmus P. Henricus van den Wymelenberg, Commissarius Ordinis S. Crucis Generalis, in capitulo generali eligitur Magister Generalis.

(Charta authentica in tabulario Revmi P. Magistri Generalis).

In nomine Domini. Amen.

Instrumentum authenticum electionis Perillustris ac Reverendissimi Magistri Generalis canonici et exempti Ordinis S. Crucis.

Die 25 Aprilis anni 1853, in primo post restaurationem ordinis nostri capitulo generali ad S. Agatham celebrato, sessione ordinaria matutina, invocata Spiritus S. adsistentia, praesentibus Reverendissimo Domino Henrico van den Wymelenberg, Ord. S. Crucis. Com. Generali, Amplissimis Dominis S. W. Gielen, Priore S. Agathae, Definitore primario, G. van der Weyst, Priore Diesthemiensi Definitore 2°, Egberto Schraven, Conventuali ac deputato Procuratore S. Agathae, Definitore 3° et J. J. Verhulst, Suppriore, Praesidentem conventus Udensis repraesentante, Definitore 4°, R. R. dein D. D. deputatis Procuratoribus C. W. A. de Bruin, S. Script. Lect. pro conv. Udensi, J. Verkuilen pro conventu S. Agathae, H. van Giersbergen, Suppriore, pro conv. Diesthemiensi, A. Mutsaars pro conv. Udensi, et P. Jansens pro conv. Diesthemiensi, praefata electio est celebrata.

Datis absolutione a censuris et dispensatione in irregularitatibus.

Praestitis a scrutatoribus S. W. Gielen et G. van der Weyst, Prioribus et Definitoribus praememoratis, nec non Secretario C. W. A. de Bruin supra dicto, juramentis, eoque ac omnibus praefatis electoribus peracto, circa horam matutinam semi-decimam, primo scrutinio, omnium votorum assensu in Magistrum

Generalem totius canonici et exempti Ordinis Sanctae Crucis, electus est Rev^{mus} Dominus Henricus van den Wymelenberg, Commissarius Generalis ordinis ejusdem ac Praeses conventus Udensis, post ordinis restaurationem obitumque postremi Praepositi Generalis J. S. Dubois primus.

Collatis cum eligentium numero schedulis, iisque rite proclamatis, ac caeteris canonice peractis, a Definitorum primario, electio, cui Reverendissimus Electus assensum benigne praestitit, proclamata est atque confirmata.

In quorum omnium fidem et robur, praesens instrumentum authenticum propriarum subscriptione manuum communivimus et sigillo conventus S. Agathae ornavimus.

Datum ad S. Agathae, die, mense, anno ut supra.

S. W. Gielen.
G. van der Weyst.
E. Schraven.
J. J. Verhulst.
C. W. A. de Bruyn.
J. Verkuilen.
H. van Giersbergen.
A. Mutsaars.
P. M. Jansen.

Me Electioni consensisse attestor

(L. S.) H. van den Wymelenberg.

N°. 474. 28 Oct. 1858.

Magister Generalis Fratres Ordinis S. Crucis certiores facit privilegiorum spiritualium ordini concessorum.

(Epistola authentica in tabulario conventus S. Agathae).

Frater Henricus van den Wymelenberg, Dei gratia canonicorum regularium Ordinis Sanctae Crucis Magister Generalis,

ac domus Udensis Beatae Mariae Virginis de Tilia Prior etc., etc. Omnibus has visuris salutem in Domino.

Amplissime Domine Prior, Reverendi Domini Confratres,

Praesentium tenore fidem facimus et attestamur, ea, quae hic sequuntur, privilegia et favores spirituales a diversis summis Pontificibus Sacro Ordini nostro in perpetuum esse indulta; quorum usum et executionem, lubenti animo, vobis omnibus impertimur:

a. facultatem benedicendi Rosaria B. M. V., cum indulgentiis quingentorum dierum, pro vivis et defunctis lucrandis ab iis, qui devote recitaverint orationem Dominicam aut salutationem Angelicam, anno 1516, 20 Aug. a SS. D. N. Leone X concessam, anno 1630, 2 Julii a SS. D. N. Urbano VIII renovatam; rescripto SS. D. N. Gregorii XVI, 15 Sept. 1842, ab Ill^mis^ ac Rev^mis^ Dominis H. den Dubbelden, Ep. Emaus. Vic. Ap. Buscod. 1 Oct. 1842, et J. Zwysen, Archiepisc. Ultraj. Administr. Buscod. 5 Maii 1853 recognito, atque alio rescripto ejusdem SS. Domini Gregorii XVI, 13 Julii 1845 denuo renovatam; tandemque novo rescripto SS. Domini Pii IX, regnantis, 9 Jan. 1848, ab Illmo ac Rev^mo^ Domino H. den Dubbelden praefato, recognito 8 Febr. 1848, ratam habitam.

b. Facultatem, quemadmodum concessa est ordini Fratrum Minorum, erigendi viam Crucis, ac benedicendi in eum finem imagines Crucifixi, pro personis impeditis sequi viam Crucis. Ex audiendia SS. Domini Gregorii P. P. XVI habita die 13 Julii 1845.

c. 1°. Facultatem habendi exercitia spiritualia aut missiones, qua occasione Benedictionem Apostolicam seu Papalem, cum indulgentiis annexis, impertiri poterunt.

2°. Ordini nostro ordinisque confratribus conceditur gratiarum et privilegiorum communicatio tam cum mendicantibus, quam non mendicantibus, tum etiam Patribus societatis, aut in

spiritualibus tantum. Ita ex audientia SS. Domini Pii P. P. IX habita die 18 Julii 1852, quae rescripta ab Illmo ac Rev^mo Ep. Gerrae, dic. Ap. Busc. die 11 Aug. 1852 fuere recognita.

In quorum fidem has litteras manu nostra et Secretarii nostri subscriptas et sigillo nostro munitas dedimus.

In domo nostra Udensi B. M. Virginis de Tilia die 28 Oct. 1853.

H. VAN DEN WYMELENBERG.

De mandato Perillustris ac Reverendissimi Domini mei praefati.

C. W. A. DE BRUYN, Secretarius.

N°. 475. 14 Martii 1855.

Fratres Ordinis S. Crucis delegant Rev^mo Magistro Generali facultatem disponendi de suis personis et rebus per totum ordinem, exceptis in parte transmarina.

(Duo instrumenta authentica in tabulario Revmi Magistri Generalis).

Charissimi Fratres.

Quoniam ex praecepto regulae jubemur habere cor unum et animam unam in Domino, adeoque sub una regula et unius professionis vivimus, uniformesque in observantiis canonicae religionis invenimur, atque haec animorum unitas et disciplinae uniformitas, fraterna, prout oportet et filiali concordia, dudum consistere nequit, nisi aequali et personarum et rerum in omnibus omnes gaudeant jure, et aequaliter unicuique, prout opus est, distribuatur; nisi etiam commoda et incommoda aequaliter ferantur, et alter alterius onera portet; hinc ad rescriptum summi Pontificis feliciter regnantis Pii IX, de die 18 Julii 1852 per Illustrissimum ac Reverendissimum Episcopum Gerrensem, Administratorem dioecesis Buscoducensis ad me missum, per prae-

sentes votum vestrum exquiro, quatenus pro bono ordinis universi, excepta personarum missione ad partes transmarinas, mihi et successoribus meis demandetur facultas nominum vestrorum subscriptione, disponendi de personis et rebus per totum ordinem, prout cuique conventui videbitur expedire ordinisque necessitas aut utilitas exigere.

H. van den Wymelenberg,
Mag. Gen. Ord. S. Crucis.

S. Agathae, die 14 Martii 1855.

Facultatem vobis demandat:

1°. [*Ex canonia San-Agathana*].

Fr. J. Verstegen.
„ J. de Vlam.
„ H. Verkuilen.
„ A. van der Voort.
„ J. W. van Boldrik.
„ B. Christiaans.
„ E. Schraven.
„ Joan. Verkuilen.

2°. [*Ex canonia Udensi*].

Fr. C. W. A. de Bruyn.
„ J. J. Verhulst.
„ W. de Jonge.
„ J. A. P. van der Meulen.
„ J. M. van den Heuvel.
„ M. Manders.
„ A. Kuypers.
Fr. G. van den Wildenberg.
„ A. Damman.
„ A. Mutsaers.
„ W. C. Verhoeff.
„ C. Voet.
„ G. van Lith.

3°. [*Ex canonia Diesthemiensi*].

Fr. G. van der Weyst, Prior.
„ H. van Giersbergen.
„ J. v. d. Broek.
„ H. Kuypers.
„ A. J. Greven.
„ L. Luyben.
„ P. M. Jansen.
„ A. A. van den Heuvel.
„ H. J. van Steenoven.
„ H. A. Geeraerts.

N°. 476. 12 Junii 1855.

Rev^mus Episcopus Leodiensis concedit Magistro Generali Ordinis S. Crucis facultatem erigendi conventum et collegium literarum humaniorum in urbe Mosacensi.

(Apographum insertum Codici Diplomatum conventus Mosacensis Revmi D. de Bruyn, ejusdem canoniae Prioris. Ms. fol. 2).

Theodorus Alexius Josephus de Montpellier, miseratione divina, et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Episcopus Leodiensis.

Viso libello supplici, quem 8 Junii currentis ad nos direxit R^dus Admodum D. H. van den Wymelenberg, Magister Generalis Ordinis S. Crucis, et quo nobis humiliter exposuit suum desiderium erigendi conventum sui ordinis in oppido Mosacensi, in domo adhuc conductitia, prope ecclesiam crucigerorum, tum ad sacri ministerii functiones ibi exercendas, tum ad informandam juventutem bonis moribus, doctrina Christiana et rudimentis linguae latinae.

Visis insuper litteris ab Amplissimo D^no P. Ph. C. Kerckhofs, Christianitatis Decano et Parocho Mosacensi, ad nos datis 5^a hujus mensis, quibus certiores nos reddit pleni sui consensus, in quantum opus, et sinceri sui desiderii pro erectione supradicti conventus RR. DD. canonicorum regularium Ordinis S. Crucis in parochia sua, addens, quod auxilia et obsequia, quae RR. canonici in suo ministerio praestare intendunt, sibi ceteroque clero et populo grata et utilia sint futura, et quod ex exemplis eorum, pietatis, humilitatis et charitatis multum aedificationis in populo sperare liceat.

Hinc nos, qui maxime intenti sumus et libenter favemus iis, quae ad majorem Dei gloriam et animarum salutem procurandam tendunt, re mature perpensa, et consilio circa hoc negotium praevie habito, per praesentes benigne annuimus et nostrum consensum praestamus, ut juxta vota et preces R^di ad-

modum D. Magistri Generalis supradicti, conventus Ordinis S. Crucis erigatur in oppido Mosacensi, et ut Patres approbati vel ulterius approbandi a nobis sacrum ministerium in praedicta ecclesia crucigerorum peragant, servatis de jure servandis, ea quoque conditione, ut quando fieri poterit, sedes provisoria seu conductitia mutetur in fixam.

Datum Leodii hac 12ª Junii 1855.

(L. S.) † THEODORUS, Epis. Leod.

De mandato,

D. THOMASSE, Pro Secret.

Rev. Adm. Dno

DE BRUYN,

Priori Mosacensi.

N°. 477. 12 Junii 1855.

Episcopus Leodiensis concedit facultatem temporariam fratribus Ordinis S. Crucis, habendi oratorium Domesticum Mosaci.

(Apographum insertum codici R. D. de Bruyn memorato, pag. 3 vso).

Theodorus Alexius Josephus de Montpellier, miseratione divina et Sanctae Sedis Apostolicae gratia, Episcopus Leodiensis.

Per praesentes RRis DD. canonicis regularibus Ordinis S. Crucis, qui de nostro consensu statim in oppidum Mosacense adventuri sunt, tum ad sacri ministerii functiones ibi exercendas, tum ad informandam juventutem bonis moribus, doctrina Christiana et rudimentis linguae latinae, concedimus facultatem seu licentiam celebrandi S. Missae Sacrificium in oratorio, sito intra domum conductitiam et provisoriam, quam praefati religiosi occupabunt, ibique asservandi Sanctiss. Eucharistiam cum lumine, dummodo istud oratorium sit decenter ornatum, altari portatili instructum, nec supra quo nec infra quod dormiatur.

Valeant praesentes, usque dum praefati canonici regulares

supradicti in ecclesiam olim Ordinis S. Crucis se conferre possint.

Leodii, 12 Junii 1855.

(*L. S.*) † THEODORUS, Epis. Leod.

De Mandato,

D. THOMASSE, Pro Secret.

Rev. Adm. Dno
DE BRUYN,
Priori Mosacensi.

N°. 478. 20 Junii 1855.

Consensus a Nuntio et Visitatore Apostolico ordinum regularium in Belgio, actui penultimo datus.

(Apographum insertum ut supra f. 2 vso).

Nos Matthaeus Eustachius Gonella, Archiepiscopus Neocaesariensis, Apostolicae Sedis apud Regem Belgarum Nuntius, Visitator ac Delegatus Apostolicus ordinum regularium, omnibus has visuris salutem et benedictionem.

Attentis litteris Magistri Generalis crucigerorum ad nos datis Mosaci, in dioecesi Leodiensi Belgicae ditionis, quibus expostulat nostram concessionem et canonicam erectionem conventus sui ordinis in oppido Mosacensi.

Attentis litteris Illmi et Revmi Leodiensis Episcopi, quibus concedit, ut in supra nominato oppido crucigeri sedem figant, ea conditione, ut, sicut ab ipso expostulabant, collegium erigant ad erudiendam juventutem, et huic operi praeclaro strenue operam dent, aptis adhibitis professoribus, ut in litteris datis die 12 Junii, requirit I. et R. Episcopus Leodiensis.

Postulatae erectioni annuimus et assentimur.

Datum Bruxellis hac die 20 Junii 1855.

(*L. S.*) † M. E., Archiepiscopus Neocaesaren.
Visitator ac Delegatus Apostolicus.

Rev. Adm. Dno
DE BRUYN,
Priori Mosacensi.

N°. 479. 10 Julii 1855.

Magister Generalis tres canonicos regulares unumque conversum mittit Mosacum, canoniam fundaturos.

(Apographum insertum codici R. D. de Bruyn memorato, pag. 3).

Frater Henricus van den Wymelenberg, Dei gratia canonicorum regularium Ordinis Sanctae Crucis, Magister Generalis ac domus Udensis Beatae Mariae Virginis de Tilia Prior etc. etc. omnibus has visuris salutem in Domino.

Habito, quorum interest consensu canonico, cum facultate erigendi et instituendi conventum ordinis nostri in urbe Mosacensi, dioecesis Leodiensis, ad hanc novam ordinis plantationem sub patrocinio B. M. V. immaculate conceptae inchoandam et propagandam deputamus et per praesentes legitime dimittimus Confratres Cornelium Wilhelmum Aloysium de Bruyn, sacerdotem cum titulo Prioris conventus Mosacensis, Adrianum Kuypers et Augustinum Mutsaers, itidem sacerdotes, tamquam coadjutores et Joannem van der Ven conversum sive laicum in ordine ad labores manuales, simulque ordinis nostri Benedictionem impertimur, quatenus accurata regularum et constitutionum, quas professi sunt, observantia, religiosa conversatione, exemplari animorum unione, nec non zelo ac labore vere Apostolico sese foveant ac impellant, proximum aedificent, instruant atque informent, nec non majorem Dei gloriam in omnibus operibus intendant et quaerant.

Qua spe suffulti praesentem institutionem sigillo nostro communitam damus.

Udae 5° Idus Julias 1855.

H. VAN DEN WYMELENBERG,
Mag. Gen.

(*L. S.*)

Rev. Adm. D^no^
DE BRUYN,
Priori Mosacensi.

Vidimus.
Datum Leodii 4^a^ Septembris 1855.
H. Neven, Vic. Gen.

N°. 480. 10 Sept. 1855.

Privilegia Ordini S. Crucis per Sanctam Sedem concessa, a Magistro Generali communicantur cum Priore et conventualibu canoniae Mosacensis.

(Apographum insertum codici R. D. de Bruyn memorato, pag. 4).

Frater Henricus van den Wymelenberg, Dei gratia canonicorum regularium Ordinis Sanctae Crucis, Magister Generalis ac domus Udensis Beatae Mariae Virginis de Tilia Prior etc. etc., omnibus has visuris salutem in Domino.

Amplissime Domine Prior, Reverendi Dni Confratres,

Praesentium tenore fidem facimus et attestamur, ea quae hic sequuntur privilegia et favores spirituales a diversis summis Pontificibus Sacro Ordini nostro in perpetuum esse indulta, quorum usum et executionem lubenti animo vobis omnibus impertimur.

a. Facultatem benedicendi Rosaria B. M. V. cum indulgentiis quingentorum dierum, pro vivis et defunctis lucrandis ab iis, qui devote recitaverint orationem Dominicam, aut salutationem Angelicam, anno 1516, 20 Aug. a SS. D. N. Leone X concessam; anno 1630, 2 Julii a SS. D. N. Urbano VIII renovatam; rescripto SS. D. N. Gregorii XVI, 15 Sept. 1842, ab Ill^mis ac Rev^mis D^nis H. den Dubbelden, Ep. Emaus. Vic. Ap. Buscod. 1 Oct. 1842 et J. Zwysen, Archi-Ep. Ultraj. Administr. Buscod. 5 Maii 1853 recognito, atque alio rescripto ejusdem SS. Dni Gregorii XVI, 13 Julii 1845 denuo renovatam; tandemque novo rescripto SS. Dni Pii IX, feliciter regnantis, 9 Jan. 1848, ab Illmo ac Rev^mo Dno H. den Dubbelden praefato recognito 8 Febr. 1848, ratam habitam.

B. 57.

b. Facultatem, quemadmodum concessa est ordini Fratrum Minorum, erigendi viam crucis, ac benedicendi in eum finem imagines crucifixi, pro personis impeditis sequi viam crucis. Ex audientia SS. Dni Gregorii PP. XVI habita die 18 Julii 1845.

c. 1°. Facultatem habendi exercitia spiritualia aut Missiones, qua occasione Benedictionem Apostolicam seu Papalem cum indulgentiis annexis impertiri poterunt.

2°. Ordini nostro ordinisque confratribus conceditur gratiarum et privilegiorum communicatiò tam cum mendicantibus quam non mendicantibus, tum etiam Patribus Societatis, ast in spiritualibus tantum. Ita ex audientia SS. Dni. Pii PP. IX, habita die 18 Julii 1852, quae rescripta ab Illmo ac Rev^mo Ep. Gerrensi, Vic. Ap. Busc. die 11 Aug. 1852 fuere recognita.

In quorum fidem has litteras manu nostra et secretarii nostri subscriptas et sigillo nostro munitas dedimus.

In Domo nostra Udensi B. M. Virginis de Tilia die 10^a Sept. 1855.

(L. S.) H. VAN DEN WYMELENBERG,

Rev^do Adm. D^no
C. W. A. DE BRUYN,
Priori Mosacens.

De mandato Perillustris ac Reverendissimi D. Dni mei praefati.

C. W. A. DE BRUYN,
Prior Mosacens. Secretarius.

N°. 481. 25 Febr. 1856.

Indulgentiae in festis S. Odiliae et inventionis ac exaltationis S. Crucis, a S. Sede quondam concessae, extenduntur.

(Apographum authenticum in tabulario Magistri Generalis).

Beatissime Pater,

Fr. Henricus van den Wymelenberg, Magister Generalis sacri et exempti ordinis Sanctae Crucis in dioecesi Buscoducensi enixe supplicat.

1. Quatenus Confratribus ordinis sui, habitis missionibus, aut exercitiis spiritualibus concedatur facultas erigendi crucem missionis cum annexis solitis indulgentiis, quamodmodum id fieri solet a PP. Congregationis SS. Redemptoris.

2. Ut indulgentia plenaria, non nullis ordinis sui ecclesiis concessa in festo et per octavam S. Odiliae Patronae dicti ordinis, extendatur etiam ad ordinis ecclesias noviter erectas aut in posterum erigendas.

3. Ut indulgentia plenaria a Sede Apostolica concessa festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis, extendatur per totum ordinem ad eorumdem octavas.

Ex audientia SSmi habito die 20 Januarii 1856, SSmus Dominus noster Pius Divina Providentia PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, benigne annuit pro gratia juxta petita.

Datum Romae ex aedibus dictae S. Congregationis die et anno praedictis. Gratis sine ulla solutione quocumque titulo.

AL. BARNABO, a Secretis.

Praefatas indulgentias ac gratias in dioecesi Buscoducensi publicari permittimus,

F. W. DEPPEN, Ep. Adj. Del.

Gerra-Haaren, 25 Februarii 1856.

N°. 482. 22 Martii 1856.

Leopoldus I, Belgarum rex, concedit, ut fabrica ecclesiae Mosacensis Fratribus Ordinis S. Crucis vendat ecclesiam cruciferorum.

(Apographum Codici Diplomatum R. D. de Bruyn insertum, pag. 8).

Léopold, Roi des Belges, à tous présents et à venir, salut.

Vu la délibération, en date du 10 7bre 1855, par laquelle le conseil de fabrique de l'église de Maeseyck, sollicite l'autorisation de vendre, de gré à gré, pour la somme de dix mille francs (ps. 10,000.„) payables en dix années avec intérêt à 4½ % aux sieurs De Bruyn, (Charles Guillaume), Kuypers (Adrien) et Mutsaers (Auguste), l'ancienne église des Croisiers, située en cette ville, rue du Bois, section E. n°. 66 du plan cadastral.

Vu les avis du conseil communal, de Mgr. l'Evêque diocésain et de la Députation Permanente du conseil provincial du Limbourg, datés respectivement du 1 et du 13 Octobre et du 21 Decembre 1855.

Vu le rapport de la commission royale des monuments, en date du 23 Février 1856.

Vu l'art. 62 du décret du 30 Xbre 1809 et les arrêtés royaux du 1 Juillet 1816 et du 16 Août 1824.

Sur la proposition de notre Ministre de la Justice.

Nous avons arrêté et arrêtons:

Art. unique. Le conseil de fabrique de l'église de Maeseyck est autorisé aux fins ci-dessus mentionnées.

Notre Ministre de la Justice est chargé de l'exécution du présent arrêté.

Donné à Windsor, le 22 Mars 1856.

(Signé) LÉOPOLD.

Par le Roi.

Le Ministre de la Justice,

(Signé) ALP. NOTHOMB.

N°. 483. 1—3 April. 1856.

Acta capituli generalis praeside Rev^mo Fr. Henrico van den Wijmelenberg, Magistro Generali.

(Autographum in tabulario Magistri Generalis).

In nomine Domini. Amen.

Nos Henricus van den Wymelenberg, Magister Generalis totius ordinis canonicorum regularium Sanctae Crucis, Joannes Mathias van den Heuvel Definitor, Hermanus van Giersbergen Definitor, Martinus Manders Definitor, Leonardus Luyben Definitor, diebus 1ª, 2ᵈᵃ et 3ᵗᵃ Aprilis anni 1856, in domo Sanctae Agathae, ejusdem ordinis in capitulo generali congregati, antiquis statutis tanquam basi ac fundamento positis, sequentes ordinationes et approbationes definivimus.

[Proponuntur quam plures innovationes, quae in ordinis statutis fieri suadet temporum conditio. Has tamen omittendas duxi, ne longior sim.].

Quoad proposita a Procuratorio sequentia.

Ad *Primum.* Tempus feriarum conceditur quindecim dierum, nisi ob justam causam a Priore prolongetur; ad quas ferias tribuantur cuique, prout cuique opus est, ad honesto modo iter faciendum et revertendum; sunt autem adstricti expensarum accuratam reddere Priori rationem.

Ad *secundum.* Curabitur, ut quam primum et studium generale et novitiatus generalis inchoetur.

Ad *tertium.* Si quis ad alium conventum dimittitur, poterit vestes suas et manuscripta et libros necessarios et ad proprium usum concessos secum portare, nisi in conventu, ad quem mittitur, hisce libris, judicio Prioris facilius provideri possit.

Ad *quartum.* Conceditur fratribus pitantia vini sequentibus diebus, qui sunt Circumcisio Domini, Epiphania Domini, Purificatio, Dominica *Laetare*; Feria V. Coenae Domini, Pascha, As-

censio Domini, Pentecostes, Festum Corporis Domini, Odilia, Inventio et exaltatio Stae Crucis, Assumtio B. M. V., Dedicatio et titulus ecclesiae conventus, S. Augustinus, Festum omnium Sanctorum, Caecilia, Nativitas Domini, Natalis et Patronus Reverendissimi, Natalis Prioris localis.

Ad *quintum*. Definitores Praeteriti capituli generalis (1853) sunt G. van der Weyst, Prior Diesthemiensis, C. W. A. de Bruyn (fungens Definitor pro S. W. Gielen, Defuncto Priore ad S^tam^ Agatham) Prior Mosacensis, Egbertus schraven, Supprior ad S^tam^ Agatham, J. J. Verhulst, Prior Udensis.

Ad *sextum*. Priores curent, ut in suis conventibus habeatur capitulum culparum, etiam pro fratribus laicis.

Ad *septimum*. Ad ecclesiae praescriptum Priores nullum ad examen mittant, nisi praevio examine vel a Magistro Generali vel ab ejus deputato.

Ad *octavum*. Magister Generalis praeponit finitis feriis majoribus proxime futuris, collegiis praefectum studiorum, ad quem res et directio collegii pertinebit. Hic tamen Praefectus res gravioris momenti non agit, nisi audito consilio duorum seniorum ex professoribus collegii et Prioris conventus.

Ad *nonum*. Conceditur Magistris Scholarum in cubili suo hypocaustum, illis scilicet, qui per quatuor horas regulariter tradere debent lectiones, idem lectoribus studii generalis.

Ad *Decimum*. Quilibet nomine tituli sui nominatur.

Ad *undecimum*. Auctor studiorum superiorum est P. Dens.

Ad *duodecimum*. Commendatur fratribus sedula consideratio sequentis propositionis:

Quid, stante vita communi, fratribus licet quoad dispositionem (cum licentia superioris) bonorum, quae ipsis obveniunt post professionem?

Ad *decimum tertium*. Curent Priores, ut quilibet frater faciat testamentum, si videbitur.

Visitabunt usque ad capitulum generale sequens;

Reverendus Dominus G. van der Weyst, domum ad Stam Agatham.

Reverendus Dominus L. Luyben, domum Udensem.

Reverendus Dominus M. Manders, domum Diesthemiensem.

Reverendus Dominus J. J. Verhulst, domum Mosacensem.

Stabunt.

J. Verstegen, J. de Vlam, A. Mutsaers, A. A. van den Heuvel; qui mortuo aliquo ex definitoribus, in omnibus succedunt ordine professionis.

Hoc relictum concordat cum originali, deposito in archivis Magistri Generalis.

H. van den Wymelenberg, Mag. Generalis.
J. M. van den Heuvel, Definitor.
H. van Giersbergen, Definitor.
M. Manders, Definitor.
L. Luyben, Definitor.
G. van der Weyst, Prior Diesthemiensis.
C. W. A. de Bruin, Prior Mosacensis.
J. J. Verhulst, Prior Udensis.
J. Verstegen.
E. Schraven, Supprior.
J. D. Vlam, Proc.
A. Mutsaers.
(L. S.) A. van den Heuvel.

N°. 484. 7 April. 1856.

Preces 40 horarum in festis Pentecostes et adoratio perpetua SS. Sacramenti in festo S. Corporis Domini instituuntur in ecclesia conventus Mosacensis.

(Apographum insertum Codici Diplomatum R. D. de Bruyn memorato, pag. 5.

Theodorus Alexius Josephus de Montpellier, miseratione divina et Sanctae Sedis Apostolicae gratia, Episcopus Leodiensis.

Annuentes benigne piae petitioni, quam nuper ad nos direxit R^dus^ D. De Bruyn, Superior conventus R^dorum^ DD. canonicorum regularium Ord. S^tae^ Crucis intra Mosacum, concedimus et permittimus, ut in ecclesia dicti conventus (Deo dicata sub invocatione S^ti^ Jacobi) quotannis instituantur preces 40 horarum cum annexis indulgentiis, in festo Pentecostes et tribus diebus immediate sequentibus, servatis iis omnibus, quae in statutis hujus dioeceseos circa preces 40 horarum praescribuntur.

Concedimus etiam, ut in eadem ecclesia singulis annis in festo SS. Corporis Christi instituatur adoratio perpetua SS^mi^ Sacramenti, servatis ordine et solemnitate, quae praescribuntur mandato Ill^mi^ ac R^mi^ D^i^ van Bommel piae memoriae, 3^a^ Junii 1846.

Datum Leodii 7^a^ Aprilis 1856.

(L. S.) H. Neven, Vic. Gen.

Rev^do^ Admodum D^no^
C. W. A. De Bruyn,
Priori Mosacensi.

N°. 485. 22 April. 1856.

Indulgentiae in festis S. Odiliae et inventionis ac exaltationis S. Crucis communicantur cum canonia Mosacensi.

(Apographum insertum Codici Diplomatum R. D. de Bruyn, pag 4 vso).

Amplissime Dne Prior ac venerandi confratres conventus nostri Mosacensis.

Praesentium tenore vobiscum communico sequentes, ex audientia SS^{mi} die 20 Januarii 1856, Ordini nostro concessas indulgentias ac gratias:

1°. Fratribus ordinis nostri, habitis missionibus aut exercitiis spiritualibus, conceditur facultas erigendi crucem missionis cum annexis solitis indulgentiis, quemadmodum id fieri solet a PP. Congregationis SS. Redemptoris.

2°. Indulgentia plenaria, nonnullis ordinis eccleeiis concessa in festo et per octavam S. Odiliae patronae ordinis nostri, extenditur etiam ad ordinis ecclesias noviter erectas aut in posterum erigendas.

3°. Indulgentia plenaria, a Sede Apostolica concessa festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis, extenditur per totum ordinem ad eorumdem octavas.

Praefatas indulgentias ac gratias die 25 Febr. 1856 in dioecesi Buscoducensi publicari permissum est.

In quorum fidem hasce chirographo ac sigillo nostro communitas damus in conventu nostro ad S. Agatham, die 14 April. 1856.

H. van den Wymelenberg,
Mag. Gen. Ord. S. Crucis.

Vidimus et publicari permittimus in nostra dioecesi.

Datum Leodii 22ª Aprilis 1856.

H. Neven, Vic. Gen.

Rv^{do} D^{no} De Bruyn,
Priori Mosacensi.

N°. 486. 27 Junii 1856.

Actus emptionis venditionis ecclesiae cruciferorum R. D. Priori de Bruyn ejusque sociis Mosaci.

(Apographum insertum Codici Diplomatum R. D. de Bruyn, pag. 11 vso).

Voor ons Herman Simon Jacques Schoolmeesters, Notaris residerende te Maeseyck, arrondissement van Tongeren, provincie Limburg.

Waren tegenwoordig:

1. Den Eerwaerden Heer Jan Mathys Severyns, Onderpastoor en President, 2. den Eerwaerden Heer Pie Philippe Charles Kerkhofs, Deken, 3. den Heer Erasmus Louis Fayn, Apotheker, Jan Leenders en Frans Leenders, beide smeden, en 4. den Heer Jean Philippe Hubert Pergens, looyer en ontvanger, alle wonende te Maeseyck.

Dewelke comparanten alle ten deze handelende voor en in name van het Kerkfabryk der parochiekerk der stad Maeseyck, ten deze bemagtigd by koninglyk besluit van twee en twintigsten Maert jongstleden, by deze hebben verkocht onder vrywaring van daed en regt aen de Heeren: 1. Cornelius Wilhelmus Aloysius de Bruyn, Prior der Eerwaerde Kruisheeren, 2. Adrianus Kuypers, Subprior en 3. Augustinus Mutsaers, canonicus regularis, alle wonende te Maeseyck, waarvoor alhier tegenwoordig en in koop is aennemende voornoemde Eerwaerde Heer de Bruyn de zoogenaemde Kruisheerenkerk, gestaen en gelegen in de stad Maeseyck op de Boschstraet, belend de straet, Leonard Leenders en de kinderen Delaruelle, cadaster, sectie E, numero 66, groot vier aren negentig centiaren, aen gemeld Kerkfabryk, volgens verklaren vry en onbelast toebehoorende.

De aenkoopers zullen van dit verkregene goed van heden af genieten, doen en beschikken in vollen eigendom en vruchtgebruik, als van eene zaek hun toebehoorende, mits betalende

de grondlasten, die in het vervolg er van zullen geeischt worden.

Dezen verkoop is gedaen voor de som van tien duizend franken, betaelbaer in handen en woning van den ontvanger van gezegd Kerkfabryk, binnen de tien jaren te rekenen van heden, mits 's jaers op den dag van heden en wel eerstmael heden over een jaer, van deze som te betalen eenen intrest op den voet van vier en een half ten honderd, ook in handen en woning van gezegde ontvanger, en zulks deze betaling van intrest te volherden tot aen de volle betaling des koopprysses, welke zal moeten geschied zyn, binnen de tien jaren na dato dezer.

Verder is deze verkoop aengegaen onder voorwaerde, dat de publieke diensten volgens gewoonte zullen moeten kunnen geschieden, te weten: van alle zondagen en feestdagen ééne en niet meer dan twee lezende of zingende missen te houden met instructie, ingevolge de bestaende voorschriften van de dioccesaensche geestelyke overheid, gedurende dewelke de kerk voor de parochianen toegankelyk zal zyn, en onder verdere verpligting van geene diensten te lezen of zingen onder de diensten der parochiekerk. Tot uitvoer dezes kiezen de partyen huisvesting ten kantore van ons Notaris.

Waervan akt.

Aldus gedaen en verleden te Maeseyck, ten huize der aenkoopers, heden den zeven en twintigsten Juny duizend acht honderd zes en vyftig, in de tegenwoordigheid van Jan Leenders en Frans Leenders, beide smeden, wonende te Maeseyck, als getuigen ten deze verzocht, die hebben geteekend met de Heeren comparanten, verkoopers, aenkoopers, aennemer en ons Notaris na lezing. (Geteekend) J. M. Severyns, P. Kerckhofs, E. L. Fayn, J. Pergens, C. W. A. de Bruyn, Prior, J. Leenders, T. Leenders, H. S. J. Schoolmeesters, Notaris. (Volgt) Enregistré à Maeseyck le cinq Juillet, 1800 cinquante six, volume 103,

folio 80 V. V. 1 à 6. Reçu pour droit de vente . . 400.„
30 °/₀ additionel. . . 120.„

Ensemble cinq cent viugt fraus. . . 520.„
(Un rôle et quart sans renvoi). Le receveur.

(*Signé*) CONNROT.

Dépot n° 2307, Transit au bureau des hypothèques à Tongrès le onze Juillet 1800 cinquante six, vol. 338 n° 598, fait l'inscription d'office vol. 190, n° 409, reçu cent trente francs, trente sept centimes.

Le Conservateur,
(*Signé*) DEPERMENTIER.

Droit	100.»
Adv.	26.»
Dép. 1 case . .	».32.
Fr. timbre . . .	1.25.
Sal.	1.40.
Ins. Sal.	1.»
Timbre	».40.
	130.37.

No. 487. 28 Aug. 1856.

Canonici Regulares Ordinis S. Crucis monentur, ut breviario proprio relicto, usurpent breviarium Romanum.

(Authenticum in tabulario Magistri Generalis).

CANONICORUM REGULARIUM ORDINIS SANCTAE CRUCIS.

Reverendissime Pater.

Iis attente perpensis, quae Paternitas tua huic Sacrorum Rituum Congregationi exposuit de peculiari Breviario, quod tempore S. Pii V, retinere licuit canonicis regularibus Ordinis Sanctae Crucis in Hollandia, deque variationibus in eo successive factis, non alia quam capituli generalis auctoritate, dubitari minime potest, quin praefati canonici regulares a ve-

teri suo privilegio exciderint, et obligatione proinde adstringantur Breviarium Romanum adoptandi. Id necessario consequitur ex declarationibus hac de re ab Apostolica Sede non semel editis, ac praesertim a Sanctae Recordationis Gregorio XVI, qui in suo ad Archiepiscopum Remensem Brevi, sub die 6 Augusti 1842, aperte docuit, S. Pium V, decessorem suum, eos tantum ab obligatione Breviarii, ac Missalis Romani recipiendorum exceptos voluisse, qui a bis centum annis saltem uti consuevissent Breviario et Missali ab illis diverso, ita videlicet ut ipsi non quidem commutare iterum atque iterum arbitrio suo libros hujusmodi, sed quibus utebantur, si vellent, retinere possent. Cum itaque ob multiplices, quas iidem canonici regulares in suum Breviarium arbitrio proprio induxerunt variationes, illud, quo hodie utuntur, diversum evaserit a primaevo, quod sub S. Pio V retinuerunt; profecto contra mentem hujus Pontificis agerent, si quod primaevo tantum Breviario affixum fuit privilegium, ad hodiernum quoque Breviarium vellent extendere. Quae cum ita se habeant, haec Sacra Rituum Congregatio temperare sibi non potest, quin Paternitatem tuam, eique subjectum ordinem canonicorum regularium Sanctae Crucis vehementer adhortetur, ut pro sua erga Apostolicam Sedem filiali obedientia ac veneratione, Breviarium Romanum quam primum assumere, et juxta illud divinas Laudes persolvere curent. Ut autem ad id perficiendum alacriori animo inducantur, eadem Sacra Congregatio rationem habens diversarum, quas Paternitas tua adjecit, postulationum, a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa IX, per subscriptum secretarium ea, quae sequuntur, indulta, favore praedicti ordinis canonicorum regularium, impetravit.

I. Ut praeter festa a Sancta Sede ordini jam specialiter concessa, agere valeant sub ritu duplici primae classis cum octava, festa tum Inventionis, tum Exaltationis Sanctae Crucis,

dummodo servent rubricas, et si quae propria in decursu octavae horum duorum festorum recitare deligant, eadem examini et approbationi Sacrae Congregationis antea subjiciant.

II. Ut inter suffragia ad laudes et vesperas retinere valeant commemorationem Sanctae Crucis, non tantum in feriali officio, sed etiam ceteris diebus, quibus suffragia permittuntur.

III. Ut in *Confiteor* post *Apostolos* addere possint *Beatum Patrem Augustinum*, ac in ejusdem Missis sive festivis sive votivis Praefationem propriam, a Sancta Sede pro universo ordine Eremitarum Augustinianorum jam probatam.

Quod spectat tandem festum translationis Sanctae Odiliae virginis et martyris e collegio Sanctae Ursulae, quod festum sub ritu duplici primae classis cum octava recitari posse Paternitas tua postulavit, nihil prorsus haec Sacra Congregatio decernere valuit, eo quod de praedicta Sancta Odilia nullam viderit in martyrologio Romano mentionem occurrere. Ut itaque hujusmodi festum probari possit, necesse omnino erit, ut eadem Paternitas tua Sacrae Congregationi non tantum officium, missamque exhibeat, quae canonici regulares Sanctae Crucis in honorem praefatae Sanctae Odiliae hactenus recitare consueverunt, sed etiam de legitimo, et immemorabili ejus cultu, nec non de fontibus, unde ejus historia desumpta fuit, ipsam Sacram Congregationem certiorem reddat.

Interim ut Paternitas tua bene valeat, ex animo adprecor.

Paternitatis tuae.

Tui studiosus.

C. Epus Albanen. Card. Patrizi S. R. C. Praef.

H. Carpalti S. R. C. Secretarius.

Romae, die 28 Augusti 1856.

[Inscriptio est].

Rmo Patri Henrico van den Weymeleenborg (Wymelenberg) Magistro Generali canonicorum regularium Sanctae Crucis in Hollandia.

N°. 488. 8 Jan. 1857.

Venditur monasterium infantium Mosaci, canonicis Ordinis S. Crucis.

(Apographum insertum Codici Diplomatum R. D. de Bruyn memorato, pag. 15.

Voor ons Herman Simon Jacques Schoolmeesters, Notaris, residerende te Maeseyck, arrondissement van Tongeren, provincie Limburg.

Compareerde

Mevrouw Victoire Louise Antoinette Magniet, rentenierster en grondeigenaarster, ten deze bijgestaan en bemagtigd door haren echtgenoot, de Heer Josephus Renier Hubert Naus, Inspecteur der Registratie en Domeinen, beide wonende te Hasselt.

Dewelke bij deze heeft verkocht onder vrijwaring van daad en regt, aan de Heer Cornelius Wilhelmus Alouisius de Bruyn, Prior der Eerwaarde Kruis-Heeren, wonende te Maeseyck, hier tegenwoordig en in koop aannemende, het goed genaamd Klein-Kinder-Klooster, gelegen te Maeseyck in de Pelserstraat, bestaande in huizingen, stallingen, schueren en moestuinen, weide of boomgaard, voorstkomende op den Kadastralen legger onder numero 343, ter grootte van eenen hectaar, zestien aren, drie en zestig centiaren aan de verkoopster, volgens haar verklaren vrij en onbelast toebehoorende.

De aankooper zal van de bij deze verkregene goederen, van heden af genieten, doen en beschikken in vollen eigendom en vruchtgebruik, als van eene zaak hem toebehoorende, mits betalende de grondlasten te rekenen van eersten Januarij jongstleden.

Dezen verkoop is gedaan om en voor de som van een en twintig duizend franken, op welke som bovengekwalificeerde verkoopster bij deze, van den aankooper in wettige munten bekend ontvangen te hebben, eene som van vier duizend franken;

de resteerende som van zeventien duizend franken, zal bij eerst voorregt of previlegie op de bij deze verkochte goederen gevest blijven tegen den intrest van vier ten honderd 's jaers, vervallende op achtsten Januarij, en wel eerstmaal heden over een jaar, te betalen in handen en wooning der verkoopster, alwaar de hoofdsom ook zal moeten betaald worden, welke som alle dagen eischbaar en wederlegbaar is, mits eene wederzijdsche opkondiging te doen van zes maanden te voren.

Ten deze is mede verschenen de Heer Dulys Auguste Magniet, rentenier en grondeigenaar, wonende te Maeseyck, dewelke na lezing ontvangen te hebben van den inhoud dezer, verklaart denzelven voor zoo veel nodig goed te keuren en te ratificeeren.

Waarvan akt.

Aldus gedaan en verleden te Maeseyck in ons kantoor, heden den achtsten Januarij achttien honderd zeven en vijftig, in tegenwoordigheid van Jacques Knoops, schoenmaker en Frans Leenders, smid, beide wonende te Maeseyck, als getuigen ten deze verzocht, die hebben geteekend met boven gekwalificeerde comparanten en ons Notaris na gedane voorlezing. (Geteekend A. Naus Magniet, Naus Magniet, C. W. A. de Bruyn, J. Knoops, F. Leenders, H. S. J. Schoolmeesters, Notaris. (Volgt: enregistré à Maeseyck, le neuf Janvier 1800 cinquante sept, vol. 106, fol. 63, V. O. 1 à 5. Reçu mille quatre vingt douze francs pour droit de vente et additionnels (un rôle sans renvoi).

Le Receveur,

(*Signé*) CONNROT.

Voor eensluidend afschrift.

SCHOOLMEESTERS,

Notaris.

N°. 489. 9 Febr. 1857.

Episcopus Milwauchensis in regione Wiscosina Americae septentrionalis cedit Rev. Fr. E. Daems fundum „Limestone Ridge" in vico Bay-Settlement, in comitatu Brouensi.

(Apographum mecum communicatum a R. D. Daems laudato).

This Indenture made the ninth day of February in the year of our Lord 1857 between John M. Henni, Bishop of Milwaukee in the state of Wisconsin, party of the first part and Edward Daems of Bay-Settlement ind county of Brown and state afore said party of the second part.

Witnesseth, that the said party of the first part for and inconsideration of form of the United States one dollart him paid by the said party ofthe second part, the receipt whereof is hereby acknowledged, has given granted, bargained, sold and conveyed, and by these presents doth give, grant, bargain, sell and convey unto the said Edward Daems, his heirs and assigns forever all the right title and interest of the said party of the first part, of, in and to that certain piece or parcel of land situeted lying and being in the town of Bay-settlement in the County of Brown afore said and on what is known as the »Limestone Ridge", and bounded and discribed as follows, to wit: Beginning at a certain block oaktree standing on the west side of the public highway in the line bounding the north side of Land now or formerly of John Baptiste Laplante where said line crosses the highway; thence north 30° East along the west side of said highway to apoint three (3) chains and fifteen (15) links; thence due west six (6) chains and thirty (30) links to a post; thence south 38° west three (3) chains and fifteen (15) links to a post on said line; thence due East six (6) chains and thirty (30) links to the point of beginning; containing two square acres of land; one square acre of land lying directly opposite

on the east side of said public highway and bounded on the north by land now or heretofore owned by said Laplante, on the west by said highway, and on the north and east by land now or heretofore of J. F. Bonduel, said piece of land being by measurement three chains and fifty links on each of its sides. Said premices are the same that F. J. Bonduel conveyed to Rev. Paul Le Fevre Bishop of Detroit and to his successor in office, by his deed dated the twenty ninth day of July A. O. 1843, and recorded at the office of the register of deeds for said Brown County in volume M. of deeds upon page 416 en 417.

Together with all the rights, privileges, hereditaments, and appartenances there unto belonging or in any wise appartaining, and all the estate, right, title, interest, claim, ordemand whatsoever of the said party of the first part either in possession or expectancy of, in and to the above bargained premises and their hereditaments and appartenances. To have and to hold the said premises as above described with the hereditaments and appartenances, unto the said party of the second part, his heirs and assigns forever. And the said party of the first part for himself and his heirs, executors and administrators doth convenant, grant, bargain and agree to and with the said party of the second part and his heirs and assigns that the above bargained premises in the peaceable and quiet possession of the said party of the second part and his heirs and assigns against all and every person or persons lawfully claiming the whole or any part thereof by through, or under the said party of the first part his heirs or assigns, will forever warrant and defend and against no other person or persons, any thing there in contained to the contrary not withstanding, knided however, that the said party of the second part shall reside and continue to reside upon said premises, and that he shall maintain a Catholic church upon said premises and that if he fail so to do and to reside there on said premises hereby granted and

all the right and estate hereby conveyed shall revert and return to the said party of the first part his heirs and assigns, with the obligation however upon the party of the first part to refund and repay to the party of the second part such sum or sums of money as shall be equivalent in value to the improvements made there on by said party of the second part and there on remaining at the time of such return and reversion.

In testimony where of the said party of the first part hats here unto set his hand and seal the day and year first above written.

JOHN M. HENNI, *(Seal.)*
Ep. Milw.

Signed scaled and delivered in presenee of

GEORGES RIORDAN JH. BROWNSON,
State of Wisconsin Milwaukee Co.

On this ninth day of February A. D. 1857, personnelly came before me the above named John M. Henni to me known to be the person who executed the foregaing instrument, and acknowledged that he executed the same truly and voluntarily for the uses and purposes there in mentioned.

JOHN H. BROWNSON,
Notary Public Milw. Co Wis.

CODICIS DIPLOMATICI

APPENDIX TERTIA.

N°. 490. - 1439.

Historia fundationis canoniae Mariae Laudis sive Colen in Borgloon.

(Insertum codici membranaceo Diplomatum et fundationum conventus Mariae Laudis, mecum gratiose communicato a R. D. de Bruyn, Mosacensis canoniae Priore, fol. 113—124) (*a*).

Sequitur primaria fundatio conventus hujus Mariae Laudis, ordinis fratrum Sanctae Crucis in Colen, cum profectibus ejusdem conventus per ante nominatum Fratrem Franciscum Tongris Priorem edita et descripta, in cognitionem posterorum, anno XV^c quadragesimo.

Fundatrix conventus Mariae Laudis fuit Maria, sortita cognomen a loco quo nata est in Colen, etiamque a paternis bonis clarisque natalibus quibus orta est: ex patre videlicet Domicello Abraham de Colen, cujus olim domus ac mansio fuit fundus hujus conventus, situs in Colen cum bonis aliquot adjacentibus. Matrem habuit Odam nomine ex Diepenbeeck progenitam, filiam Jacobi Roefs, viri nobilis et opulentissimi. Quae Maria a parentibus, aetate adhuc juvencula nuptui tra-

(*a*) Codex hic membranaceus formae, ut dicimus, in folio, complectens 124 folia, compilatus est a Fr. Francisco Tongris, conventus Mariae Laudis Priore, annis 1540—1543. Historia fundationis 22 paginis diffuse scripta est, multisque παρέργοις onerata. Nos quam plurima in exordio expungimus, medullamque tantum servandam judicamus.

dita est Joanni de Mettecoven, qui fuit a domo et familia Domicelli temporalis de Opleu. Cujus conjugali vinculo prius absoluta et orbata fuit (ipso breviter moriente post celebratas nuptias), quam maritali ejus complexu fruita, aut fructu percepto nuptiarum.

Post viri igitur decessum, in viduitate se continens, etsi non virginitatis fructum centesimum, vere tamen viduitatis sexagesimum percipere meruit. Secessit ex mundi tumultibus, et abdidit sese prope oppidum Sancti Trudonis in Beginagium. Nec satis ei erat de haereditatibus suis fovere Christum quotidie in pauperum indigentiis refovendis, dum viveret, vivens ipsamet de laboribus manuum suarum frugaliter ac sobrie: sed providere etiam studuit, ut post mortem ejus bona sua temporalia transirent ac penderentur in perpetuam Christi gloriam.

Accessit igitur ordinis nostri S. Crucis Reverendum Patrem, Magistrum Generalem, Fratrem Helmicum Amoris in Huyum, enarrans ei prudenter totum mentis suae propositum ac votum, offerens aptum construendo monasterio locum, promittens cuncta in haec necessaria se subministraturam. Assensit Pater Generalis, devictus mulieris instantia, habito antea patrum definitorum ac Priorum consilio, missoque ex decreto generalis capituli anno XIIII^{c} trecesimo Fratre Petro Dis, circumspecto et sagaci viro, conventuale S. Agathae, ad perquirenda destinati loci situm et congruentiam. Primum quidem illa designavit ordini praedium unum satis peramoenum in suburbio Lossensis oppidi situm, extra portam meridionalem, dictam vulgariter *Oulenport*, ex opposito montis Castri ad dextram quando exitur. Ubi constructa ex lignis humili ecclesiola ac domo, inceperunt fratres aliquot religiosi, per generale capitulum illuc missi ex domo S. Agathae, conventum facere et morari in eodem loco aliquandiu, quinque vel sex annis stabiliter. Patet ex definitione capituli generalis anni 1431 continente, quod Prior et conventus S. Agathae providebunt de loco in Loscastro, et de fra-

tribus ibidem ponendis. Sed cum pastor loci sub parochia sua, ut inchoatum monasterium confirmaretur, ac stabile permaneret, nullatenus consentiret, nec cujusquam ad hoc precibus inflecti posset, veritus, nedum ad eumdem locum populi devotio, ut jam fieri coeperat, incresceret, lucri interea plurimum decresceret suo marsupio, coacti sunt fratres dimisso loco redire ad propria: vendita per fundatricem templi ac domus structura conventui fratrum tertiae regulae S. Francisci in Zepperen.

Fundatrix non defisa de Dei gratia et auxilio, nihilque animo confracta, cogitabat alio loco retentare negotium, et in hoc fortiori se praesidio communire. Deliberataque secum paulo maturius, accessit conjunctim sibi a propinquo sanguine nobilem et in armis strenuum virum, militem Domicellum Joannem Gutschoven, temporalem Dominum de Fallonia et Castri comitem de Los. Rogabat eum obnixius, ut huic proposito suo et divino operi concepto, quantum posset, favorem suum ac patrocinium ferret. Uxorem habebat ipse non minus virtute quam sanguine generosam, mulierem piam et vere Christianam, moribus ornatissimam, Dorotheam de Schoenhoven, quae maritum ad suscipiendi ac promovendi hujus sacri negotii assensum magnopere etiam cohortabatur. Conspirat ille, Dei inspiratus nutu, in postulationes ac vota devotarum mulierum, et in se totum suscipit hoc onus promovendae gloriae Crucis Christi.

Itum est denuo Huyum pro novo obtinendo consensu Reverendi Patris Generalis. Libenter annuit ille iterum et hoc libentius, quod negotium majori jam fultum esset praesidio, miratus vehementer mulieris fidem et constantiam. Rursus obtulit illa ex sua haereditate fundum alium, extra hominum frequentiam situm, conversationi monasticae, studio et contemplationi longe aptiorem, multo utiliorem priore, eumdem ipsum scilicet, quo praesens hoc exstructum est monasterium. Qui locus tunc ager erat, duodecim virgatas continens, dimensus a plaga meridionali usque ad plagam septentrionalem, ab extremitate nunc

stantis ecclesiae, extendens se usque ad hortum deambulatorium fratrum, viginti aut circiter pedibus ultra extremitatem novae domus refectoriae. Et a plaga occidentali usque ad plagam orientalem, a porta Nolae et ab inferiori muro domus adhuc construendae hospitum, extendens se usque supra majus pomerium, retro stabulata et horreum, quadra et angulari mensuratione per circuitum. Quem locum dedit imprimis Domicella Maria de Colen et haereditarie ad ordinem transportavit pro constructione ac fundatione novi monasterii coram feudali curia in Gudegoven, anno 1438, nona die Novembris.

Saepe relatum audivi a Patribus nostris senioribus, supra praescriptum locum paulo antea, quam exstrueretur monasterium, visas frequenter opaca nocte in aere igneas cruces defixas, mox decidisse in terram, multis saepe apparuisse vicinis incolis atque transeuntibus aurigis.

Exstruxit itaque Domicella Maria de Colen fundatrix primaria, expensis suis propriis supra praescriptum locum, omnia aedificia, quae ad statum conventualem pertinent, quae ipse ego vidi juxta priorem formam singula praeter ecclesiam. In primis videlicet parvum et angustum chorum sanctuarii cum adjuncto a latere meridionali parvo sacrario constructum ex lateribus et tectum desuper lapideis tegulis, cujus summum altare confectum stabat in medio praesentis chori supra gradus sanctuarii sub pendente lampade, reliquam ecclesiae structuram totam ex lignis factam, compaginatam argilla, tectamque straminibus. Item domum unam totam novam ex quercinis lignis positam ad orientem, fratrum usui multum accommodosam, sufficientibusque officinis satis bene et congrue dispositam, continentem in se coquinam, refectorium, dispensam et calefactorium, et octo cellas fratrum desuper infraque duo penaria, tectam etiam straminibus. Item adhuc aliam unam domum versus occidentem, vetustam (?) quidem cum erigeretur, continentem in se cameras tres receptivas hospitum, desuperque

granarium et donatorum cellas. Item per circuitum et quadram monasterii interius appensos et connexos ecclesiae atque domibus mediocris structurae humiles ambitus, straminibus etiam tectos cum argillatis parietibus. Ad septentrionem vero solo ambitu monasterium claudebatur exstante eodem loco, quo novus iste ambitus exstructus est, qui est ante fores calefactorii.

[Sequitur enumeratio sex fundorum, quos fundatrix conventui legavit, in his „octo virgatae prati, supra quas fuit a primis patribus olim plantata vinea et hortus olearum"].

Fundatum est itaque, constructum et erectum primo tempore hoc loco monasterium et incorporatum ordini atque primum a fratribus ordinis nostri Sanctae Crucis inhabitatum anno a dominica incarnatione quadringentesimo tricesimo nono. Et eodem anno die octava mensis Novembris fuit templum ejusdem loci cum claustro consecratum festivè et solemniter, in praesentia Domicellae Mariae de Colen primarìae fundatricis, Domicelli Johannis de Gutschoven, temporalis domini de Fallonia, primarii etiam fundatoris, et uxoris suae Domicellae Dorotheae de Scoenhoven, cum magna populi frequentia, a Reverendissimo Domino Episcopo Rossensi Leodiensi suffraganeo Carmelita, sub Augusto Caesare Alberto, Pontifice maximo Romano Eugenio quarto, Leodiensi Episcopo Johanne de Heynsberch, Generali Magistro Ordinis Sanctae Crucis, Patre Reverendo Henrico de Novimagio, Rectore primario hujus domus Fratre Emondo de Dynter, conventuale Sanctae Agathae, et Pastore prochialis nostrae ecclesiae de Kernyel, Domino Johanne de Malle, benevole in fundationem consentiente.

Prior conventus Sanctae Agathae ex commissione Reverendi Prioris Generalis et ordinis, primum in curam suam domum istam regendam, disponendam et promovendam ad meliora, suscepit. Quod patet ex diffinitione generalis capituli anni xiiiic tricesimi octavi continente, quod Prior et conventus Sanctae Agathae acceptaverunt sibi onus et curam novi conventus erigendi

per eos in loco dicto Coelen, prope oppidum Lossense; qui primarium hujus domus rectorem misit atque instituit Fratrem Emondum de Dynter virum religiosum, prudentem et industrium, adhibitis et adjunctis illi ex eadem domo Sanctae Agathae duobus adhuc fratribus presbyteris, probatis ac disciplinatis viris, qui pro more ordinis res sacras facerent, celebrarent divina officia, atque regularem disciplinam instituerent. Sub quorum manuductione, primo eodem tempore, quatuor novicii adolescentes in fratres canonicos ad obedientiam et habitum ordinis et in hujus domus primariam incorporationem atque professionem recepti sunt, qui fuerunt, Frater Georgius de Turnout, Frater Mathias de Mol, Frater Bernardus de Sancto Trudone et Frater Anthonius de Wouteringen.

A principio juvit plurimum ac promovit fundatoris negotium tanquam proprium et eidem strenue, fortiter atque fideliter cooperatus est vir nobilis et generosus, Domicellus Johannes de Gutschoven, temporalis Dominus de Follonia et Castricomes de Los, cum generosa conjuncta sua Domicella Dorothea de Scoenhoven, quorum favore, ope ac munificentia prosperum incrementum accepit monasterium, novella plantacio studiose rigata est. Conventus fratrum persaepe ab eisdem visitatus, consolatus et recreatus, suppeditata totius rei familiaris necessitas et inopia, ejusque autoritate viri monasterium defensum ab oppressione et omni injuria. Ejus quoque pia sollicitudine, auxilio et intercessione multis bonis ac fundis circum adjacentibus, per ejus medium aut nomen emptis, conventus adauctus et locupletatus est, qui etiam ad haec omnem supellectilem vestium ac vasorum utensilium dederunt primum conventui, utpote in ecclesiae ornamentum et altaris ministerium, unum calicem argenteum deauratum, patenam et ampullas argenteas, partem etiam ligni Sanctissimae Crucis, conditam preciosa ac graciosa teca argentea, monile dignissimum, vestes insuper sacras sericas, ceteraque

ejusmodi; item in culinae usum, et dispensae, ac refectorii, domusque hospitum in mensae ministerium, quidquid ad haec pertineret utensilium in vasis stagneis atque aeneis, totum subministrarunt, et dotaverunt insuper conventum perpetuo infrascriptis bonis hereditariis quae sequuntur.

[Quae sequuntur sex donationes, a nobis omittuntur].

Domicella Dorothea de Scoenhoven, anno quarto a fundato monasterio quievit felici fine in Domino, anno xiiii° quadragesimo 2°, nona die mensis Septembris. Sepulta hic in ecclesia ante altare, quod ipsa in honorem beatae Dorotheae virginis erigi et consecrari fecerat, eodem loco qui nunc est extremitas dextri chori in sedilibus juxta locum Prioris.

Fundatrix primaria Domicella Maria de Colen, posteaquam ex animi sententia jam omnia complesset et composuisset, quae viderentur ad monasterii statum ac stabilitatem jugiter mansuram pertinere, post elapsos duodecim annos a monasterii fundatione, commendato diligenter fideliterque monasterio Domicello Johanni de Guetschoven, nepoti suo, ipsi etiam fundatori, ex singulari devotione, illa Romam profecta est anno remissionis ac gratiae jubilaei xiiii^c quinquagesimo. A qua cum jam reverteretur, febre ferventissima correpta, in itinere mortua est in oppido Caldario, partium Lombardiae et ibi sepulta, nonis Junii eodem anno quinquagesimo; cujus transitus a vita huc detulerunt testimoniales litteras ii, qui itineris ac peregrinationis ejus comites extiterunt, quidam Gerardus de Diepenbeeck, ejus familiaris et frater quidam Johannes Stockmans ordinis 3^ae regulae S. Francisci, conventualis in Zepperen, cum fideli quadam virgine honestissima ex beginagio Sancti Trudonis, ejus etiam collega ac semper antea commensali, scriptas a presbytero pastore ejusdem loci, qui illius confessione audita et absolutione impensa, sacramenta eucharistiae et extremae juxta unctionis illi ministravit: mortuamque cum debitis funeralibus, officiis missarum

ac vigiliarum, honorifice sepelivit, quam testatur virginem sanctam ac religiosam obiisse in Domino.

Fundator vero post mortem conjugis defluxis paucis annis, ut extra mundi tumultum posset Deo vacare liberius ac purius pleniusque animae suae saluti intendere, stabilem sibi mansionem delegit hic in monasterio, atque inter fratres aliquandiu conversatus et moratus est, amator solitudinis et quietis sectator: nichil operis studiosius exequebatur, quam semper diebus ac noctibus interesse divinis officiis, usque in extremum vitae suae diem: quem clausit anno xiiii° sexagesimo mensis Aprilis die vicesima octava. Sepultus celebrato officio ante summum altare primae antiquae ecclesiae, in medio videlicet praesentis chori nunc stantis ecclesiae. Ex quo loco effossa corporis ejus ossa integraliter jam translata sunt, et transposita scilicet cum saxo ejusdem monumenti ante summum altare praesentis ecclesiae per me, qui haec scripsi, anno xv° trecesimo quarto.

Animae fundatorum et benefactorum omnium requiescant in pace. Amen.

A fundatione monasterii prioribus annis favore, auxilio ac promotione fundatorum viventium adhuc et saepe praesentium, prospere successit conventus in spiritualibus ac temporalibus bonis, a prima humilitate et simplicitate sua, gratiam habens apud Deum et homines. Fueruntque primi redditus conventus annui et haereditarii circiter viginti modii siliginis mensurae Lossensis et totidem floreni monetae brabantiae in pecuniis, ultra vitalem quandam pensionem annuam, circiter xx modiorum siliginis Trudonensis mensurae, quam recipiebat conventus annue pro filiali portione Fratris Bernardi de Sancto Trudone, dum viveret, ultra fructum etiam pratorum ac bonorum aliquot adjacentium, quae usu proprio colebat conventus ac bestiis suis depascebat, ultra lucra etiam missarum et officiorum, quibus fratres extra conventum aliquot altaribus et capellis inserviebant, ascendentia cum annuis eleemosynis dominorum Lossensium [et] aliquot

piorum hominum; simul etiam ad decem aut duodecim modios siliginis. Et profecit conventus a prima fundatione in viginti duobus annis usque ad annum sexagesimum, in melioratione reddituum suorum ac bonorum dumtaxat in decem vel undecim modiis siliginis Lossensis mensurae hereditarie, ut patet ex manualibus registris Priorum et Procuratorum.

Primus Prior conventus hujus Mariae Laudis institutus fuit per Reverendum Patrem Generalem Frater Henricus Empden, Friso, conventualis Hoyensis, qui rexit uno anno dumtaxat quadragesimo primo, et fuit depositus ab officio. Patet vero de prioratu ejusdem, quo praefuit hoc anno ex litteris scabinalibus sigillatis, confectis de prato nostro, dicto den Colenberch, cujus ipse investituram recepit eodem anno decima septima Decembris.

Secundus Prior factus et institutus fuit per eumdem Reverendum Patrem Generalem Henricum de Novimagio, Frater Wilhelmus de Zutfania, conventualis Leodiensis, vir gratus et laudatus per omnia et charus admodum fundatoribus: hic ad professionem et incorporationem domus hujus recepit Fratrem Thomam de Rethi, factum postea Priorem et Fratrem Wilhelmum Herpers de Gorsleuwe, Pastorem et Suppriorem factum, optimae indolis adolescentes. Hic rexit duodecim continuis annis, scilicet ab anno xiiii^c^ quadragesimo 2° usque ad annum quinquagesimum 2 inclusive, et depositus est.

Tertius Prior hujus domus fuit Frater Hermanus Venlo, conventualis Leodiensis, qui praefuit duobus annis, scilicet anno quinquagesimo 3° et quinquagesimo quarto, et depositus est.

Quartus prior fuit canonice electus Frater Thomas de Rethi, filius conventualis hujus domus, virtuosus ac studiosus pater et elegans scriptor, discretus in negociis temporalibus atque utilis conventui, ut testantur scriptorum ejusdem monumenta quae extant. Qui rexit ab anno Domini xiiii^c^ quinquagesimo quinto usque ad annum sexagesimum primum inclusive, sex

integros annos et menses tres. Absolutus a prioratu per litteras visitatorum, quas ego legi, eodem anno sexagesimo primo ultima die Septembris, cum ob magnam omnium fratrum instantiam, ut eaedem patrum litterae continebant, tum etiam ex proprio desiderio suo ac rogatu, factus invalidus et in corporis sui membris contractus a spasmate, ut ambulare postea non posset. Obiit anno lxv° in Decembri.

Quintus prior fuit Frater Mathias de Moll, conventualis professus hujus domus. Qui rexit quatuor annis, et absolutus a prioratus officio, fuit per generale capitulum in diffinitionibus Patrum elocatus et positus in Namurco anno lxvi°. Idem saepius quoque antea ac post idem tempus a domo propria elocatus ad diversa loca, ut patet ex libro diffinitionum.

Quis hic intermedio tempore, scilicet annis lxvi, lxvii et lxviii, usque ad festum Sancti Augustini, praefuerit domui, nullis documentis scriptorum unquam potui invenire. Neque rescitum fuit a senioribus: videtur autem quod vacaverit domus a prioratu hoc intervalli tempore atque per Vicarium Suppriorem recta fuerit, quandoquidem pateat evidenter ex manuali registro procuratoris fratris Georgii, in computationibus receptorum et expositorum suorum, hoc tempore dedisse calculum suum coram fratribus senioribus, fratribus conventus, nullo unquam nominato Priore.

Sextus prior hujus domus fuit institutus per Reverendum Patrem Generalem tempore visitationis domus anno xiiii^{c} lxviii°, in profesto Augustini Episcopi, Frater Wilhelmus Trappart de Tongris, conventualis Namurcensis, ut clare patet ex manuali registro ejusdem. Qui rexit tribus annis tantum et depositus est.

Hoc tempore, anno xiiii^{c} sexagesimo octavo penultima die Novembris, fuit Leodium expugnatum et combustum funditus atque eversum per ducem Borgondiae Karolum cum rege Franciae Lodovico. Atque eodem tempore per eumdem ducem Karo-

lum Dyonantum etiam combustum et destructum fuit. Quo bellorum tempore fuit conventus ab omni profectu impeditus, et postergatus multum, ac depauperatus, et spoliatus omnibus bonis suis. Inservivit autem tunc extra aliquot ecclesiis, capellis et altaribus in vicinio circum, pro annuo lucro triginta et amplius modiorum siliginis mensurae Lossensis, piorum etiam hominum, praesertim canonicorum de Loscastro et de Cortersom eleemosynis sustentatus et adjutus est.

Septimus prior hujus domus electus est, anno xiiiic lxxi° circa festum Sancti Lamberti, Frater Henricus de Colonia, conventualis Sanctae Agathae, vir doctus et intelligens, potens in opere et in sermone, egregius praedicator et in negotiis temporalibus apprime expertus. Fuit utilis conventui in officio, utpote sub cujus regimine in tam modico tempore, quo idem praefuit, quatuor annis dumtaxat et totidem mensibus, accreverunt conventui hereditarie circiter quindecim modii siliginis, aut sedecim. Transtulit se hinc in prioratum, quem suscepit, conventus Trajectensis, anno xiiii° lxxvi°, confirmatus pridie Valentini, et vacavit prioratus istius domus plusquam quatuor mensibus.

Octavus Prior hujus domus electus fuit et confirmatus anno xiiii° septuagesimo sexto, circa festum Sancti Johannis Babtistae, Frater Jacobus Heerinxs, natione Saxonicus, conventualis Vallis Sancti Mathiae in Swartzenbroech; moratus tunc uno anno in isto conventu Mariae Laudis, vir dignus revera, ac laudatus per omnia, qui rexit duodecim continuis annis, et maximam utilitatem attulit conventui in profectu bonorum tam spiritualium quam temporalium quem ad meliora promovit, supra omnes qui ante illum praefuerunt: fuit enim pietatis ac religionis cultor, morumque et disciplinae zelosus amator, et observator strenuus. Recepit ad professionem domus hujus, fratres sacerdotes septem, Alexandrum Mondet de Tornaco, Henricum Geistert de Bardwyck, Leonium Pexs de Loscastro, Franciscum Conioels de Tongris, Goswinum Craechs de Trajecto, Henricum Hoddeg

et Henricum Verpinxsten de Vrolingen, et duos donatos Fratres, Leonardum de Welnis et Bertoldum de Gorsleuwis, utiles ac fideles laicos, factos jubilarios in ordine a professione sua. Sub regimine istius Prioris post pacem et tranquillitatem temporis, durantem circiter quatuor annis, fuerunt ac duraverunt guerrae gravissimae in patria Leodiensi, majori tempore prioratus sui. Qui anno xiiii^c octuagesimo 2°, interfecto Leodiensi Episcopo Domino Lodowico de Borbon ab Aremburgensibus, fuit Leodium captum iterum et spoliatum per Dominum Wilhelmum de Marca militem, eodemque anno oppidum Hassellense a Brabantinis expugnatum, occisis multis civibus per comitem de Nassouwe: eodem insuper anno oppidum Lossense captum et spoliatum a Brabantinis, captivatis decano capituli et canonicis multis atque civibus oppidi ejusdem. Anno etiam octuagesimo tertio fuit proelium commissum prope Huelen factaque maxima strages et interfectio Leodiensium et Clevensium et Swevorum a Brabantinis.

Eodem anno oppidum Blisiae expugnatum et combustum fuit per Brabantinos. Quo bellorum tempore fuit conventus iste misere afflictus et totus spoliatus a rutheris, ablatis ecclesiae campanis, raptisque bestiis et aliis mobilibus bonis; horreum etiam conventus plenum frugibus incensum fuit et combustum funditus ab uno Brabantino nequam, servo Domini de Geet, penultima die Januarii a° lxxxiii°.

Anno item octuagesimo quinto decima nona Junii, fuit Dominus Wilhelmus de Arenburch barbatus decollatus Trajecti, ex mandato Leodiensis Episcopi Domini Johannis de Horn. Et sequenti anno octuagesimo sexto decima nona Januarii fuit oppidum Sancti Trudonis captum et expugnatum per Dominum Robertum de Aremburch cum suis complicibus.

Et eodem anno, in fine Martii fuit Dominus Gysbertus de Kan a seditione populi interfectus Leodii. Inter quae bella, cum tota vis patriae exhausta fieret, ac depauperata, essetque

caristia magna nimis; emit nihilominus tamen conventus, hoc infelici tempore sub moderamine istius Prioris, circiter triginta modios siliginis haereditarie, et plus quam decem vel undecim bonaria terrae et prati in fundo. Instituit hic Prior agriculturam primus in conventu: emit equos ad juga atque ovium gregem. Reformavit multas structuras, in domicilium bestiarum et frugum receptacula, et incorporavit conventui ecclesiam parochialem de Kernyel, cum expensis multae pecuniae anno octuagesimo septimo, multumque profectum operosa Prioris istius sollicitudo et fidelissima servitus attulit conventui. Quod male illi recompensatum fuit post finem omnium laborum ac dolorum suorum, quos in domus hujus promotionem suscepit, et retributum mercede non bona: ab ingratis filiis et fratribus, quos idem ipse ad professionem receperat, a quibus, pro zelo regularis disciplinae quam intentius observabat, tandem cessit officio tempore visitationis anno xiiii[c] octuagesimo octavo, ipso die Benedicti, per Reverendum Patrem Generalem, Everardum de Oersoy et Priorem Trajectensem, convisitatorem suum. Eodem tempore institutus fuit Prior in conventu de Erensteyn, ad quem hinc patienter atque obedienter recessit.

Nonus Prior hujus domus praescripto visitationis tempore electus et confirmatus fuit Frater Henricus Geystert de Bardwyck, conventualis filius hujus domus. Qui rexit quatuor annis et duobus mensibus, depositus etiam atque absolutus ob officio tempore visitationis anno nonagesimo 2o xxvi die mensis Junii, et vacavit prioratus duobus mensibus. Sub hujus regimine Prioris perduraverunt bella et guerrae toto tempore in Patria Leodiensi, inter Episcopum Leodiensem electum et Aremburgenses. Anno enim octuagesimo nono in Aprili obsedit et oppugnavit cum validissimo exercitu Dominus Everardus de Marcka civitatem Trudonensem, eodemque anno in mense Septembri obsedit, expugnavit et dejecit castrum et fortissimam arcem de Coelmont Leodiensis Episcopus cum duce Saxoniae. Anno insuper nona-

gesimo 18ª die Aprilis fuit congressus belli et conflictus proelii commissus inter eumdem electum Episcopum Johannem de Horn et Aremburgos Leodienses, prope Zonowen in merica. Quo tempore a transeuntibus frequenter utriusque partis militibus rutheris, conventus oppressus fuit graviter ac misere tribulatus; spoliatus quoque iterum anno nonagesimo duabus vicibus bonis suis, tribus equis scilicet, quinque preciosis vaccis, cum quatuor juvencis, omnibusque vestimentis fratrum raptis ex cellis eorum. Mirum certe, ut conventus aliquatenus proficere potuerit, aut quo modo devenerit in praesentem statum, inter haec calamitosa tempora et pressuras tam graves ac diutinas: nisi fultus singulari Dei praesidio et gratia, quo effecit, ut in Egypto filii Israel, quo magis a barbara natione opprimebantur et flagellabantur ad interitum, tanto plus multiplicabantur et crescebant. Sicuti inter gravissimas tyrannorum persecutiones et cruentos gladios, saevientes in sanguinem sanctorum martyrum, increvit Christi fides ac religio, magis magisque adaucta est ecclesia.

Decimus Prior hujus domus electus, et confirmatus fuit anno xiiii° nonagesimo 2° prima die Septembris Frater Lambertus Xanctis, conventualis et procurator Leodiensis. Qui rexit quinque annis et duobus mensibus. Depositus et absolutus ab officio, tempore visitationis anno nonagesimo septimo, vicesima sexta die Octobris, factus postmodum in proprio conventu Prior Leodiensis.

Undecimus Prior hujus domus electus fuit ex suppriore domus Frater Wilhelmus de Rivo conventualis Hoyensis, praescripto tempore visitationis anno xcvii°, in vigilia Omnium Sanctorum confirmatus. Qui rexit quinque annis et uno mense, Absolutus ab officio et confirmatus in Priorem Leodiensem anno xv° 2° in die beati Nicolai Episcopi. Hic recepit ad professionem domus Fratrem Johannem Leodii.

[Hic fuit electus Magister Generalis 14 Novembri 1512, uti patet ex libro definitionum]. (a).

Duodecimus Prior hujus domus secundo et iterum electus fuit anno xv° tertio in vigilia Epiphaniae confirmatus, Frater Henricus Geistert de Bardwyck, filius conventualis istius domus, tunc pastor existens parochialis ecclesiae in conventu nostro de Wyckroide, qui extunc rexit decem et septem annis continue: absolutus tamen etiam hoc intermedio tempore semel ab officio prioratus, in quod statim directione patrum visitatorum per viam compromissionis restitutus fuit, 3° tandem ex toto absolutus fuit a prioratu anno xv° vicesimo, principio mensis Januarii, per litteras a Reverendo Patre Generali Wilhelmo de Rivo, ex propria instantia sua, qua idem ipse suis scriptis absolutionem expostulavit, ab animi passionibus ac pusillanimitate senili devictus: fuit post defunctionem officii, institutus supprior hujus domus. Hic recepit ad professionem et incorporationem istius domus Fratres Presbyteros Henricum de Quercu Tongrensem, Johannem Moers Tongrensem, Gerardum Mors de Zonowen, Johannem Endoviae, factum postea Augustinensem, Franciscum Vors Tongrensem, Dionysium Vors Tongrensem, Gerardum ex Palude de Sancto Trudone. Hic Prior fuit grandaevus, religiosus pater, statura corporis excellenter longus, macidus facie, canicie venerandus, ulcerosus semper in cruribus, vir admodum humilis et simplex in conversatione ac verbis facetus, frequens in privatis orationibus, sibi ipsi parcissimus: mire semper anxius et sollicitus pro domus profectu communi atque utilitate fuit, qui maximam quoque utilitatem impendit conventui, quem in structuris ac novis aedificiis et in haereditatum multarum emptione, longe ad meliorem statum provexit, ut infra.

Anno xv° quinto mense Decembris obiit in Trajecto Reve-

(a) Quae uncinis includuntur, margini manu recensiori adjecta sunt. Plura alia addita sunt ex Russelii *Chronico*, pag. 138, nobis supra pag. 5 *Annalium*.

rendissimus Dominus Johannes de Horn, Episcopus Leodiensis, cui successit sequenti anno in pontificatum sedis Leodiensis Dominus Erardus de Marca, qui cum esset totius pacis et tranquillitatis amator praecipuus, ita gubernavit hanc patriam summa auctoritate et prudentia, qua erat praeditus singulari, ut nulla unquam cujuslibet principis vel tyranni impugnatione vel hostilitate aut incursu moveretur ad bellum, haberetque patria Leodiensis sub illius moderamine totis triginta tribus annis, dum vixit, perpetuam ac stabilem pacem. Quibus factum est, ut sub hoc Episcopo permagnifico et omnium prudentissimo principe, tranquillis undique rebus floreret, atque opibus repullularet patria, diruta reformarentur, extruerentur munitiones et oppida, et iste etiam conventus non parum profecerit in melius fieretque tam in redditibus haereditariis quam solemnioribus structuris locupletior.

Pace etenim jam stabilita, cum successu temporis prae vetustate ac vilitate defluere labique inciperent primae fundationis structurae, quibus a fundamento succurrendum erat, cupitum fuit desideranter a quibusdam fratribus metiri et expendere omnes vires suas, totoque animorum suorum conatu ac studio operam dare, ut pro fragilibus, luteis ligneisque totius conventus aedificiis, quae posait modica scintilla ignis casu fortuito mandere, atque in cinerem una hora conflagrare omnia, haberent non tam facile perituras neque tantis expensis annuis restaurandas aut intertenendas domos lapideas aut lateritias, et ut tentarent saltem pro viribus construere ex cemento et lapide novam ecclesiam. In quod propositum unus fuit ceteris animatior ardentiorque, Frater Henricus Verpinxsten, a Vrolingen natus, qui eo tempore in praedicationis officio terminos excolebat et pro domus istius utilitate atque aedificiorum reparatione praedicator terminarius fuit plus quam triginta sex annis, qui procuratoris officio etiam viginti duobus aut tribus annis diligentissime factus est, vir clarus eloquio, et in divinis scripturis

non vulgariter doctus, insignis praedicator et rerum profectuumque temporalium pro domo maximus ac diligentissimus sollicitator. Hic de Prioris consensu tentavit structurae renovandae negotium, idque totum forti ausu et constanti animo in suam curam ac sollicitudinem permovendum suscepit. Effodit terram, decoxit quinque aut sex furnos laterum, emit ligna, calcem advexit plurimam, paratisque demum impensis omnibus et aedificandi materia, novam hanc, quae jam extat, fundavit ecclesiam, quae primum coepta fuit aedificari anno Domini xvc quinto, sexta die Martii, jacto primo lapide consecrato in ejus fundamentum solemniter per Dominum Wilhelmum a Meroda, militem temporalem Dominum de Follonia, et in quinque annis proxime sequentibus plene confirmata, tegulis lapideis cooperta, ac etiam testudinata, anno xv° undecimo. Constructa non aliis impensis aut sumptibus revera, quam piorum hominum adjumentis et eleemosynis, per terminos terrae longe lateque in praedicationis officio, labore improbissimo atque indefesso, et studio infatigabili, oportune, importune, per eumdem Fratrem Henricum Verpinxsten diutino tempore emendicatis, conquestis atque collectis; cooperante sibi in eodem opere fortiter fideliterque Venerabilis Prioris Patris Henrici Geistert diligenti opera et totius peculii (quod in hoc consequi potuit) liberalissima elargitione. Fratres quoque laboriose, libenter et alacriter huic operi usque ad consummationem inservierunt, et viciniores coloni plurimi gratis omnes vecturas calcis, lignorum ac lapidum, in structurae opus necessarias subministrarunt, cum equis suis et curribus servientes conventui pro amore Dei et ecclesiae ac monasterii innovatione.

Anno xv° sexto decimo fundata et incepta fuit domus nova septentrionalis, quae refectorium, coquinam, calefactorium, cellas et dormitorium ceterasque fratrum officinas continet. Exstructa eisdem prope impensis ac sumptibus, quibus ecclesia praescri-

bitur (*a*), per ante nominatum Fratrem Henricum Verpinxsten, Procuratorem et praedicatorem terminarium diligenti opera, magna sollicitudine, vario et multiformi questu, ac practicosa industria, collectis et exsolutis, non sine Prioris suprascripti adjumento, et labore fratrum juniorum, inter quos ego quoque non segniter in quotidianum ministerium labore gravissimo me totum impendi omni tempore, usque ad operis ejusdem consummationem. Cujus domus constructio quatuor annis (priusquam perficeretur ad apicem) continuata et producta fuit, intermisso quandoque opere ob virium et pecuniae in expensas recollectionem: consummata vero fuit et tegulis cooperta, anno xv[c] vicesimo.

Sub praedictis rectoribus, Fratre Henrico Geistert Priore et Fratre Henrico Verpinxsten, Procuratore fidelissimo omnium et utilissimo, singulari uno promotore hujus conventus, profecit conventus admodum in bonis temporalibus in brevi tempore, spatio quindecim aut sedecim annorum; pro valore quinquaginta vel circiter modiorem siliginis mensurae Lossensis annui et hereditarii reditus, quorum ipsi plurimam partem emerunt, aut venditam olim, redemerunt, in terris, pratis, silvis, aliisque ejusmodi bonis, aut hereditariis partibus; ad sublevandam et eximendam a paupertate domum, et stabiliendam eam in possessione bonorum temporalium, necessariorum dumtaxat fratrum victui usuique, pro mediocri competentia, accuratissimi patres. Animae eorum et omnium promotorum conventus requiescant in pace. Amen.

Tertius decimus Prior hujus conventus unanimi omnium fratrum consensu, ex Suppriore tunc existente hujus domus, canonice electus fuit Frater Thomas de Gouda, Hollandus natione, conventualis Viridarii in Francia, ubi multis annis antea Prior et Provincialis fuerat, electus et confirmatus in Priorem hujus conventus anno xv[c] vicesimo, in die Emerencianae virginis,

(*a*) Praescribitur, *lege* praescripta.

xxiii[a] die Januarii. Qui rexit novem annis et tribus mensibus, saepe ac diu extra domum in negotiis ordinis, et visitationibus conventuum, (dum hic praeesset) occupatus. Hic extruxit tempore prioratus sui, penaria aut cellaria novae domus septentrionalis, et muris intersticiis ejusdem domus officinas distinxit et caminos in ea fecit. Atque ambo solaria posuit, et extruxit cocleam, qua ascenditur in dormitorium. Fuit vir strenuus ac rigorosus ad intertentionem regularis disciplinae in conventu, propter quod quibusdam fratribus gravis et importabilis factus, ab eisdem in accessu generalis capituli, ut ab eis recederet et in conventu alio mansionem sibi provideret, aperta voce adhortatus et licentiatus est. Qui cum eadem benedictione et gratia *disciplina* (*a*) suscepta, eadem hora domo exiens, profectusque ad instans generale capitulum, patrum diffinitione a prioratus sui officio absolutus est, atque institutus denuo provincialis in regno Franciae, anno xv[c] vicesimo nono, eodemque anno (statim post defunctionem Reverendi Patris Laurentii Gladbach in sudore Anglicano) idem electus et factus fuit totius ordinis nostri Magister Generalis, ut scriptura adimpleretur quae dicit: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud.

[Hic carus fuit et gratus principi Erardo a Marka Cardinali ac Leodiensi Episcopo ejusque consilio arduis in negotiis semper utenti. Hic festum S. Odiliae virginis et martyris solemniter, per totum ordinem celebrari mandavit. Sub ejusdem regimine Anglicana monasteria deperdita fuerunt] (*b*).

Quartus decimus Prior hujus conventus canonice electus et confirmatus successit, Frater Franciscus Voes a Tongria natus,

(*a*) Haec vox ex codice abrasa est; quae tamen chemico apparatu pellucida facta legi potest. Saepius voces erasae sunt, quae tamen non amplius ita restitui potuerunt, ut distingui possint. Lacunas tamen hujusmodi annotare neglexi, utpote minoris usus.

(*b*) Quae uncinis includuntur, margini manu recensiori adscripta sunt.

filius conventualis hujus domus, anno xv^e vicesimo nono, quinta decima die mensis Maii, in vigilia penthecostes. Hic complevit praescriptam novam domum septentrionalem, quam vestivit omni opere scrinificii interius, faciens in ea fenestras et ostia et universa tabulata, atque in cellis lectisternia ceteraque necessaria, et pavimento stravit in ea refectorium atque omnes officinas ceteras, subter et supra undique eam componens et exornans, ut fratrum usui accommoda fieret et congrueret ad inhabitandum: primo tempore a conventu inhabitata anno tricesimo 2° in festo Paschatis. Extruxit insuper utrosque interiores muros aliarum domorum collateralium, quibus appendit ambitus claustri: quos a fundamento extructos perfecit in quadro, tegulis opertos ac stratos pavimento per circuitum. Ecclesiam quoque ornavit interius, et pavimento stravit, novisque cancellis distinxit, et in ea construxit altaria singula, atque crucifixum erexit: quam benedici etiam et consecrari fecit cum toto claustro ac cimiterio, per Reverendum Patrem Dominum Petrum de Fine, Danensem Episcopum, Reverendissimi Domini, D. nostri Erardi a Marcka, Leodiensis Episcopi Suffraganeum, anno xvc tricesimo quinto xxviii^a die mensis Junii (*a*). Ecclesiae in decus et ornamentum pro Dei honore et cultu procuravit et dedit fierique fecit ex amicorem donatione, et ex sua propria studiosa procuratione et quaestu, laboribusque ac lucris hinc inde conquisitis, inprimis unum calicem argenteum deauratum meliorem, quem conventus habet, ponderantem sedecim uncias et xvi *engelschen*, pro quo solvit et exposuit triginta et octo florenos monetae Brabantiae; item adhuc unam crucem argenteam elevatam, factam pro delatione venerabilis Sacramenti, continentem puri argenti tres marcas et quinque uncias et novem *engelschen*, a stipite pendentem, qui est cupreus deargentatus, valentem cum praetio facturae, triginta et octo florenos Renenses electorum imperii; item adhuc duas cappas chorales ad thurificandum et

(*a*) Quae sequuntur, aliena manu, sed tempore fere aequali, addita sunt.

in processione utendas, unam rubram et alteram albam ex panno serico damastico, optimo omnium, qui Antverpiae potuit inveniri, pro quibus solvit et exposuit plus quam sexaginta florenos monetae Brabantiae; item adhuc unam cappam nigram ex camelotto et plures preciosas casulas, atque altaris ornamenta. Emit conventui pro sui memoria ex pecuniis, per eum conquisitis, et necessitatibus proprii corporis sui subtractis plus parcius quam sat est, tres florenos aureos, pro quibus exposuit quinquaginta et septem florenos aureos Renenses. Bibliothecam quoque conventus compluribus libris et operibus doctorum veterum adauxit et locupletavit, quos emit pro valore plus quam centum florenorum communium. Et quod conventui omnium utilissimum est, diutino atque improbissimo suo labore ac summo studio omnium bonorum atque hereditatum conventus, hoc praesens antescriptum inventarium fecit, opus nulla satis gratia sibi unquam recompensandum, registraque et alia singula ita plane reformavit, descripsit atque declaravit, ut luce ipsa clarius perspiciantur. Hic recepit ad incorporationem atque professionem hujus domus in Fratres, Patres Egidium de Gennick, Ghysbertum a Gelmen, Wilhelmum Bruegel, Johannem ab Alken et Godefridum a Landen; item in donatos Fratrem Johannem a Leodio, cocum et Fratrem Symonem a Groetloon. Rexit in officio prioratus annis sedecim. Anno vero Domini xv^{c} quadragesimo quinto, decima septima die mensis Februarii, post multos agones, labores ac dolores et pericula, quibus non sine vitae discrimine fideliter fortiterque pro domus suae profectibus atque injuriarum defensione, se totum expendit; tandem gravi aegritudine quartanarum febrium laborans, tempore visitationis, tam ex sua propria petitione, quam ex fratrum suorum studiosa instantia, non sine eorumdem calumnia ab officio prioratus absolutus est. Nichilo melior existens, quam praedecessores sui omnes hujus domus Priores, quorum nemo unquam hactenus in officio mortuus est, fuitque sequenti anno ex decreto generalis capituli

ordinatus atque institutus Pater Confessor conventus Sororum in Bethleem prope Horn (*a*). Reddet Deus mercedem unicuique secundum suum proprium laborem. Ac in praescripto conventu Sororum diem clausit extremum, cujus anima aeterna fruatur requie in coelis, anno 1550, ipso Egidii die, et legavit hinc conventui 18 florenos aureos semel pro emendis libris (*b*).

XV. Fr. Gysbertus Gelmen, creatus circa annum 1545.
